








QUAESTIONES MORALES

DE SACRAMENTIS,

QUAS

PRIVATO AUDITORUM SUORUM USUI

ACCOMMODAVIT

H. NOLDIN, S. J.



OENIPONTE.
TYPIS FEL. RAUCH (C. PUSTET).
1895.

Liber primus.

De sacramentis in genere.

Quaestio prima.

De natura sacramentorum.

1. Sacramentum novae legis definiri potest *signum visibile divinitus institutum ad sanctificationem hominum significandam et efficiendam.*

1. *Signum visibile* i. e. sensibile, quod aliquo sensu externo percipi potest. *Ad sanctificationem significandam et efficiendam:* sacramenta enim non solum *signa* gratiae, sed etiam eiusdem *causae* sunt. Gratia autem, quam omnia sacramenta significant et conferunt, est potissimum gratia sanctificans, qua homo constituitur iustus et filius Dei adoptivus.

2. *Effectus* sacramentorum triplex est; alius omnibus sacramentis communis: *gratia sanctificans,* virtutes supernaturales et dona Spiritus sancti; alius singulis peculiaris: *gratia sacramentalis,* quo nomine intelligitur tum ius obtinendi omnia auxilia necessaria ad consequendum finem cuiusvis sacramenti proprium, tum haec ipsa auxilia suo tempore actu collata; tertius tandem trium sacramentorum baptismi, confirmationis et ordinis proprius, scilicet *character.*

2. Sacramenta suum effectum producunt *ex opere operato* i. e. vi ipsius actionis sacramentalis, quae ex voluntate et institutione Christi id habet, ut ex se gratiam conferre et suscipientem sanctificare possit; *non ex opere operantis* i. e. non ex dispositionibus illius, qui sacramentum administrat vel suscipit. Dispositiones enim suscipientis, quae praerequiruntur, necessariam conditionem, non autem gratiae causam efficientem constituunt; et dis-

1*

positiones ministri efficiunt, ut sacramentum digne, non autem ut valide administretur.

Sacramentum igitur novae legis *differt* α. a *sacramento* legis antiquae, quod non significat gratiam praesentem, sed futuram; nec causat sanctitatem internam, sed externam et legalem tantum; β. a *sacramentalibus,* quae non sunt divinitus instituta nec vim habent immediate conferendi et producendi gratiam; γ. a *sacrificio,* quod primario non est institutum ad hominem sanctificandum, sed ad cultum Deo exhibendum.

3. *Valide* sacramenta conferri et suscipi dicuntur, quando nihil eorum deest, quae ad essentialia sacramenti pertinent: si enim hoc obtinet, actio sacramentalis ex se apta est, quae effectum suum producat; si igitur *invalide* sacramentum confertur aut suscipitur, nullum reipsa habetur sacramentum, et qui scienter sacramentum invalide confert aut suscipit, sacrilegium committit. *Licite* sacramenta conferri vel suscipi dicuntur, si a conferente vel suscipiente observantur omnia ea, quae ex voluntate Christi vel ecclesiae praeter sacramenti essentialia observanda sunt. Qui ergo illicite confert vel suscipit, verum quidem confert vel suscipit sacramentum, sed in eiusdem collatione vel susceptione peccatum grave vel leve committit, prout praeceptum maioris vel minoris momenti negligit. *Digne* sacramenta conferri et suscipi dicuntur, quando in ministro et suscipiente adsunt animae dispositiones, quae ex voluntate Dei requiruntur: qui ergo scienter sacramentum suscipit vel administrat indigne, sacrilegium committit. *Fructuose* sacramenta conferri vel suscipi dicuntur, si ita conferuntur vel suscipiuntur, ut eorum effectus reipsa obtineatur.

4. Septem novae legis sacramenta diversimode dividuntur:

a. Iterabilia, quae saepius suscipi possunt, eo quod non imprimunt in anima characterem indelebilem: *eucharistia, poenitentia, extrema unctio, matrimonium;* et *non iterabilia,* quae semel tantum valide suscipi possunt, eo quod in anima imprimunt characterem indelebilem: *baptismus, confirmatio, ordo.*

Si quis ergo sacramentum, quod iterari nequit, denuo confert, nihil efficit, cum sacramentum sit simpliciter nullum: et qui scienter sacramentum non iterabile confert aut suscipit, peccato sacrilegii gravissime peccat et in iteratione baptismi, tum qui illum confert tum qui suscipit, praeterea irregularitatem incurrit, id quod in iteratione confirmationis vel ordinis non contingit.

b. Sacramenta *mortuorum,* quae per se et primario instituta sunt ad primam gratiam conferendam et proinde ad restituendam homini spiritualiter *mortuo* vitam supernaturalem gratiae: *baptismus* et *poenitentia;* et sacramenta *vivorum,* quae per se et primario instituta sunt ad conferendam gratiam secundam et proinde ad augendam vitam supernaturalem gratiae in eo, qui eadem iam instructus est: *confirmatio, eucharistia, extrema unctio, ordo* et *matrimonium.*

Per accidens fit, ut etiam sacramenta mortuorum conferant gratiam secundam, si nimirum qui illa suscipit, per contritionem perfectam aut alio modo iam est in statu gratiae. Pari modo per accidens fieri potest, ut sacramenta vivorum conferant gratiam primam, si nimirum qui illa suscipit, est in statu peccati mortalis bona fide putans se esse in statu gratiae, modo habeat attritionem; quod quidem de extrema unctione certum est, de aliis vero sacramentis non item.

c. Sacramenta *necessaria* et *non necessaria: α. baptismus* omnibus hominibus et *poenitentia* iis, qui post baptismum in grave peccatum lapsi sunt, necessaria est necessitate medii; *β. eucharistia* necessaria est necessitate praecepti; γ. reliqua quatuor sacramenta non sunt singulis necessaria neque necessitate medii neque necessitate praecepti.

d. Sacramenta *formata,* quae effectum suum (gratiam sanctificantem seu formam animae) statim dum suscipiuntur producunt; et *informia*, quae valide quidem suscipiuntur, at propter obicem in suscipiente existentem effectum suum non producunt.

Obex seu *fictio* dicitur defectus necessariae dispositionis, qui in suscipiente impedit, quominus sacramentum suum effectum producere possit. Obex tamen non impedit, quominus imprimatur character.

Sacramenta possunt esse informia ex culpa vel sine culpa, quia obex culpabiliter vel bona fide in anima reperiri potest. Porro omnia sacramenta possunt esse informia; de sola poenitentia sunt, qui dubitent ex ratione, quae infra exponetur.

5. *An sacramenta informia postea ablato obice reviviscant.*

1. Sacramenta *reviviscere* significat ipsa postea ablato obice eandem gratiam conferre, quam contulissent, si obex in anima non adfuisset; *obicem auferre* significat necessarias dispositiones sibi comparare, quae, dum sacramentum conferebatur, adesse debuissent, sed vel culpabiliter vel sine culpa non aderant. Reviviscentia ipsa in hunc modum explicatur: omne sacramentum valide collatum effectum sibi proprium producit, qui, cum animae propter obicem in ipsa existentem applicari non possit, manet interim suspensus; remoto autem postea obice de facto animae applicatur. An autem et quaenam sacramenta reipsa remoto obice reviviscant, non una est theologorum sententia.

2. Omnes quidem facile concedunt, in reviviscentia sacramentorum nullam esse repugnantiam: facile enim intelligitur, per susceptionem sacramenti acquiri ius ad gratiam vi sacramenti conferendam, quae, si in ipsa susceptione propter obicem conferri non potest, confertur, ubi primum obex removetur. Quaestio solum est, an et quaenam sacramenta de facto reviviscant. Iam vero alii docent solum baptismum reviviscere; alii econtra affirmant omnia sacramenta remoto obice reviviscere; alii tandem reviviscentiam nonnullis sacramentis tribuunt, ceteris vero negant. Itaque certum est, *baptismum* remoto obice reviviscere: etenim, cum iterari non possit, si non revivisceret, affirmari deberet esse homines, qui careant medio ad salutem necessario. Valde probabile est, etiam *confirmationem* et *ordinem* remoto obice reviviscere: cum enim hinc quidem producant effectum omnino proprium, inde vero iterari non possint, si non reviviscerent, affirmandum foret, esse homines, qui carere debeant gratiis statui convenientibus iisque ordinariis, id quod videtur repugnare ordini divinae providentiae. Probabile est etiam *extremam unctionem* et *matrimonium* remoto obice reviviscere, quia nonnullos saltem effectus proprios habent, et durante eodem morbo eodemque coniugio iterari non possunt. Quoniam vero pro

eucharistia, quae quotidie recipi potest, non militat similis ratio, non adeo probabile est, hoc etiam sacramentum remoto obice reviviscere. Quod tandem ad *poenitentiam* attinet, dicendum est, si hoc sacramentum potest esse informe, ipsum ablato obice reviviscere, valde probabile esse: cum enim poenitentia instituta sit ad delenda peccata post baptismum commissa, sicut baptismus institutus est ad delenda peccata ante baptismum commissa, idem quoad hanc rem de utroque statuendum videtur. An vero sacramentum poenitentiae possit esse informe, infra dicetur.

3. Quoad *dispositionem*, quae requiritur, ut sacramenta postea reviviscant, imprimis distinguendum est inter sacramenta vivorum et mortuorum. In *sacramentis vivorum*, excepta unctione extrema, requiritur contritio vel attritio cum absolutione; in *sacramentis mortuorum* et in extrema unctione sufficit attritio, nisi adsit sacrilegium in susceptione vel grave peccatum post susceptionem commissum; in hoc enim casu contritio vel attritio cum absolutione requiritur.

Concilium florentinum in decreto pro Armenis haec habet: „Omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma et persona ministri, conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit ecclesia, quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum."

Scilicet res et verba, materia et forma sacramentum seu signum sensibile intrinsecus et essentialiter constituunt, quae quidem a ministro peragi debent cum intentione faciendi, quod facit ecclesia: hac namque intentione actio sacramentalis vere constituitur sacramentalis seu significans et causans gratiam sanctificantem.

Quaestio secunda.

De materia et forma sacramentorum.

6. Sacramenta constant rebus et verbis seu, ut nunc loqui solemus, materia et forma; quae duo signum sensibile constituunt et partes (essentiales) sacramenti dicuntur. Quocirca alterutra deficiente nullum est sacramentum: ne-

quit enim confici sacramentum sine eo, quod sacramenti essentiam constituit. *Materia* sacramenti est res sensibilis ad rationem sacramenti per formam determinanda. Materia duplex distinguitur: *remota* est ipsa res sensibilis, quae in conficiendo sacramento adhibetur, ut aqua in baptismo, panis in eucharistia; *proxima* est applicatio seu usus materiae remotae in actione sacramentali e. g. ablutio, unctio. *Forma* vero est illa pars sacramenti, quae materiam determinat ad sacramentum; forma ordinarie consistit in verbis a ministro prolatis.

7. Ut sacramenta valide et simul licite conferantur, quoad materiam et formam plures conditiones requiruntur, quarum aliae materiam et formam simul, aliae solam formam respiciunt. Quoad *materiam et formam* haec requiruntur: materia et forma debent esse *a.* certae; *b.* simul unitae; *c.* ab eodem ministro; *d.* sine mutatione applicatae.

1. *Certae* i. e. certo validae extra casum necessitatis: reverentia enim sacramentis debita postulat, ne haec exponantur periculo invaliditatis, quod quidem accideret, si materia aut forma non essent certae, sed dubiae seu probabiliter tantum validae: probabilitas enim non aufert periculum invaliditatis. Hinc extra casum necessitatis sacramentum exponere periculo nullitatis, sacrilegium est. *Extra casum necessitatis:* cum enim sacramenta sint propter homines, ipsa periculo nullitatis exponere licet, quoties necessitas aut magna hominum utilitas id postulat.

Ideo non licet adhibere materiam dubiam, ubi certa haberi potest; ubi autem materia certa haberi nequit, dubia adhiberi *debet,* si adsit necessitas conficiendi sacramenti, si e. g. infanti in mortis periculo constituto conferendus sit baptismus; et dubia adhiberi *potest,* si adsit magna suscipientis utilitas, sic moribundo conferri potest sacramentum extremae unctionis cum oleo catechumenorum.

2. *Simul unitae* simultate non quidem physica (excepta eucharistia), at saltem morali, ita scilicet ut secundum moralem aestimationem hominum, spectata natura cuiusque sacramenti, verba censeantur afficere materiam et cum ista unum signum constituere: quoniam enim materia et forma unam sacramenti essentiam constituunt, *simul* appli-

cari debent, quoniam autem haec essentia est compositum morale, sufficit ut partes componentes *moraliter* unitae sint, ita ut minister, qui pronuntiat formam, prudentum iudicio censeatur abluere, ungere etc.

Hinc etiamsi forma materiam aliquantulum praecedat aut sequatur, certo validum est sacramentum; et si facta ablutione vel unctione post quaedam minuta tandem verba proferantur, certo invalidum est sacramentum; si autem materia et forma ita applicentur, ut materia iam integre posita sit, quando inchoatur forma vel econtra, dubium est sacramentum; alii tamen cum *s. Alphonso* (n. 9.) censent, validum esse sacramentum, si materia vel forma praecedat et mox (interposita scilicet mora, quae non excedat unum *Pater noster)* alia pars ponatur. In praxi igitur (exceptis poenitentia et matrimonio) curandum est, ut materia et forma saltem ita uniantur, ut una inchoetur antequam absolvatur altera.

3. *Ab eodem ministro applicatae:* administratio enim sacramenti est *una* actio sacramentalis nomine Christi ponenda, quae ex duabus partibus componitur, ex applicatione materiae et ex prolatione formae; sed non esset una actio, si inter duos divideretur. Insuper si alius applicaret materiam, alius pronuntiaret formam, vera non essent verba formae e. g. ego te baptizo, cum non idem integram actionem sacramentalem ponat.

a. An sacramentum sit absolute invalidum, si actio sacramentalis a duobus ponatur, non est omnino certum; ideo sunt, qui in casu necessitatis id permittant, ut e. g. in conferendo baptismo unus aquam infundat, alius formam pronuntiet.

b. Si *plures ministri* sacramentum conficiunt, ita ut plures integram materiam et formam ponant e. g. plures simul eundem puerum baptizent, eandem materiam consecrent, validum quidem est sacramentum, sed excepta consecratione in ordinatione presbyterorum graviter illicitum. Et si sacramentum ex pluribus partibus constat ut eucharistia, extrema unctio, ordo, et plures ita sacramentum conficiunt, ut alius aliam partem ponat, sacramentum pariter validum, sed extra casum necessitatis graviter illicitum est.

4. *Sine mutatione.* Mutatio alia est substantialis, alia accidentalis. Quoad *materiam* dicitur *substantialis,* si haec non est et dicitur amplius eadem ac illa, quae a Christo fuit determinata, ut si loco aquae in baptismo sumeretur

vinum; *accidentalis* autem dicitur, si servata essentia rei qualitates tantum mutarentur, ut si aquae modicum atramenti, vino modicum aquae admisceretur.

Quoad *formam* mutatio dicitur *substantialis*, si sensus verborum in alium mutetur, ut si in consecratione diceretur: hoc est opus meum; et *accidentalis*, si verba, etsi variata, eundem tamen sensum retinent, ut si in baptismo diceretur: *ego te abluo;* vel si transponerentur verba: *te baptizo ego.*

a. Mutatio substantialis materiae vel formae invalidum reddit sacramentum, et si sit voluntaria, gravissimum constituit peccatum. Ratio *primi* est, quia non habetur amplius sacramentum a Christo institutum, ubi accidit haec mutatio, sive eadem sit voluntaria sive involuntaria. Ratio autem *secundi* est, quia gravissime laeditur reverentia auctori sacramentorum debita.

b. Mutatio accidentalis materiae vel formae sacramentum non reddit invalidum, sed solum illicitum, et si sit voluntaria, constituit peccatum grave vel leve, prout est vel non est notabilis. Qui ergo formam notabiliter corrumpit vel inarticulate profert, graviter utique peccat.

Ut diiudicari possit, num formae immutatae sint vel non sint validae, haec attendenda sunt. 1. Error privatus ministri, si in ceteris essentialia adsunt, non reddit sacramentum invalidum, ut si quis baptizaret hac forma: ego te baptizo in nomine Patris, quem puto maiorem, et Filii, quem puto minorem, et Spiritus sancti, quem puto aequalem. 2. Error autem, qui ipsam formam vitiat, sacramentum reddit invalidum e. g. ego te baptizo in nomine Patris maioris et Filii minoris et Spiritus s. aequalis. 3. Si sensus formae ambiguus est, eius valor ab intentione ministri dependet ideoque invalida est, si minister sacramentum explicite intendit conferre cum forma erronea; e. g. haec forma: ego te baptizo in nomine P. et F. et Sp. s. et beatae Virginis Mariae valet, si ultima verba solum ex praepostera devotione addantur, sed invalida est, si quis etiam in nomine b. Virginis baptizare intendit. 4. Si verba formae naturali vitio linguae haesitantis vel praecipitantis aut ob imperitiam ministri corrumpuntur, sacramentum est validum, modo sensus formae non omnino vitietur: nam verba ex hac ratione corrupta ab audientibus tamen rite intelliguntur. Ideo valida declarata fuit haec forma: ego te baptizo in nomine Patria et Filia et Spiritu sancta; at non valet haec alia: ego te baptizo in nomine Matris et Filii et Sp. s.

8. Quoad *formam* haec requiruntur: pronuntiatio formae debet esse *vocalis et sine interruptione et repetitione prolata.*

1. *Vocalis* i. e. forma sacramentorum organis ad loquendum destinatis ita pronuntiari debet, ut minister se possit audire: illa enim pronuntiatio non est sensibilis, quae nulla ratione auditu percipi potest; quare sacramentum periculo nullitatis exponeretur, si pronuntiatio formae non posset audiri.

2. *Sine interruptione.* Accidere potest interruptio verborum aut syllabarum formae. Porro si interruptio tanta est, ut verba apud audientes non amplius unum integrum sensum efficiant, invalidum est sacramentum; si autem interruptio adeo modica est, ut verba sequentia cum praecedentibus moraliter cohaereant et unum sensum apud audientes efficiant, validum erit sacramentum.

Si baptizans dicto: *ego te baptizo* interiiceret: verte folium, vel sternutaret, vel modice tussiret aut spueret, posset, quin opus sit priora repetere, ad sequentia procedere. Syllabarum autem interruptio multo facilius distrahit sensum, adeo ut etiam interruptio modica dubium reddat sacramentum; ideo consultum est, verbum inceptum repetere.

3. *Sine repetitione.* Fieri potest, ut repetatur integra forma, aut plura eiusdem verba; atqui utrumque per se grave peccatum est. Ratio *primi* est, quia forma sacramentalis frustra profertur et sic gravis irreverentia in sacramentum eiusque auctorem committitur; ratio *secundi* est, quia mutatur forma sacramentalis et Christus ridiculo modo loquens exhibetur.

Qui ergo ex levi tantum dubio, ex inani suspicione aut scrupulo formam (etsi conditionate) repetit, certo in sacramentum peccat. Et qui in hunc modum formam proferret: *hoc, hoc, est, est, enim, corpus, corpus, meum, meum,* valide quidem consecraret, at per se grave peccatum committeret. Sine rationabili causa unum verbum unamve syllabam repetere, veniale peccatum non excedit. Scrupulosi autem, qui subinde formam sub conditione repetunt, a peccato excusantur, sive ratione perplexitatis, quae prudentem deliberationem impedit, sive ratione finis, scilicet tranquillam reddendi propriam conscientiam. Qui vero frequenter ac fere ex consuetudine formam repetit, certo a levi, et si adsit sufficiens advertentia, etiam a mortali culpa excusari nequit, praesertim ubi propter ineptam repetitionem sacramentum periculo nullitatis exponitur.

9. De *iteratione sacramenti*, de cuius validitate dubitatur, servandae sunt regulae sequentes.

1. Si dubium de valore sacramenti est omnino imprudens atque inane, non licet sacramentum collatum iterare, et qui illud, etsi conditionate, iteraret, grave peccatum committeret: nam temere iterare actionem sacramentalem, gravem iniuriam in sacramentum continet. Conditio autem, si dubium inane est, pro non adiecta habetur.

Quare si sacramento iam collato vel forma sacramenti iam prolata dubium oritur de eius valore, et dubium est mere *negativum*, ut si quis solum reflexe non recordatur, se dixisse vel peregisse, quae ad sacramenti essentiam pertinent, nihil est repetendum.

2. Si dubium de valore sacramenti est prudens et rationabile, omnia sacramenta iterari *possunt*, et quaedam etiam iterari *debent*; iteranda autem sunt sub conditione, ut consulatur reverentiae, quae sacramento debetur.

a. Omnia iterari possunt: periculum enim, quod prudenter timetur, ne suscipiens carere debeat fructu sacramenti, est ratio sufficiens illud denuo conferendi: sacramenta enim sunt propter homines.

b. Quaedam iterari debent, quae scilicet suscipienti ad salutem sunt necessaria ut baptismus, absolutio moribundo existenti in peccato, extrema unctio moribundo peccatori sensibus destituto. Et haec quidem sacramenta repetenda sunt, etsi dubium de eorum valore sit tantum tenue, modo „non sit aperte vanum“, id quod praesertim de baptismo valet propter summam eius necessitatem. Insuper sacramenta iterari debent, si bonum religionis id necessario exigit, ut si de consecratione dubitatur, ne periculum idololatriae admittatur, vel si de ordine dubitatur, ne forte postea sacramenta invalide administrentur.

Utrum sacramentum, quod ad salutem non est necessarium ut confirmatio, matrimonium, extrema unctio, ubi infirmus sui compos alia sacramenta iam suscepit, denuo conferri etiam *debeat*, ex his adiunctis diiudicandum est: quantum sit dubium de valore, quanta sit utilitas suscipientis, quantum incommodum ministro afferat iteratio.

c. Sub conditione: conditione enim apposita (e. g. si nondum est baptizatus, absolutus), ut ex infra dicendis

patebit, sacramentum frustrari nequit; ideo hoc modo reverentiae, sacramento debitae, meliori qua fieri potest ratione consulitur.



Quaestio tertia.

De ministro sacramentorum.

Minister *principalis* sacramentorum est ipse Christus; homines autem tamquam ministri *secundarii* et instrumentales nomine Christi sacramenta dispensant. Ad valide dispensanda sacramenta in ministro *potestas divinitus concessa* requiritur, quia solus Deus efficere potest, ut actio ministri gratiam conferat. Haec potestas pro diversis sacramentis diversa esse debet, ut suis locis dicetur. Distinguitur minister *ordinarius* et *extraordinarius*. Insuper notandum est hoc discrimen inter ipsa sacramenta: alia enim exigunt ministrum *consecratum*, alia autem, baptismus scilicet et matrimonium, ministrum consecratum non exigunt. Cum aliud sit sacramentum valide, aliud sacramentum licite administrare, aliae etiam conditiones ad validam, aliae ad licitam sacramenti administrationem requiruntur. Iam vero quaenam conditiones sive ad validam sive ad licitam administrationem praeter potestatem ministri adesse debeant, hoc loco exponendum est.

Articulus primus.

De attentione ministri.

10. *Attentio* est actus intellectus, scilicet applicatio mentis ad ea, quae peraguntur. Alia est *interna*, quae definitur ipsa advertentia mentis ad id, quod agitur; alia *externa*, quae consistit in absentia omnis actionis externae, quae cum attentione interna simul consistere nequit; at-

tentio igitur externa aliud non exigit, nisi ut ritus externus humano modo ponatur.

a. Ad *validam* sacramentorum administrationem requiritur et sufficit *attentio externa:* illa enim attentio requiritur et sufficit, quae in omni actu vere humano invenitur: minister enim agere debet ut ens rationale, ideoque modo humano; ad hoc autem requiritur et sufficit attentio externa. Ergo minister etiam distractus et de aliis rebus simul cogitans valide confert sacramenta.

b. Ad *licitam* autem sacramentorum administrationem talis requiritur *attentio interna*, ut absit omnis voluntaria distractio: reverentia enim sacramentis debita et obligatio vitandi periculum erroris in collatione sacramentorum internam quoque attentionem postulant.

Voluntaria distractio in administratione sacramentorum venialem culpam non excedit, nisi minister se exponat periculo errandi in iis, quae ad essentiam pertinent ideoque frustrandi sacramentum. Iuxta quosdam auctores, propter dignitatem tanti sacramenti, etiam voluntaria distractio in confectione eucharistiae grave peccatum est; haec tamen sententia non est certa.

Articulus secundus.

De intentione ministri.

11. *Intentio* est actus voluntatis, quo aliquid agere vel omittere volumus seu intendimus. Tripliciter considerari potest: *in se* prout est actus voluntatis; *secundum obiectum*, quod voluntas intendit; et *secundum modum*, quo actus voluntatis in obiectum tendit. Si secundum se consideretur, quadruplex diversa intentio distinguenda est.

Actualis ea dicitur, quae hic et nunc habetur, quando opus peragitur. Intentio igitur actualis adest et ab agente advertitur, dum opus ex eius influxu ponitur. Haec intentio ratione obiecti potest esse explicita vel implicita, de quibus infra.

Virtualis ea dicitur, quae antea habita et nunquam retractata est, adeo ut eius vi et virtute nunc opus fiat, etsi ab agente non advertitur.

Intentio actualis et virtualis in eo conveniunt, quod utraque adest et in opus influit; discrimen autem inter utramque hoc esse videtur, quod illa adest et ab agente advertitur, haec vero ab agente, qui de aliis rebus cogitat, non advertitur, licet adsit atque ad agendum moveat. Pari modo inter attentionem internam et externam hoc discrimen esse videtur, quod agens illius conscientiam habet, huius vero non habet. Quocirca attentio externa non ideo dicitur externa, quia nullo modo interna est, sed quia reflexa seu cum conscientia coniuncta non est [1]).

Habitualis illa dicitur, quae aliquando habita et nunquam retractata est, sed in opus non influit. Haec ergo intentio etiam in amentibus et ebriis adesse potest.

Sacerdos e. g. celebraturus elicit intentionem consecrandi, hoc actu voluntatis motus se praeparat, pergit in sacristiam, induit sacras vestes, procedit ad altare, omnia rite absolvit usque ad consecrationem. Porro licet ad consecrationem intentionem consecrandi non renovet, imo alia cogitans ne advertat quidem, tamen habet intentionem *virtualem*, ex cuius influxu verba consecrationis profert. Et qui heri proposuit, cras facere sacrum pro amico et hodie, non impulsus hesterno proposito imo illius prorsus immemor, sacrum facit, dicitur habere intentionem *habitualem* offerendi pro amico [2]).

Interpretativa ea dicitur, quae nunquam adfuit, quae tamen propter inclinationem voluntatis in obiectum adesset, si illud in mentem veniret.

Iam *de intentione secundum se* considerata haec principia statuenda sunt.

1. Intentio *actualis* optima et valde suadenda est, ad sacramenta autem valide administranda non requiritur: nec enim ex rei natura nec ex ulla lege positiva praecipitur; ipsa insuper, attenta fragilitate humana, moraliter impossibilis est; affirmari autem nequit, Christum ad valorem sacramentorum aliquid exegisse, quod eorum ministris moraliter impossibile est.

2. Intentio *virtualis* requiritur et sufficit: cum enim actio sacramentalis a ministro sacramentorum ponenda sit humano et morali modo i. e. ita ut libera voluntas sit causa actionis, virtualis intentio certe requiritur; cum autem ex rei natura id unum exigatur, ut actio sacramentalis

---

[1]) Cf. *Ballerini-Palmieri* n. 14.

[2]) *Sporer* n. 107. 109.

ex deliberata voluntate procedat, intentio virtualis etiam sufficit.

3. Intentio *habitualis et interpretativa* ad sacramenta valide conficienda non sufficit: nam ut validum sit sacramentum, ex intentione ministri illud confici debet, atqui intentio habitualis et interpretativa in opus non influit, quare si minister aliam non habet, sacramentum ex eius intentione non conficitur.

12. Secundum *obiectum volitum* intentio consideratur, si id spectatur, quod agens facere vult et intendit. Iam prout hoc obiectum volitum diverso modo ab intellectu repraesentatur et a voluntate intenditur, distinguenda est *a.* intentio *clara* et *confusa* prout obiectum clare menti repraesentatur vel non, sic baptizans, qui sacramentum regenerationis conferre intendit, claram, qui facere intendit, quod vidit parochum facientem, confusam intentionem baptizandi habet; *b. determinata* et *indeterminata* prout obiectum volitum certum et definitum aut vagum et indeterminatum a mente concipitur; qui e. g. e decem missarum intentionibus diversis unam definitam persolvere intendit, determinatam, qui vero illarum unam, quin definiat qualem, persolvere intendit, indeterminatam intentionem habet; *c. explicita* et *implicita,* prout res, quae intenditur, ipsa in se expresse a mente cogitatur et intenditur, vel ipsa expresse non cogitatur, sed in alio, quod expresse cognitum et volitum est, continetur vel cum eo connectitur. Sic explicite cogitans et intendens suscipere subdiaconatum, sed nihil cogitans de obligatione servandi castitatem, quae ordini adnexa est, implicite simul vult et intendit suscipere hanc obligationem. De intentione *secundum obiectum* spectata haec principia valent.

1. Ad sacramentum valide conficiendum non requiritur, ut minister velit conferre sacramentum aut effectum sacramenti; nec ut velit conferre hoc sacramentum (baptizare, confirmare); nec ut velit facere, quod facit ecclesia *catholica* vel ecclesia *romana;* sed requiritur saltem *intentio implicita faciendi, quod facit ecclesia* (vera) seu

faciendi, quod Christus instituit[1]). Requiritur sane aliquo modo intentio conficiendi sacramentum; actio enim, qua materia et forma applicantur, nondum est ad sacramentum determinata, sed determinanda est per intentionem ministri, per quam ad finem sacramentalem ordinatur; atqui in intentione faciendi, quod facit ecclesia, confuse et implicite illa intentio continetur; ergo illa saltem requiritur. Ad hanc autem intentionem habendam sufficit, ut velit peragere ritum, quem vidit vel audivit fieri ab ecclesia Christi seu quem vel ipse vel alii habent pro sacro: in hac enim intentione implicite continetur intentio faciendi, quod facit ecclesia.

a. Ergo certo non conficeret sacramentum, qui positive nollet facere, quod Christus instituit, vel quod ecclesia catholica facit. Pariter qui solum ritum externum ponere vellet, i. e. hanc materiam ponere et haec verba proferre. Item qui integrum ritum externum puta baptismi poneret alio fine e. g. alium abluendi, ioci, irrisionis, exercitii causa.

b. Ergo haereticus, qui ex errore putaret, nulla esse sacramenta, vel sacramenta nullam conferre gratiam, posset tamen valide baptizare vel consecrare. Item haereticus, qui ecclesiam romanam catholicam haberet pro falsa, suam autem sectam pro vera ecclesia, pariter posset valide baptizare. Imo valide baptizat infidelis, modo velit ponere ritum, quem christiani habent pro sacro.

2. Intentio debet esse *determinata* ad certam materiam vel ad certam personam: hoc namque postulant ipsa verba formae sacramentalis (ego *te* baptizo; *te* absolvo; *hoc* est corpus meum), quae designant certam materiam vel certam personam aliquo modo praesentem. Error tamen ministri circa personam petentem sacramentum vel circa quantitatem materiae consecrandae non reddit sacramentum invalidum (excepto matrimonio), modo intendat conferre sacramentum petenti vel consecrare materiam praesentem, quam quidem intentionem semper habere censetur, nisi eam expresse restringat ad determinatam personam vel ad definitam materiam.

Qui ergo intenderet ex pluribus particulis in corporali positis unam consecrare, vel tempore pestis ex pluribus moribundis in nosocomio aliquem absolvere, non determinando qualem, nihil faceret. Et si quis e. g. ab-

[1]) Conc. Trid. sess. 7. can. 11. Propos. 28. *Alexandri VIII.*

solvens poenitentem, quem putat esse Petrum, cum tamen sit Paulus, intenderet absolvere Petrum et non alium, neminem absolveret; et si quis consecrans, ut ipse censet, tres particulas, cum tamen sint quatuor, intenderet consecrare tantum tres, nullam consecraret. Quare optimum est, intentionem dirigere in materiam vel personam praesentem, quaecunque illa quidem sit; tunc enimvero, ut sistamus in exemplis mox allatis, absolvitur Paulus, licet putetur esse Pétrus, et consecrantur quatuor particulae, licet censeantur esse tantum tres.

13. *Secundum modum,* quo voluntas in obiectum fertur, distinguenda est intentio *absoluta* et *conditionata*, prout voluntas independenter ab omni eventu aut circumstantia, vel solum dependenter ab aliquo eventu vel circumstantia in obiectum fertur. Conditio autem apposita potest esse *de praesenti:* si vivis, ego te baptizo, vel *de praeterito:* si restituisti, ego te absolvo; vel *de futuro:* si cras pluet, ego te baptizo.

1. Sacramentum collatum sub conditione *de praesenti vel de praeterito* valet, si conditio impleta est; si autem conditio non subsistit, nullum est: si enim conditio apposita subsistit, intentio conferentis sacramentum transit in absolutam; si autem conditio apposita non subsistit, deest intentio conferendi sacramentum. Ergo effectus sacramenti, quod confertur sub conditione de praesenti vel de praeterito, semper est certus: aut validus aut nullus.

2. Sacramentum collatum sub conditione *de futuro* nullum est: non enim valet statim quando ponitur actio sacramentalis, quia tunc deest intentio conficiendi sacramentum, nec valet postea quando impleta conditione habetur intentio ministri, quia tunc non amplius existit materia et forma sacramenti. Ergo sacramentum hac ratione collatum nunquam potest esse validum, quam ob rem nunquam licet sub conditione de futuro sacramentum conferre (excepto matrimonio).

3. Ex iusta causa licitum est sacramentum conferre sub conditione de praesenti vel de praeterito: quod enim validum esse potest, in casu necessitatis etiam licitum est.

a. Iusta causa conferendi sacramentum sub conditione adest, quoties sacramentum absolute collatum exponeretur periculo nullitatis, absolute autem negatum privaret hominem effectu sacramenti aut necessarii aut

saltem valde utilis, ut si dubitatur, utrum homo baptizandus vel absolvendus vel ungendus adhuc vivat, utrum materia valida sit etc.

b. Conditio autem in his adiunctis apponenda est, ut consulatur reverentiae sacramenti: etenim si conditio verificatur, sacramentum valide collatum est, si autem conditio non verificatur, reipsa non confertur sacramentum. Quod autem in hoc casu materia et forma frustra applicentur, caret culpa, quia sacramenta sunt propter homines.

An conditio apponenda verbis exprimi debeat. — Ubi hoc praescribit rubrica, uti in baptismo et extrema unctione, conditio ore apponenda est; si autem lege positiva id non praecipitur, sufficit, ut mente concipiatur: conditio enim afficit intentionem; haec autem ad validitatem sacramenti ore exprimi non debet; ergo nec illa.

Articulus tertius.

De fide et probitate ministri.

14. 1. Ad valide administranda sacramenta in ministro nec fides nec probitas seu status gratiae requiritur: ad validam enim sacramentorum administrationem, supposita potestate conferendi sacramentum, praeter materiam et formam cum debita intentione in ministro quidem aliud non requiritur[1]**: nam sacramenta suum valorem non habent ex meritis ministri, sed ex virtute et meritis Christi; materiam autem et formam cum debita intentione etiam haereticus et impius applicare potest.**

Ergo valide baptizare potest etiam infidelis et haereticus, et valide ordinare potest etiam episcopus apostata et haereticus. Ideo ecclesia baptismum vel ordinem ab haereticis aut improbis collatum semper ut validum agnovit.

2. Ad licite autem administranda sacramenta tum fides tum probitas seu status gratiae in ministro requiritur: sancta enim sancte tractanda sunt; qui ergo in statu peccati administrat, in sacramenta eorumque auctorem irreverentiam proindeque peccatum committit.

Quocirca si sacerdos sacramentum administraturus cognoscit, se esse in statu peccati mortalis, tenetur antea contritionem elicere; ad confessionem autem, etsi suadenda sit, non tenetur nisi velit celebrare vel nisi perfectam contritionem elicere non possit.

---

[1]) Conc. Trid. sess. 7. can. 12.

3. Ad licite administranda sacramenta insuper requiritur, ut minister sit *immunis a censuris et ab irregularitate.*

a. Si *excommunicatus* (vitandus) vel suspensus (vitandus) sacramentum administrat, sacramentum validum est, excepto sacramento poenitentiae, quia excommunicatus (vitandus) iurisdictione privatur; administratio autem per se graviter illicita est et administrans irregularitatem incurrit. Dicitur *per se,* quia sunt casus (gravis incommodi, gravis scandali et gravis necessitatis proximi) in quibus etiam excommunicatus (vitandus) sacramentum administrare potest.

b. Si *irregularis* sacramentum administrat, sacramentum pariter validum est, etiam poenitentia, quia irregularis non privatur iurisdictione, sed solum licentia exercendi ordinem susceptum; administratio autem per se (exceptis iisdem casibus) graviter illicita est, quin tamen minister irregularis praeter grave peccatum aliam poenam incurrat.

15. *Quale peccatum sit, sacramentum administrare in statu peccati.*

1. Status gratiae certo sub gravi requiritur in ministro, qui ad sacramenta conficienda est consecratus et eadem ex officio et solemniter i. e. tamquam consecratus et cum integro ritu ab ecclesia praescripto confert. Et sane *a.* qui sacramentum conficit, non solum rem sanctam tractat, sed insuper ad sanctificandum hominem sua actione immediate cooperatur: sancta autem sancte tractanda sunt. *b.* Qui sacramentum conficit, personam Christi gerit, qui est sanctus, imo sanctus sanctorum, ideo et ipse sanctus esse debet. *c.* Sacerdos, qui sacramentum conficit, per sacramentum ad digne conficienda sacramenta consecratus est et speciali gratia adiuvatur; qui autem ad aliquod munus speciali modo deputatur et consecratur, eo ipso obligationem suscipit illud digne obeundi; qui ergo vi muneris sacramentum conficit ad hominem sanctificandum, dum voluntarie est inimicus Dei et peccati sorde inquinatus, gravem irreverentiam committit in sacramentum a Christo institutum.

2. An peccatum grave committat *a.* ordinatus, qui conficit et ministrat sacramentum privatim, non ex officio; *b.* non ordinatus, qui conficit et ministrat sacramentum; *c.* ordinatus, qui administrat quidem, sed non conficit sacramentum; *d.* qui alias functiones sacras peragit, sive sint

exercitium alicuius ordinis, ut si diaconus vel subdiaconus in sacro solemni ministrat, sive non sint, ut si parochus nuptiis benedicit, — non una est auctorum sententia; affirmans autem maiorem minoremve probabilitatem non superat. Qui enim irreverentiam gravem in his casibus negant, opinantur irreverentiam gravem a ministro, qui conficit sacramentum in mortali, non ideo praecise committi, quia rem sacram indigne tractat et personam Christi repraesentat, sed quia ad conficienda sacramenta speciali consecratione et sanctitate donatus est. At levem aliquam irreverentiam plerumque committi, communiter conceditur.

3. Cum non sit statuendum peccatum grave nisi de eo certo constet, graviter non peccat:

a. Laicus, qui urgente necessitate in statu peccati mortalis baptizat; contrahentes in mortali matrimonium, quatenus ipsi ministri sunt; quatenus autem suscipientes sunt utique graviter peccant.

b. Sacerdos, qui quidem consecratus est, sed non agit qua talis seu qui sacramentum baptismi non ministrat solemniter, sed privatim absque caeremoniis in casu necessitatis.

c. Sacerdos vel diaconus, qui ministrat eucharistiam vel eandem tangit aut defert in mortali; item parochus in mortali matrimonio assistens, quia non conficiunt sacramentum. *S. Alphons.* (n. 35.) quoad dispensationem eucharistiae, sive a sacerdote fit sive a diacono, sententiam severiorem tamquam veram sequitur.

d. Sacerdos, qui audit confessionem, sed non absolvit, vel alias functiones sacras praeter collationem sacramenti exercet; *Diaconus*, qui in sacro solemni assistit, etsi ordinem exerceat; item *Concionator*, qui in mortali sermonem sacrum habet.

e. Episcopus, qui in mortali chrisma conficit, calicem benedicit, templum consecrat, primam tonsuram vel minores ordines confert, quia non conficit sacramentum, licet ordinem exerceat.

f. Imo nec sacerdos, qui solemniter ministrat in mortali, sed urgente necessitate, ut si moribundo sacramenta essent conferenda: quia hinc quidem non potest tam cito perfectam contritionem elicere, inde vero nimis durum esset, si teneretur semper paratus esse ad sacramenta ministranda in statu gratiae. Excipiunt tamen parochum aliosque, qui quovis momento vocari possent et ex officio sacramenta administrare debent et proinde speciali obligatione tenentur, semper in statu gratiae permanere. S. Alph. n. 33.

Quot peccata committat, qui in mortali pluribus eucharistiam ministrat. — Quaestio haec supponit, in mortali ministrare eucharistiam, esse mortale peccatum, id quod tenet

s. Alphons. Itaque secundum eundem *s. Alphons.* (n. 35.) *probabilior* est sententia, quae docet, unicum tantum committi peccatum, quia plures distributiones sunt una actio moralis et unum convivium; quae unitas etiam inde cernitur, quod orationes ex rituali in initio et in fine dicendae semel tantum recitantur.

Articulus quartus.

De obligatione ministrandi sacramenta.

16. Quoad sacramenta ministranda alia est obligatio pastorum et alia eorum, qui non sunt pastores. Illi enim *ex officio* sacramenta ministrare tenentur; hi solum *ex caritate* tenentur, quare illorum obligatio eiusque extensio ex iustitia et caritate, horum vero obligatio solummodo ex caritate desumitur. Ex officio autem sacramenta administrare tenentur ii omnes, quibus cura animarum tamquam munus demandata est: episcopi, parochi, horum coadiutores seu vicarii et quoad regulares horum superiores.

1. *Obligationes pastorum.*

a. Pastores tenentur per se sub gravi ex iustitia administrare sacramenta suis subditis rationabiliter petentibus, si absque gravi incommodo possunt: suscipiendo enim munus pastorale ex tacito contractu ad id se obligarunt. Subditi autem rationabiliter petere censentur non solum quando propter necessitatem, sed etiam quando propter utilitatem spiritualem sacramenta petunt, e. g. si quis petit, quia in tentatione est vel indulgentiam lucrari potest vel ne debeat in peccato manere. Gravitas peccati, quod pastor committit, ex damno spirituali subditorum dimetienda est.

Hinc qui irrationabiliter vel tempore importuno petenti denegat sacramenta, non peccat, qui e. g. scrupulosos vel devotulas non semper audit, quoties se sistunt. Qui una alterave vice denegat sacramenta ei, qui non versatur in necessitate spirituali, leviter tantum peccat, quia damnum facile reparari potest. Qui autem saepius se difficilem et morosum praebet in administrandis sacramentis graviter peccat, quia fideles a sacramentis suscipiendis hac sua agendi ratione deterret. Item graviter peccat, qui raro et solum statis diebus (singulis mensibus una alterave vice) con-

fessiones excipit, quia sacramenta fidelibus reddit onerosa et sic eosdem ab illis avertit.

b. Sacramenta necessaria tenentur ministrare non solum cum gravi suo incommodo, sed etiam cum sanitatis vel vitae periculo subditis, qui in extrema imo etiam iis, qui in gravi necessitate spirituali versantur.

Sacramenta *necessaria* sunt baptismus, poenitentia et extrema unctio pro iis, qui sensibus destituti, sunt antequam absolvi poterant. Haec igitur sacramentá etiam tempore morbi contagiosi cum gravi vitae periculo administrari debent.

In *necessitate spirituali* reperitur, qui est in periculo amittendae salutis.

In *extrema necessitate* spirituali reperitur, qui sibi consulere non potest ideoque absque alieno auxilio est in periculo aut simpliciter aut moraliter certe amittendi salutem. In extrema necessitate sunt infantes decendentes sine baptismo; infideles et haeretici in mortis periculo; peccatores moribundi, qui ignorant sibi necessariam esse contritionem aut quomodo sit elicienda, ideo de illa habenda non cogitant.

In *gravi necessitate* spirituali reperitur, qui sibi solum cum magna difficultate consulere potest ideoque sine alieno auxilio in probabili periculo est amittendae salutis ut peccatores moribundi, qui curam salutis negligentes parum christiane vixerunt.

In *communi necessitate* spirituali reperitur, qui adhibendo aliquem conatum sine difficultate sibi consulere potest. In hac necessitate ordinarie versantur christiani moribundi, qui satis pie vixerunt et officia christiana diligenter impleverunt.

c. Non tenentur tamen ipsi per se ministrare sacramenta, sed per vicarios suos huic muneri satisfacere possunt, praeterquam si a poenitentibus vel moribundis nominatim requirantur et gravioribus negotiis non sint impediti. Sacra autem congregatio concilii a Gregorio XIII. approbata (1576) declaravit, parocho non licere tempore pestis recedere, etsi relinquat suo loco vicarium idoneum; licere tamen sibi curam sanorum reservare, si vicarius paratus sit aegrotorum curam suscipere, ne scilicet sani ipsum, quem vident ad pestilentes accedere, reformident.

2. *Obligationes eorum, qui non sunt pastores.*

a. Qui pastores non sunt, sacramenta administrare ordinarie solum tenentur, si commode possunt idque non sub gravi; ei autem, qui in gravi necessitate versatur,

tenentur et ipsi sacramenta praebere sub gravi, si sine magno incommodo possunt.

b. Sub gravi et cum magno incommodo imo etiam cum gravi vitae periculo tenentur solum aliis deficientibus et solum iis, qui in extrema necessitate versantur i. e. moribundis, qui absolutione sacramentali vel extrema unctione indigent et infantibus, qui sine baptismo decedunt.

3. Ut statui possit obligatio gravis administrandi sacramenta eaque cum vitae periculo, sive agatur de pastoribus sive de iis, qui pastores non sunt, requiritur *a*. ne ex hac obligatione maiora mala sequantur, ut si deficiente sacerdote plurium aliorum salus in periculum adduceretur; *b*. ut necessitas proximi sit certa; *c*. ut spes sit moraliter certa salvandi proximum.

Articulus quintus.

De obligatione denegandi sacramenta.

17. Ex voluntate Christi sacramenta licite ministrari non possunt nisi dignis; quare minister ante dispensationem notitiam de dignitate recipientis habeat oportet. Haec autem notitia non in omnibus sacramentis debet esse eadem: in aliis enim (in baptismo adultorum, poenitentia, ordine et matrimonio) positive de dispositione recipientis iudicare debet; in aliis vero sufficit, ut non constet de eius indignitate.

1. Minister tenetur per se sub gravi sacramenta negare indigne petentibus. Indigne petit, qui cognoscitur esse in statu peccati mortalis absque voluntate sese emendandi. *a*. Minister fidelis enim bona dispensare debet iuxta voluntatem domini; Christus dominus autem expresse monet, ne sacramenta dispensentur indignis: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos* [1]). *b*. Insuper proxime cooperatur ad gravissimum sa-

[1]) Mt. 7, 6.

crilegium. Moraliter tamen certo constare debet de indignitate petentis sacramentum: si enim non adesset nisi dubium aut probabilis suspicio, posset sacramentum conferri, quia in dubio quilibet praesumendus est bonus. c. Tandem grave scandalum paterentur fideles, si viderent peccatori indisposito ac impoenitenti administrari sacramenta.

Sicut indigno ita pari ratione etiam *incapaci* administrari non possunt sacramenta: frustratur enim eorum effectus. Qui ergo indigno vel incapaci aliquod sacramentum confert, per se grave sacrilegium committit.

2. Ex gravissima tamen causa licitum est sacramenta administrare indigne petentibus. Fidelitas enim in ministerio non exigit, ut sacramenta negentur, ubi sine gravissimo incommodo negari non possunt. Insuper cooperatio ad peccatum alterius materialis est; atqui cooperatio materialis ex causa proportionate gravi licita est; scandalum autem praecaveri debet.

Causae autem, ex quibus licitum est sacramentum dare indigno, ad has fere revocantur: ne violetur sigillum sacramentale; ne infametur, qui sacramentum petit, cuius occultum crimen ex denegatione notum fieret; ne oriatur scandalum et perturbatio fidelium, qui, si causam negationis ignorarent, a sacramentis arcerentur, cum sibi etiam repulsam timerent.

18. Ex his principiis iam fluunt regulae, quae in administratione sacramentorum servandae sunt, si quando peccator publicus vel occultus sive publice sive occulte sacramenta petit.

Peccator *publicus* seu notorius ille dicitur, cuius delictum communiter vel saltem tot personis iam notum est, ut celari amplius non possit. Peccator *occultus* dicitur, cuius crimen notum non fiet, quod ergo vel soli sacerdoti vel paucis tantum notum est, et tamdiu dicitur occultus, quamdiu spes est, fore ut eius crimen celari possit. Insuper crimen potest esse *absolute* publicum, si ad communem hominum notitiam iam devenerit, vel *relative* publicum, si ex praesentibus maior pars illud cognoverit. *Publice petere* dicitur, qui coram aliis, et *occulte*, qui coram solo ministro vel paucis aliis petit, quorum tamen nulla est habenda ratio, ut sunt pueruli.

1. Peccatori publico, sive occulte sive publice petit, deneganda sunt sacramenta: nulla enim in hoc casu existit ratio concedendi sacramenta; insuper grave scandalum pararetur fidelibus. Dubium in applicanda hac regula

oriri potest, si crimen petentis sit relative tantum publicum. Porro sacramenta in hoc casu neganda non sunt nisi sint pauci, qui crimen adhuc ignorent [1]).

2. Peccatori occulto occulte petenti pariter neganda sunt sacramenta; valet enim in hoc casu utraque ratio supra exposita, nisi eius crimen cognitum sit ex confessione: nam propter sigillum sacramentale nunquam negandum est sacramentum ob crimen in confessione auditum.

3. Peccatori occulto publice petenti non sunt neganda sacramenta, ne infametur et ne fideles, qui repulsam sibi quoque timerent, a sacramentis arceantur.

a. Ab hac regula excipiendum est *α.* sacramentum *poenitentiae,* ad quod non solum admitti debet, qui illud serio petit, sed per se quilibet etiam absolvendus est, qui iudicatur dispositus. Insuper *β.* excipiendum est sacramentum *matrimonii,* ad quod ineundum ecclesia ex gravissimis rationibus tum haereticos tum publicos peccatores admittit.

b. Ut igitur peccator publicus ad sacramentum *eucharistiae* admitti possit, non sufficit, ut sit dignus seu dispositus, sed insuper requiritur, ut eius dignitas aliis nota sit, ad evitandum aliorum scandalum. Attamen ut eius dignitas aliis nota fiat, non requiritur aliquod tempus bonae conversationis, sed aliis de ea sufficienter constat, si publice coram aliis, qui eius emendationem mox evulgabunt, confessus est. Quare publice peracta confessione ordinarie statim etiam publice ad s. communionem admitti potest. Si tamen publico peccatori removendum est publicum scandalum, quod adhuc perdurat, sive eo quod versatur in occasione peccandi, sive eo quod impiam doctrinam sparsit etc., ordinarie ab ipso exigendum est, ut doctrinam revocando vel occasionem dimittendo etc. scandalum removeat, priusquam ad s. communionem accedat.

An parochus possit assistere matrimonio eorum, quorum uterque aut unus est peccator publicus.

Parochus non est quidem minister sacramenti, si tamen tamquam testis assistit matrimonio eorum, quorum unus saltem est indignus, cooperatur sacrilegio, quod contrahendo committitur. Atqui haec cooperatio est materialis; quamvis ergo absque causa iusta licita non sit, ex causa tamen proportionate gravi certe permitti potest. Causa autem iusta est bonum contrahentium, bonum partis innocentis et bonum communitatis. An unus contrahentium possit

---

[1]) *Ballerini-Palmieri* n. 55. *Lehmkuhl* n. 39, 3.

alteri, qui est indignus, administrare sacramentum, dicetur suo loco.

19. *De simulatione sacramentorum.* Simulatio est positio actionis, quae aliud significat quam agens in mente habet, cum praevisione alios actionem false accepturos esse atque adeo deceptum iri. *Simulatio sacramenti* est positio actionis sacramentalis, quin conficiatur sacramentum, cum praevisione alios, qui defectum non advertunt, falso iudicare, verum confici sacramentum. Duplex distinguitur simulatio: *formalis*, qua deceptio aliorum intenditur, et *materialis*, qua deceptio aliorum praevisa solum permittitur.

A simulatione sacramenti distinguenda est *sacramenti dissimulatio*, quae est positio actionis non sacramentalis in iis adiunctis, in quibus alii falso iudicant, conferri sacramentum. Dissimulatio eo fine locum habere solet, ut sacramenti negatio vel ipsi suscipienti vel aliis occultetur.

Ergo sacramentum simulat, *a.* qui profert formam sacramenti super materiam sine intentione conficiendi sacramentum; *b.* qui adhibet materiam ex occulto defectu invalidam; *c.* qui super materiam profert formam invalidam; et (propter analogiam) *d.* qui communicaturo porrigit hostiam non consecratam pro consecrata.

Non simulat sed dissimulat sacramentum, qui poenitentem indispositum cum sola benedictione dimittit, ne adstantes advertant illum sine absolutione dimitti; pariter qui ex condicto cum communicaturo solum verba: *Corpus D. N. J. Ch.* profert, quin sacram hostiam praebeat.

1. Nunquam licet sacramentum sive formaliter sive materialiter *simulare*, ne ad mortis quidem periculum declinandum, cum simulatio etiam materialis sit in se et intrinsecus mala, proptereaque ab Innocentio XI. damnata est haec (29) propositio: „urgens metus gravis est causa sacramentorum administrationem simulandi.“ Simulatio enim, etiam materialis tantum, est abusus rei sacrae a Christo ad sanctificandum hominem unice institutae; est ergo gravissima iniuria Christo irrogata. Et si simulatio committitur in conficienda eucharistia, alii insuper ad idololatriam materialem inducuntur; si autem in distribuenda eucharistia committitur, saltem haec inductio ad materialem idololatriam intervenit. Quare nunquam licet ad

evitandam sacrilegam communionem porrigere hostiam non consecratam, neque scienti et consentienti: gravius enim peccatum est simulatio ipsa communione sacrilega[1]). Insuper qui sacramentum simulat, committit „mendacium sacrilegum et graviter nocivum“[2]). Quid de matrimonio ficte contracto statuendum sit, infra dicetur.

2. Sacramentum *dissimulare* ex iusta causa licet: in dissimulatione enim nullus accidit abusus rei sacrae, sed solum permittitur deceptio proximi circa administrationem sacramenti, id quod ex iusta causa licite fieri potest. In audiendis scilicet confessionibus quandoque accidit, ut data simplici benedictione et quibusdam orationibus recitatis negatio absolutionis aliis occultanda sit, ne sigillum frangatur aut ne poenitens infametur.

Quaestio quarta.

De subiecto sacramentorum.

20. Subiectum sacramentorum ille dicitur, qui sacramentum suscipit et gratia sacramenti capax est. Omnia sacramenta excepta eucharistia in subiecto conficiuntur, cui administrantur. Ex voluntate Christi, institutoris sacramentorum, solus homo in statu viae est subiectum capax effectus sacramentorum, cuius quidem voluntatis divinae haec est ratio: sacramenta instituta sunt ad gratiam primo conferendam vel augendam; ex praesenti ordine providentiae autem solus homo viator capax est primae gratiae vel eiusdem augmenti: damnati enim primae, beati in coelis et animae in purgatorio secundae gratiae non sunt capaces. Quid tum ad validam tum ad licitam sacramentorum (eorum praesertim, quae pro omnibus instituta sunt)

[1]) Cf. *Viva* in propos. 29. ab Innoc. XI. damn. n. 7.
[2]) *Lehmkuhl*. n. 44.

susceptionem requiratur, iam paucis exponendum est. Quae tamen hic generatim dicuntur, intelligenda sunt „exceptis excipiendis", de quibus infra, ubi de singulis sacramentis agendum erit, dicetur.

Articulus primus.

De sacramentis valide suscipiendis.

21. 1. Ad sacramenta valide suscipienda (excepta poenitentia) *nec probitas nec fides* in suscipiente requiritur; quare ecclesia baptismum et ordines haereticis vel impiis collatos semper pro validis habuit.

2. In infantibus et perpetuo amentibus nulla requiritur *intentio* ad suscipienda sacramenta, quorum sunt capaces: intentionem enim, quam habere nequeunt, supplet intentio Christi et ecclesiae. Quatuor autem sacramentorum ipsi sunt capaces: *baptismi*, quem suscipere possunt et debent; *confirmationis*, quam suscipere quidem possunt, sed non debent; *eucharistiae*, quam nunc ex voluntate ecclesiae suscipere non possunt; *ordinis*, quem nunquam licite suscipere poterant.

3. In adultis i. e. in iis, qui rationis sunt compotes, ad valide suscipienda sacramenta requiritur *intentio* et quidem saltem *habitualis implicita* suscipiendi tale sacramentum. Quare non sufficit, ut sacramentum positive non respuant, sed omnino requiritur *positiva voluntas* suscipiendi sacramentum, eaque vera et seria, siquidem ex voluntate Christi in adultis susceptio debet esse voluntaria. Sufficit autem intentio *habitualis*, quia ad recipiendum donum et beneficium, quale est sacramentum collatum, alia intentio non requiritur. Imo sufficit intentio habitualis *implicita*, quae scilicet continetur in voluntate faciendi omnia, quae ad salutem sunt necessaria, aut in voluntate vivendi et moriendi more catholico: in illa enim voluntate continetur intentio suscipiendi sacramenta, quae ad salutem sunt necessaria, in hac vero sacramenta, quae ecclesia

fidelibus in certis conditionibus constitutis conferre solet. Et ista quidem intentio habitualis implicita pro confirmatione, viatico et extrema unctione *certo* sufficit, pro baptismo autem, in iis, qui baptismum eiusque necessitatem ignorant, *probabiliter* solum sufficere videtur[1].

a. Ergo valide conferuntur sacramenta dormientibus, ebriis et illis, qui post adeptum usum rationis inciderunt in amentiam. Attamen non possunt iis valide administrari sacramenta, nisi antea habuerint voluntatem saltem implicitam eadem suscipiendi. Si ergo sint, qui affirment, ad sacramenta valide suscipienda sufficere etiam intentionem *interpretativam*, id concedendum est, si hoc nomine intentio habitualis intelligitur, ita scilicet, ut actualis saltem implicita praecesserit et nunquam retractata fuerit et nunc adesset, si cogitatio sacramenti incideret; si autem intentio interpretativa intelligitur, quae nunc adesset, si cogitatio sacramenti incideret, licet antea nulla huius sacramenti cogitatio et voluntas habita fuerit, haec intentio profecto nihil valet.

b. Infirmis sensibus destitutis, quod intentionem attinet, valide conferri possunt sacramenta (confirmatio, absolutio, viaticum, extrema unctio), nisi constet ipsos usque ad deliquium impoenitentes mansisse, quia merito supponuntur habere intentionem habitualem implicitam suscipiendi illa sacramenta. Vix enim erit homo fidelis, pie et christiane vivens, qui nunquam habuerit voluntatem, tum recipiendi media, quae fidelibus in hunc finem conceduntur, tum pie et christiane moriendi; sed in priori illa voluntate implicite continetur intentio confirmationis, in hac altera voluntate implicite continetur voluntas suscipiendi sacramenta, quae fidelibus in morte conceduntur. Insuper merito fideles supponuntur poenitentes, nisi manifesta signa impoenitentiae dederint; in quolibet autem actu contritionis vel attritionis implicite continetur voluntas faciendi, quae ad salutem sunt necessaria.

c. Hinc qui ficte tantum aut per iocum sibi sineret conferri sacramentum vel qui mere negative se haberet, dum ei confertur sacramentum,

---

[1]) *Lacroix* l. 6. n. 168. 288. *Lehmkuhl* n. 48. In contritione continetur voluntas seu propositum faciendi omnia, quae ad salutem sunt necessaria. Iam si quis baptismum eiusque necessitatem cognoscit, in illo proposito certe continetur voluntas suscipiendi baptismum; at sunt qui dubitent, num in voluntate faciendi omnia, quae ad salutem sunt necessaria, includatur voluntas suscipiendi baptismum, si quis baptismum eiusque necessitatem ignorat. Et sane, qui serio vult facere, quae ad salutem sunt necessaria, certe vult elicere contritionem perfectam; at non necessario vult re suscipere baptismum, cum baptismus re susceptus pro ipso non sit absolute necessarius. In desiderio autem contritionis perfectae continetur quidem votum baptismi; at implicite desiderare votum baptismi, non est implicite desiderare ipsum baptismum.

absque seria voluntate saltem implicita illud suscipiendi, nihil susciperet. Item si quis ignorans quid sit sacramentum, mere materialiter, sibi sineret aliquod conferri, illud non acciperet. Econtra qui ex metu etiam gravi et iniuste incusso suscipit sacramentum, valide illud suscipit, modo adsit intentio saltem implicita (excipiendum est matrimonium). Phreneticus, qui omnibus modis repugnaret volenti conferre extremam unctionem, valide eam susciperet ex intentione saltem implicita, quam ante morbum habuit.

d. Si suscipiens ex errore duas contrarias intentiones habet, aliam qua actu respuit, aliam qua habitu desiderat sacramentum, hoc ipsi conferri potest, ubi intentio illud suscipiendi praevalet. Utra intentio praevaleat, ex dispositione animi colligi debet: illa scilicet praevalet, quam retineret, si veritatem cognosceret.

4. Ad cetera sacramenta valide suscipienda praerequiritur baptismus valide susceptus: siquidem alia sacramenta pro solis membris ecclesiae instituta sunt; per solum autem baptismum homo fit membrum ecclesiae.

Sacramentum ergo, quod non baptizato confertur, nullum est, quia non baptizatus non est subiectum capax aliorum sacramentorum.

5. Ad sacramenta valide suscipienda nulla requiritur *attentio*. Et sane in suscipiente adulto aliud non requiritur, nisi ut susceptio sit voluntaria; ad hoc autem non requiritur attentio neque externa. Quam ob rem distractiones etiam voluntariae in ipso actu susceptionis non obsunt valori sacramentorum.

Hinc merito notat *Gury* (n. 229), frustra scrupulis aliquando poenitentes ex eo angi, quod distractiones passi fuerint dum absolvebantur, vel quod absoluti fuerint, quin ad id animadverterint. Attamen voluntariae distractiones in susceptione sacramentorum propter reverentiam eisdem debitam sedulo excludendae sunt. Licet enim voluntariae distractiones in suscipiendis sacramentis a mortali excusari possint, a veniali tamen minime excusantur: sancta enim sancte tractanda sunt.

Articulus secundus.

De sacramentis licite suscipiendis.

22. Ad sacramenta licite et fructuose suscipienda requiritur saltem ea dispositio, sine qua sacramenta effectum suum principalem, gratiam scilicet sanctificantem, producere nequeunt. Qui scienter sine hac dispositione sacramentum suscipit, illud effectu suo frustrat et hac ra-

tione gravissimum irreverentiae sacrilegium committit, idque gravius illo, qui sacramentum in statu peccati mortalis conficit. Quaenam dispositio in singulis sacramentis requiratur, infra exponendum erit; generatim dicendum est:

a. ad sacramenta *mortuorum* licite et fructuose suscipienda requiritur praeter intentionem attritio de peccatis commissis,

b. ad sacramenta *vivorum* licite et fructuose suscipienda requiritur praeter intentionem status gratiae.

23. *An liceat sacramenta petere et accipere a ministro indigno.*

Minister indignus dicitur, qui certo cognoscitur non administraturus sacramentum sine peccato mortali. Dicitur *certo:* si enim non cognoscitur certo indignus, praesumi debet dignus. Porro minister potest esse indignus aut quia scitur esse in statu peccati mortalis, aut quia censura innodatus est, qua sacramenta administrare prohibetur. Quoad hanc rem autem non est statuendum discrimen inter ministrum non excommunicatum et inter excommunicatum toleratum: ex concilio enim constantiensi quod communicationem cum excommunicatis toleratis concessit, non prohibentur fideles ab iisdem sacramenta petere, nisi quatenus cognoscuntur esse in peccato.

1. Per se non licet sacramenta petere et accipere a ministro indigno. Et sacramenta quidem *petere* non licet, quia caritas vetat, ne quem incitemus ad id, quod sine peccato aut facere non potest, aut facturus non est. *Recipere* autem non licet, quia non licet cooperari ad peccatum, quod administrans sacramentum in mortali committit. Praeter hanc cooperationis rationem, quae potissima est, duplex alia quandoque accedit, scandalum scilicet et periculum perversionis, quam indignus minister, praesertim si sit haereticus, tentare potest. Sine causa ergo certe non licet sacramenta accipere a sacerdote indigno, etiamsi ad eadem ministranda sit paratus et ultro sese offerat.

2. Ex iusta causa tamen licitum est sacramenta petere et accipere a ministro indigno. Ex causa enim proportionate gravi licitum est petere actionem, quam alter sine peccato praestare potest, licet praevideatur commissurus peccatum; atqui minister indignus sacramenta sine peccato conferre potest: siquidem per contritionem ad licitam ad-

ministrationem sese disponere potest; pari ratione licet peccato alterius ex iusta causa materialiter cooperari. Si tamen ob peculiarem censuram vel prohibitionem sine peccato sacramenta conferre non posset, non liceret sacramenta ab eo petere, quia nunquam licet alium ad peccatum inducere.

Causae vero iustae et proportionate graves, ex quibus etiam sacerdos indignus vocari vel adiri posset, hae sunt: ad administranda sacramenta aegroto; ad confessionem et communionem paschalem peragendam; ad baptizandum infantem; ad absolutionem recipiendam, ne quis diutius in statu peccati versari debeat; ad indulgentiam lucrandam.

3. Ab excommunicato autem vitando et a publico haeretico vel schismatico nunquam licet sacramenta petere et accipere, excepto casu necessitatis in articulo mortis: cum his enim quaevis communicatio in sacris sub gravi prohibita est; ipsi insuper sacramenta sine peccato administrare nequeunt, cum excepto casu necessitatis facultate ad id prorsus careant: accedit periculum scandali, quod ingeritur fidelibus, et periculum perversionis, quod imminet suscipientibus. In articulo mortis autem sacramenta necessaria etiam ab his peti et suscipi possunt.

Quaestio quinta.

De sacramentalibus.

24. *Sacramentale* etymologice significat omne id, quod ad sacramentum refertur, praesertim vero ceremoniam sacramentalem, quae scilicet in sacramentorum administratione observatur. Sacramentalia autem proprie et specifice prout in hac quaestione sumuntur definiri possunt: res et actiones sacrae ab ecclesia institutae, per quas ex potestate benedicendi eidem collata creaturae tum rationali tum irrationali fructus redemtionis applicantur. Tria ergo de ratione sacramentalis sunt: *a.* ut sit ab ecclesia institutum; *b.* ut alicui creaturae fructum redemtionis commu-

nicet; *c.* ut hunc effectum producat ex virtute benedicendi ecclesiae.

1. *Sacramentalia ab ecclesia instituta sunt.* Hac nota sacramentalia a sacramentis differunt, quae Christum habent auctorem; nihilominus affirmari potest et debet etiam sacramentalia (mediate) esse a Christo idque duplici sensu: *a.* quia vim et efficaciam suam ultimo hauriunt ex morte et passione Domini; *b.* quia ecclesia potestatem benedicendi, qua sacramentalia peraguntur, accepit a Christo. Quia ergo sacramentalia sunt institutionis ecclesiasticae, ex eorum numero excludi debent: oratio dominica, orationes fidelium, eleemosyna, benedictio, qua parentes filiis bene precantur etc.; non tamen omnes res et actiones sacrae ab ecclesia institutae ad sacramentalia pertinent.

2. *Sacramentalia vim suam habent ex potestate benedicendi ecclesiae a Deo collata;* ideo actiones sacrae, quibus non exercetur potestas benedicendi ut orationes ecclesiae, genuflexiones, tunsiones pectoris etc. non sunt sacramentalia. Christus ecclesiae suae non solum potestatem benedicendi contulit, verum etiam huius potestatis usum eidem iniunxit[1]); quam quidem potestatem ipsa ministris suis in ordinatione communicat[2]). Quare sacramentalia peragi non possunt, nisi a ministris ecclesiae potestate benedicendi insignitis; imo ex usu ecclesiae nunc vigente sacramentalia a solis sacerdotibus peragi possunt. Etsi enim lectores accipiant potestatem benedicendi novos fructus et exorcistae potestatem expellendi daemones, hac potestate tamen uti nemo potest absque licentia ecclesiae, quae ex hodierno usu solis sacerdotibus conceditur.

3. *Sacramentalia conferunt fructum redemtionis;* quare benedictiones quidem ecclesiae omnes merito inter sacramentalia censentur, quippe quae vel homini vel creaturae irrationali effectum redemtionis participent, res autem ab ecclesia benedictae illae tantummodo sacramentalia appellari possunt, quae ideo benedicuntur, ut ex earum pio usu gratia redemtionis in hominem redundet ut aqua lustralis, agnus Dei, coronae, palmae, scapularia etc.

25. Sacramentalia *dividuntur* 1. ratione *obiecti* in actiones et res, prout fructus redemtionis sive personae sive creaturae irrationali applicatur immediate aliqua benedictione vel mediate scilicet mediante re benedicta. Benedictiones dicuntur sacramentalia *transeuntia* et comparantur cum sacramentis, quae actione transeunte conficiuntur; res benedictae dicuntur sacramentalia *permanentia* et compa-

---

[1]) Mt. 10, 12. 13. Mc. 16, 17. 18. Lc. 10, 5. 6.

[2]) Cf. Pontificale rom. in ordinatione presbyteri et consecratione episcopi ad unctionem manuum.

rantur ss. altaris sacramento, quod in esse premanet et usu effectum suum producit.

2. Sacramentalia, quae sunt actiones, ratione *finis* dividuntur in exorcismos et benedictiones, prout adhibentur ad expellendos daemones eorumque vires frangendas et debilitandas, vel ad creaturam benedicendam et consecrandam.

a. Ad potestatem benedicendi, quam amplissimam ecclesia a Christo accepit, pertinet etiam potestas, quam ex voluntate eiusdem Christi exercet in daemones, quamque in ordine exorcistatus suis ministris communicat. Exorcismus tum in personas tum in res inanimatas peragitur; primum fit ad daemones expellendos, alterum ad ipsos coërcendos, ne scilicet per illas res hominibus noceant.

b. Benedictio in genere est actio, qua certis precibus divinum auxilium invocatur, super res aut personas. Alia dicitur *laicalis,* quae fit a persona saeculari praesertim si habeat aliquem titulum in rem vel personam benedicendam ut pater et mater in filios; alia dicitur *ecclesiastica,* quae fit a persona ecclesiastica nomine ecclesiae. Benedictiones, quae peraguntur a laicis, non sunt sacramentalia, cum ab ecclesia non sint institutae nec fiant auctoritate ecclesiae.

3. Benedictiones, quae sunt quamplurimae, dividuntur: *a.* ratione *effectus* in constitutivas (Weihesegen), quibus res vel personae immutato earum statu vere sacrae fiunt; et invocativas (Bittsegen), quibus rebus vel personis non immutato earum statu speciale aliquod bonum imploratur. Ad illas pertinent prima tonsura, ordines minores, consecratio virginum etc.; ad has autem simplices benedictiones personis vel rebus collatae.

Benedictiones *constitutivae* duplicis generis sunt, aliae quibus res vel personae ad Dei cultum destinantur et sacrae fiunt ut ordines sacri, consecratio virginum, consecratio calicis vel ecclesiae etc., aliae quibus res insuper ad aliarum rerum benedictionem praeparantur ut benedictio chrismatis, olei catechumenorum. Benedictiones *invocativae* pariter duplicis generis sunt, aliae quibus divinum auxilium imploratur vel specialis assistentia in usu determinatae rei invocatur ut benedictio vinearum, medicinae, novae domus, puerorum aegrotantium etc., aliae quibus res eo fine benedicuntur, ut ex earum applicatione vel pio usu aliquod bonum in hominem redundet vel aliquod malum ab ipso propulsetur ut benedictio aquae lustralis etc.

***b.* Ratione *ritus* in reales et verbales seu in consecrationes et simplices benedictiones; in illis unctio adhibetur**

ut in consecratione calicis; hae solis verbis perficiuntur ut in benedictione ciborii.

c. Ratione *ministri* in reservatas et non reservatas. Benedictiones aliae sunt *papae* reservatae ut benedictio pallii, agnus Dei, rosae aureae etc.; aliae sunt *episcopis* reservatae, quae sunt duplicis generis: benedictiones reales, quae episcopis ita propriae sunt, ut sine indulto apostolico sacerdoti delegari nequeant, et benedictiones, quae in missali vel rituali habentur sub titulo: *Benedictiones ab episcopis vel aliis facultatem habentibus faciendae*, quas episcopi vel iure ordinario vel delegato sacerdotibus committere possunt.

Benedictiones *non reservatae* a quolibet sacerdote absque delegatione fieri possunt. Inter benedictiones non reservatas notari debent, quae sunt *de iure parochiali*, ideoque ab alio sacerdote absque licentia parochi fieri nequeunt: benedictio nuptialis, benedictio fontis baptismalis, benedictio mulieris post partum, benedictio domorum in sabbato sancto, benedictio agrorum et frugum, si solemniter fit, et generatim non sunt faciendae benedictiones publice et solemniter in loco, qui alterius iurisdictioni subest.

26. Sacramentalibus inesse specialem vim et efficaciam producendi quosdam effectus spirituales vel corporales ex potestate benedicendi ecclesiae collata constat[1]). Ad quaestionem *quid sacramentalia operentur* universim responderi potest, ipsa non conferre gratiam sanctificantem, sed per potestatem benedicendi ecclesiae creaturis quosdam effectus redemtionis communicare.

Redemtio, quam per Christum consecuti sumus, tum ad peccatum eiusque poenam tum ad sequelas peccati se extendit. Sequelae autem peccati multiplicis generis sunt: non solum ipse homo quoad animam et corpus in deterius commutatus morbis, doloribus et morti subiacet, sed etiam hominis relatio ad creaturam irrationalem alterata est. Ablato enim dominio supernaturali, quod in res naturae exercebat, hae vitae eius corporali multiplex nocumentum afferunt, et terra ipsa maledicto peccati

---

[1]) *Suarez*, de Sacram. in genere disp. 15. sect. 4.

subiecta sterilis, plantae venenosae, bestiae feroces et nocivae effectae sunt. Tandem omnis creatura tum rationalis tum irrationalis potestati daemonum subiecta malignum eorum influxum experiri cogitur. Porro fructus redemtionis ab ecclesiae ministris hominibus applicantur; et per sacramenta quidem peccata remittuntur, per sacramentalia autem sequelae peccati *aliquatenus* auferuntur: a sequelis enim peccati ex sapientissimo Dei consilio plenam redemtionem in hac vita non consequimur.

Effectus sacramentalium ad quatuor genera revocari possunt.

1. Conferunt *bona spiritualia,* scilicet α. remissionem peccatorum venialium: sacramentalia delere peccata venialia post *s. Thomam*[1]) theologi communiter docent, circa modum vero, quo eadem delentur, disputant; at certe non immediate ipso eorum usu, sed mediate, eo quod pios motus doloris et caritatis excitant, per quos deinde peccata delentur; β. gratias praevenientes, quae consistunt in piis animae motibus ad bene agendum.

2. Conferunt *bona temporalia:* nam non solum homo eiusque bona a malis futuris praeservantur, sed etiam mala praesentia auferuntur et sanitas corporibus restituitur.

3. *Naturam tum rationalem tum irrationalem sanctificant et consecrant*: per sacramentalia maledictum peccati aufertur et potestas daemonis frangitur, ut adeo res naturae hominem, qui illis utitur, non impediant, sed potius iuvent in prosecutione finis sui. Insuper quaedam obiecta (tum personae tum res) peculiari modo ad cultum divinum deputantur et sacrae fiunt, alia vero per sacramentalia fiunt media, per quae homini fructus redemtionis communicatur ut aqua lustralis.

4. *Expellunt vel cohibent daemones*, ne hominis sive spiritui sive corpori noceant; hunc effectum ecclesia in multis sacramentalibus expresse intendit: ut omnis infestatio immundi spiritus abigatur et malignus influxus, quem in hominem eiusque bona exercet, repellatur[2]).

---

[1]) III. q. 87. a. 3.

[2]) Confer ordinem ad faciendam aquam benedictam et universim exorcismos.

Non tamen singula omnes hos effectus producunt: nam tum ex institutione sua tum ex modo, quo peraguntur, diversa et ad diversos fines destinata sunt, ideo diversos etiam effectus producunt. Quosnam vero fructus singula conferant, tum ex eorum institutione tum ex precibus, quibus ecclesia eadem administrat, colligi debet [1]).

27. Ad quaestionem autem *quomodo effectus suos operentur,* dicendum est, sacramentalia eosdem non producunt ex opere operato ut sacramenta, sed ex *opere operantis* scilicet ex auctoritate et impetratione ecclesiae. Et sacramentalia quidem, quae in ordinatione vel consecratione consistunt, effectum suum ex auctoritate ecclesiae certo et infallibiliter obtinent: persona enim vel res, quae ab ecclesia ad aliquod ministerium ordinatur vel ad cultum divinum deputatur, vere coram Deo ad id ordinata et deputata est. Pari modo sacramentalia, quibus certae res constituuntur media communicandae benedictionis divinae, re ipsa benedictae sunt et vim habent obtinendi finem intentum. Sacramentalia autem, quae in usu rei vel in simplici benedictione invocativa consistunt, *obiective* et in actu primo quidem et ipsa certo et infallibiliter operantur, quatenus ex se vim habent effectum suum producendi: licet enim ecclesia in hac re infallibilem Dei promissionem non habeat, ipsa tamen tantae dignitatis est coram Deo, ut impetret id, quod pro filiis suis petit. *Subiective* autem et in actu secundo effectum suum certo et infallibiliter non operantur: realis enim applicatio fructus, qui petitur, dependet tum a dispositione subiecti tum a voluntate Dei, qui petita non concedit, si ea vel ad animae salutem vel ad suam gloriam non expedire cognoverit, id quod contingere potest, ubi bona temporalia petuntur ut sanitas corporis, abundantia frugum et ipsa expulsio daemonis.

Ex his conficitur, illa sacramentalia nihil valere, quibus non assistit impetratio ecclesiae; haec autem illis non assistit, quae non peraguntur eo modo et ritu, quem ipsa praescribit. Sacramentalia ergo, in quorum confectione vel usu non observantur conditiones ab ecclesia designatae,

---

[1]) Cf. *Amberger,* Pastoraltheologie 3_2 S. 197 ff.

nullum effectum habent; et in hac re nec ignorantia inculpabilis nec bona fides quidquam supplere possunt: tota enim benedictionum ecclesiasticarum vis, ait *Gardellini*, posita est in oratione et invocatione ecclesiae, quae fit per suos ministros, qui non aliis uti verbis aut formulis debent, quam iis, quae ab ecclesia sunt constituta[1]).

Nota. Nunquam satis moneri possunt sacerdotes, ipsam benedictionem sacerdotalem esse sacramentale, quod privatim nota formula: *Benedictio Dei omnipotentis etc.* vel: *Benedicat te* etc. passim adhibere licet. Potestas benedicendi in ipsa ordinatione una cum potestate consecrandi ab ecclesia sacerdotibus confertur, qui usu huius potestatis multa mala ingruentia ab hominibus avertere et uberem benedictionem in ipsos diffundere possunt, praesertim vero in infantes et infirmos, quibus divinus salvator toties ex corde benedixit. Effectus benedictionis sacerdotalis eo copiosior erit, quo firmior est fides et fiducia sacerdotis benedicentis.

---

[1]) Decreta authentica ad n. 4782.

Liber secundus.

De baptismo.

Quaestio prima.

De natura baptismi.

28. 1. *Definitio.* Baptismus est sacramentum, quo per ablutionem corporis in aqua sub praescripta verborum forma confertur gratia regenerationis.

2. *Effectus* huius sacramenti quadruplex est: *a.* impressio characteris, quo homo baptizatus fit membrum ecclesiae et capax aliorum sacramentorum; *b.* remissio omnis peccati tum originalis tum personalis ante baptismum commissi; *c.* remissio omnis poenae non solum aeternae, verum etiam temporalis; *d.* ius ad omnes illas gratias actuales, quibus baptizatus vitam christianam ducere possit. *Dispositio* autem in adulto, qui peccata personalia commisit, ad hos effectus obtinendos necessaria est attritio de peccatis commissis.

Quare fieri potest, ut in adulto non omnis culpa nec omnis poena remittatur: cum enim poena remitti non possit, nondum remissa culpa et cum culpa non remittatur sine attritione, si adultus ad baptismum accedit sine attritione alicuius peccati venialis, hoc in baptismo non remittitur: elicito autem dolore peccatum vi baptismi suscepti tum quoad culpam tum quoad poenam deletur.

3. Baptismus in re vel saltem in voto susceptus *necessarius est necessitate medii* ad salutem: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in reg-*

num Dei[1]). Et in *infantibus* quidem nulla re praeter martyrium suppleri potest sacramentum baptismi; eisdem ergo excepto casu martyrii sacramentum *in re* susceptum necessarium est. In *adultis* autem sacramentum baptismi praeter martyrium suppleri potest etiam per baptismum flaminis; adulto ergo, qui baptismum in re suscipere nequit, excepto casu martyrii, necessarium est sacramentum saltem *in voto* susceptum.

Necessitas igitur baptismi hypothetica est: absolute enim necessaria ad salutem est iustificatio: haec autem obtineri potest et debet per baptismum in re susceptum; quodsi baptismus reipsa suscipi nequiret, per votum baptismi.

3. A baptismo *fluminis* distinguitur baptismus *flaminis* et baptismus *sanguinis*.

Baptismus flaminis (seu spiritus sancti) est desiderium seu votum in re suscipiendi sacramentum vel potius, ratione actus, qui iustificationem producit, caritas vel contritio perfecta, quae sive explicite sive implicite desiderium baptismi includit: solum enim desiderium iustificare nequit; caritas autem vel contritio perfecta vim habent conferendi iustificationem. Attamen characterem baptismus flaminis non imprimit et pari modo non semper omnem poenam temporalem delet, sed pro intensitate actus amoris modo maiorem, modo minorem, modo etiam omnem remittit.

Baptismus sanguinis est martyrium fidei causa toleratum Et characterem quidem neque martyrium imprimit; ceterum vero ex privilegio, quod Christus martyrio concessit[2]), eosdem producit effectus, quos baptismus: remissionem tum peccati, tum poenae et gratiam iustificantem.

Ad verum autem martyrium quatuor *conditiones* requiruntur: *a.* vera fides: nam sine fide impossibile est placere Deo; *b.* voluntas moriendi pro Christo i. e. pro vera fide vel pro aliqua virtute defendenda; *c.* mors non resistenti illata in odium fidei; *d.* debita dispositio, quae est dolor de peccatis in homine peccatore; sufficit autem attritio, quia vis delendi peccata ipsi martyrio seu sanguinis effusioni sicut baptismo quasi ex opere operato constanter tribuitur; quare in martyre non supponit nisi illam dispositionem, sine qua nulla culpa remittitur i. e. attritionem.

---

[1]) Io. 3, 5. [2]) Mt. 10, 32. 39.

Quaestio secunda.

De materia et forma baptismi.

29. *De materia remota.* 1. Materia *remota valida* baptismi est sola aqua naturalis, quae tum in se tum in communi aestimatione hominum talis sit[1]): quaenam enim aqua habenda sit naturalis, non tam ex chimicorum analysi, quam ex usu et aestimatione hominum desumendum est: cum namque Christus materiam sacramentorum determinaret, secundum notiones vulgi et sensum communem locutus est.

Materia certo valida est: 1. aqua fontium, puteorum, fluminum, maris, stagnorum, paludum, lacuum, cisternarum; 2. aqua pluvia, distillata, arte chimica effecta, resoluta ex glacie, nive vel grandine; 3. aqua sulphurea vel mineralis, aqua collecta ex vapore, rore vel effluens tempore nimboso ex pariete, foliis etc.; 4. aqua turbida, mixta cum alia substantia, modo aqua sit materia vere et certe praedominans. Nec refert, an aqua sit frigida vel calida.

Materia certo invalida est: 1. lac, sanguis, lacrimae, sudor, saliva, sputum; 2. vinum, oleum, cerevisia, ius densum ex adipe etc.; 3. lutum, atramentum; 4. succus e frugibus e. gr. pomis, piris etc. expressus: haec enim omnia nec re nec nomine aqua sunt.

Materia dubia est: 1. iusculum valde tenue, lixivium, cerevisia valde tenuis, potus ex faba caffaei vel ex foliis theae confectus, aqua ex sale soluto; 2. humor fluens e vite aliisque plantis; 3. aqua rosacea vel alii liquores e plantis expressi; 4. nix aut glacies nondum resoluta: licet enim in hoc statu non sint aqua naturalis, cum tamen per contactum resolvantur, et sic haberi possit quaedam ablutio, sunt, qui eadem tamquam materiam dubiam admittant.

2. Materia *remota licita* extra casum necessitatis est sola aqua naturalis, pura et consecrata. Et in baptismo quidem solemni saltem sub levi adhiberi debet aqua consecrata, in baptismo autem privato, si adsit, conveniens est, ut adhibeatur consecrata aut saltem lustralis seu benedicta, non tamen peccat nec sacerdos nec laicus, qui utitur aqua naturali non benedicta. Certo autem graviter peccat, qui absque necessitate utitur aqua impura, turbida et faeculenta, licet certo sit valida.

---

[1]) Io. 3, 5. Act. 8, 36.

a. Aqua baptismi ex praescripto ecclesiae, consecrari debet sabbato sancto, et sabbato pentecostes, ita ut censeri debeat abusus omnino eliminandus, si sabbato pentecostes consecratio fontis baptismalis omittatur [1]).

b. In baptismis, qui in nonnullis regionibus contra praescriptum ecclesiae domi habentur, adhiberi debet aqua consecrata: eiusmodi enim baptismi, qui a sacerdotibus extra casum necessitatis cum omnibus ceremoniis sacris peraguntur, rationem baptismi solemnis habent. Imo si quando sacerdos in casu necessitatis domi baptizat cum ceremoniis baptismum subsequentibus, censet *Lehmkuhl* (n. 60.) adhibendam esse aquam consecratam, si fieri potest; quia eiusmodi baptismus non est omnino privatus.

c. Si ipsa aqua consecrata, quae conservatur in fonte baptismali, appareat faeculenta et corrupta, sumenda est in casu necessitatis aqua pura non consecrata, vel, si adsit, lustralis seu benedicta; et extra casum necessitatis nova aqua benedicenda est ex formula in rituali romano praescripta. Aqua tamen foetida vel corrupta valida, sed illicita est [2]): ipsa enim aqua non corrumpitur, sed foetor ex oleo et aliis substantiis aquae admixtis procedit.

3. In casu necessitatis i. e. in periculo mortis quaecunque materia, dummodo non sit certo invalida, adhiberi potest et debet sub hac conditione: si haec materia sit sufficiens. Si autem ille, qui eiusmodi materia baptizatus est, supervixerit et haberi possit materia certo valida, iterum baptizandus est sub hac conditione: si non es baptizatus. Sicut ad baptismum conferendum sub prima conditione sufficit tenuis probabilitas de validitate materiae, ita ad rebaptizandum sub altera conditione sufficit tenuis probabilitas de invaliditate (*s. Alphons.* n. 102).

30. *Materia proxima* baptismi est ablutio corporis, quae ita fieri debet, ut baptizatus morali hominum iudicio censeatur esse ablutus.

Tribus modis ablutio fieri potest: immersione, aspersione et infusione; ex hodierna tamen praxi ecclesiae romanae baptismus conferendus est trina ablutione seu infusione, et licet unica infusio ad validitatem sufficiat, trina tamen, saltem ubi de baptismo solemni agitur, sub gravi in rituali romano praescribitur.

---

[1]) S. R. C. 7. dec. 1844; 13. apr. 1874. Quare Rit. rom. ita intelligendum est: aqua . . ante pentecosten *vel* . . post pentecosten.

[2]) Congr. de prop. f. 1806. S. Off. 17. apr. 1839.

Ut igitur baptizandus vere ablutus censeatur adeoque baptismus certo validus sit, requiritur: *a.* ut aqua fluat: hinc si una vel altera gutta aquae tantum adhiberetur, quae cuti inhaereret, quin flueret, baptismus esset dubius et solum in casu necessitatis licitus; si tamen guttae fluerent, validus esset baptismus; *b.* ut immediate tangat baptizandum: hinc si aqua tangat tantum vestes, certe invalidus est baptismus, et si crines tantum tangat, dubius est baptismus; *c.* ut in capite conferatur: si ergo in parte minus principali (manu, pede, brachio etc.) fuerit collatus, probabilius invalidus, et si in parte principaliori (pectore, collo, scapulis), probabilius validus, semper tamen dubius, et ideo si fieri possit, sub conditione iterandus est baptismus.

a. Ergo qui digitum vel manum madefactam vel sudarium madidum fronti solum tangendo applicat, valide non baptizat, quia infantem non abluit; qui autem motu digiti vel sudarii madefacti frontem successive contingit, valide baptizat, quia vera ablutio habetur.

b. Si quis pronuntiat formam, dum infans labitur in aquam, invalidus est baptismus, quia infantem non ipse abluit, qui baptizat.

c. Si quis puerum baptizat, dum adhuc est involutus in secundina, baptismus dicendus est invalidus, quia non immediate tangitur baptizandus. Olim de valore huius baptismi dubitabant, quia falso opinati sunt, secundinam esse partem infantis [1]).

d. Si quis puerum aquae naturâ fluenti e. g. pluviae cadenti supponit, valide baptizat, quia baptizandum vere abluit, et quidem ipse abluit, qui formam profert. Quod si puerum supponit aquae ab homine effusae, distinguendum est: si ad baptizandum utitur aqua, quam vel in alium finem vel solum ut adiuvet baptizantem homo effundit, valet baptismus, quia unus est qui baptizat; si autem scienter utitur aqua, quam alius effundit eo fine, ut adiuvet baptizantem applicando materiam, invalidus est baptismus, quia alius applicat materiam et alius pronuntiat formam.

e. An validus sit baptismus, si quis infantem proiicit in aquam et simul formam pronuntiat. — Validus et in casu extremae necessitatis etiam licitus esse videtur. Et *validus* quidem, quia aeque habetur ablutio atque in baptismo per immersionem collato; *licitus* autem, quia non est directa infantis occisio, sed directa immersio, ex qua per accidens mors infantis consequitur: qui enim infantem submergit, non voluntate occidendi, sed baptizandi, non dicitur infantem directe occidere, etsi ex eadem actione praeter intentionem mors sequatur infantis [2]).

---

[1]) Cf. *Kapellmann,* Medicina past. ed. 3. lat. p. 106.
[2]) Cf. *Ballerini-Palmieri* n. 19.

f. De baptismo in utero matris collato sunt, qui dubitent, an sit validus, tum quia renasci non potest, qui nondum natus est, tum quia infans in utero ablui non potest, quippe quem in secundina involutum aqua immediate attingere nequeat. *Ballerini* (ad n. 239) talem baptismum quidem iudicat certo validum, tum quia infans in utero matris existens iam est homo viator, et aliquo sensu iam vere natus dicitur, tum quia ipse ope instrumenti recentius inventi immediate attingi potest. Attamen huius baptismi valor non est adeo certus, ut infans, si postea nascatur, non debeat sub conditione rebaptizari.

31. *Forma baptismi* est: *ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.*

Ut forma sit valida, quinque enuntiari debent: *a.* persona, quae baptizat; *b.* persona, quae baptizatur; *c.* actus baptizandi; *d.* unitas divinae naturae, quae voce *in nomine* significatur; ideo invalida est forma *in nominibus* vel *in P. et Fl. et Sp. s.; e.* distinctio personarum, quae nominibus propriis exprimendae sunt. Haec distinctio particula *et* significatur, ideo haec particula saltem ante Spiritum s. omitti non potest, quin baptismus fiat dubius.

a. Vox *Amen,* cuius omissionem *s. Alphonsus* putaverat esse peccatum veniale, formae addenda non est (S. C. R. 9. Junii 1853).

b. Ut forma certo valida sit, nihil omitti potest, excepto pronomine *ego,* si baptismus in lingua confertur, in qua sicut in latina verbum sine pronomine personam ministri determinat, et particula *et* ante invocationem filii; cetera omnia essentialia sunt; quare omissa formam substantialiter mutarent, excepta praepositione *in,* quae probabilius sine mutatione substantiali formae omitti potest.

c. Formae: *ego te baptizo in nomine ss. Trinitatis* vel *in nomine Christi* probabilius sunt invalidae, quia Christus Dominus voluit, ut personae ss. Trinitatis, eaeque distincte exprimerentur.

d. Si formae consuetae addatur: *et in nomine beatae Mariae Virginis,* distinguendum est: si id fiat intentione conferendi sacramentum in nomine beatae Virginis, scilicet tribuendo huic nomini veram efficaciam in valorem, baptismus est invalidus; secus vero, si id fiat ex importuna devotione.

e. Formulae istae: ego te baptizo in nomine Genitoris et Geniti et Procedentis ab utroque; — ego te baptizo in nomine Patris et Jesu Christi et Spiritus s.; — ego te baptizo in nomine Patris et in nomine Filii et in nomine Spiritus sancti; — ego te baptizo in Patre, in virtute Patris, in nomine Patris per Filium et Spiritum s. sunt *incertae et dubiae.* Si tamen voces addantur, quae sensum formae non corrumpant, nec ex

sese aptae sint ad sensum erroneum vel haereticum exprimendum, baptismus est validus, ut si dicatur: ego te baptizo in nomine Patris ingeniti et Filii unigeniti et Spiritus sancti ab utroque procedentis, vel: ego te baptizo in nomine Dei Patris et Dei Filii et Dei Spiritus s. Eiusmodi tamen formulae, quae ab illa differunt, quam adhibet et praescribit in rituali ecclesia, certo sunt illicitae.

Quaestio tertia.

De ministro baptismi.

32. Minister baptismi alius est ordinarius, alius extraordinarius; et minister extraordinarius alius est baptismi solemnis, alius baptismi privati.

1. Minister *extraordinarius* baptismi *privati* est quilibet homo ratione utens, sive vir sive mulier, sive catholicus sive haereticus, sive fidelis sive infidelis, qui semper quidem valide, licite vero solum in casu necessitatis et deficiente ministro ordinario baptizat.

Casus vero necessitatis adesse censetur, si homo nondum baptizatus in periculo mortis versetur; non autem si sacerdos ob distantiam, intemperiem aut infirmitatem haberi non potest nisi post diuturnum tempus. Quare munus baptizandi in hisce adiunctis non potest committi laico, excepto semper periculo mortis.

2. Diaconus est minister *extraordinarius* baptismi *solemnis*, qui solemniter quidem, sed solum ex delegatione et ex gravi causa licite baptizare potest. Causa sufficiens est, ex qua diacono munus baptizandi committi potest, si parochus abest vel aegrotat vel si concione habenda vel audiendis confessionibus etc. occupatus est.

a. Diacono, etsi solemniter baptizet, non licet sal aut aquam benedicere [1]).

b. Clericus, qui solemniter baptizat, incurrit *irregularitatem*, quia exercet ordinem, quem non habet; diaconus, qui sine commissione solemniter baptizat, peccat quidem, quia ius parochi laedit, irregularitatem autem

---

[1]) S. C. R. 20. Febr. 1888.

non videtur incurrere, quia non exercet ordinem, quem non habet, cum vi ordinationis possit solemniter baptizare.

3. Minister *ordinarius* baptismi est omnis et solus sacerdos, qui tamen, excepto casu necessitatis, potestate sua licite uti nequit, nisi iurisdictionem ordinariam vel delegatam in baptizandum possideat. Parochus ergo omnes baptizare potest, qui intra limites suae parochiae domicilium vel quasi-domicilium habent; extra suam parochiam autem parochianos suos baptizare nequit sine licentia parochi loci; nec alienos, qui quasidomicilium non habent, in sua, sine licentia proprii illorum parochi.

a. Peregrini vel vagi possunt baptizari in qualibet ecclesia, quam elegerint. Si mulier, quae diutius moratur extra patriam, vel si mulier casu parit in loco non suo, infans baptizandus est a parocho loci, ubi mater decumbit, nisi forte aeque bene ad proprium parochum infans deferri possit; et si parochia patria non distet ultra duas vel tres horas, infans semper *licite* ad proprium parochum deferri potest.

b. Ergo male agunt sacerdotes, qui infantes ex aliena parochia sibi oblatos sine iusta causa baptizant, quia ius proprii parochi infantis laedunt. Existente autem iusta causa, posset licentia proprii infantis parochi rationabiliter praesumi et infans extraneus baptizari. — Pari ratione peccant parentes, qui extra casum necessitatis prolem deferunt baptizandam ad alienos sacerdotes, quia ius proprii pastoris violant.

4. Ordo servandus inter diversos ministros in baptismo privato ita describitur a *rituali romano:* „si adsit sacerdos, diacono praeferatur, diaconus subdiacono, clericus laico, et vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius femina sciret formam et modum baptizandi“.

„Attamen (ait *Lehmkuhl* n. 67) haec regula ita intelligitur, ut *a.* quilibet fidelis in unione cum ecclesia existens, sive vir sive femina, modo satis sciat modum baptizandi, praeferendus sit omnino cuilibet haeretico .. etiam sacerdoti; *b.* ut femina extranea praeferatur patri infantis: siquidem parentes infantem proprium baptizare non debent nisi in defectu alterius“.

Quaestio quarta.

De subiecto baptismi.

33. 1. Subiectum baptismi est omnis et solus homo viator nondum baptizatus. *Omnis:* quia omnes indigent regeneratione utpote peccato originali infecti. *Solus:* quia pro solis hominibus viatoribus instituta sunt sacramenta et ipsis solis patet aditus in ecclesiam. *Nondum baptizatus:* hoc ènim sacramentum nec licite nec valide iterari potest.

a. Valide baptizantur infantes et perpetuo amentes, qui infantibus aequiparantur. Ut valide baptizentur infantes, nulla requiritur dispositio; ut valide baptizentur adulti, requiritur intentio saltem habitualis implicita, ut autem cum fructu baptizentur, requiritur insuper fides et, si peccarunt, saltem attritio.

An plures simul baptizari possint hac forma: ego vos baptizo etc. — Valet quidem baptismus, si ipse baptizans simul aquam effundat vel aspergat et singuli vere abluantur; at illicitus est extra casum necessitatis, ubi scilicet tempus non suppetit singulos baptizandi.

b. Ut amentes, qui aliquando usum rationis habuerunt, valide baptizari possint, requiritur, ut ante amentiam voluntatem recipiendi baptismum conceperint; et ut reipsa sanctificentur, insuper requiritur, ut actum fidei et dolorem de peccatis supernaturalem elicuerint. Si non constat de defectu illius voluntatis, in praxi semper sub conditione baptizandi sunt sive in mortis periculo sive etiam extra illud, ubi nulla spes recuperandae rationis affulget, quia merito supponuntur habuisse desiderium saltem implicitum baptismi.

c. Si dubium est, an infans vivat, baptizandus est sub conditione: *si vivis;* si dubium est, an quis usum rationis habeat, in articulo mortis quidem, licet aliquo modo repugnet, sub conditione baptizandus est; extra articulum mortis autem, si baptismum ipse velit, quoad fieri potest instruendus et absolute baptizandus est: baptismus enim certo valet.

2. Adultus, qui necessitatem baptismi semel cognovit et sufficienter instructus est, non potest sine peccato, etiam extra periculum mortis, baptismum diu differre; plurium autem mensium dilatio censetur gravis, nisi urgens ratio et licentia ecclesiae dilationem excuset.

Multo minus parentibus christianis baptismum suorum infantium diu differre licet. Siquidem non solum propter mortis periculum, quod in infantibus maius est, sed etiam

propter universalem consuetudinem in ecclesia vigentem, quae vim legis obtinuit, sub gravi tenentur intra paucorum mensium spatium infantibus baptismum procurare, nisi gravis aliqua causa excuset: nam dilatio baptismi ultra unum alterumve mensem gravis censetur, si fiat sine causa. Imo ubi lex episcopi praescribit, ne baptismus infantium ultra unam alteramve hebdomadam differatur, minor adhuc quam paucorum mensium dilatio gravis esse potest.

34. *De filiis infidelium et haereticorum baptizandis insciis vel invitis parentibus.* — In hac quaestione, praesertim ubi agitur de baptizandis filiis infidelium, ad duo potissimum attendit ecclesia; imprimis ut, qui christianum baptismum suscipiunt, etiam in religione christiana educentur et instruantur et more christiano vivant, deinde ne laedantur iura naturalia parentum: parentibus enim primario et immediate commissa est cura educationis tum spiritualis tum temporalis filiorum; ecclesia vero in infideles nullam iurisdictionem exercet: praeceptum enim Christi domini *baptizandi omnes gentes* intelligi debet salva reverentia sacramenti et salvo iure naturali parentum.

1. Si usum rationis habent et baptismum petunt, baptizari possunt et per se debent etiam invitis parentibus, modo sufficienter instructi sint et firmam voluntatem ostendant more catholico vivendi: qui enim usum rationis adeptus est, quoad religionem plene sui iuris est, nec ab alio quopiam in procuranda aeterna salute impediri potest.

Cum tamen iuvenes, qui invitis parentibus baptizantur, variis iisque magnis incommodis subiiciantur, eorum constantia bene probanda est et in eis ad baptismum admittendis magna opus est prudentia.

2. Si usum rationis nondum habent, filii haereticorum et apostatarum quidem licite baptizari possunt etiam insciis et invitis parentibus, quia ab ecclesia, cuius subditi sunt, ad legem divinam servandam compelli possunt; attamen ecclesia non utitur hoc iure suo, quia impedire nequit, quominus in haeresi educentur; filios autem infidelium non licet baptizare insciis vel invitis parentibus: nam si baptizati subtrahuntur parentibus, horum ius naturale

violatur, si autem sub potestate parentum relinquuntur, fit iniuria sacramento propter certum periculum defectionis. Relate ad filios hebraeorum insuper exstat specialis prohibitio ecclesiae, ne scilicet invitis parentibus baptizentur [1]).

3. In sequentibus tamen casibus infantes infidelium et haereticorum baptizari possunt et quandoque debent etiam invitis parentibus.

a. Si in certo et proximo periculo mortis sunt; et in hoc casu ex praecepto caritatis baptizari etiam debent, si id perfici data occasione possit, quin infidelium odium in christianam religionem concitetur. Periculum autem mortis debet esse proprium eius, qui baptizatur, ideo saeviente lue non licet infantes sine discrimine baptizare, etsi maxima eorum pars morituri praevideantur.

b. Si positi sint extra curam parentum nec timor existat, ne ad eos sint reversuri, ut si infans expositus esset in hospitali catholico, vel si parentes abdicantes iura paterna infantem traderent catholicis, quia nullum est periculum perversionis.

c. Si unus parentum, aut ille, qui loco parentum paterna potestate utitur, tum in baptismum tum in educationem catholicam extra domum paternam consentiat. Imo alterutro parentum consentiente adhuc baptizari potest infans, qui in domo paterna manere debet ideoque periculo defectionis a fide expositus est, modo sit spes probabilis catholicae educationis, aut non sit extraordinarium periculum perversionis [2]).

a. Si ergo parentes acatholici proprios infantes offerant sacerdoti catholico, ut ab eo baptizentur, distinguendum est: si spes adsit catholicae educationis, sacerdos eosdem baptizare potest; si autem nulla sit spes futurae educationis catholicae extra periculum mortis eosdem baptizare non licet propter manifestum periculum amittendae fidei.

b. Si duo coniuges protestantes, deficiente ministro proprio, exhiberent parocho alterive sacerdoti catholico proprium infantem baptizandum, declarantes, sese per hoc non intelligere obstringi ad eum educandum in religione catholica, parochus non potest eum baptizare, ut interdum in

[1]) S. C. C. sub Iulio III. 16. iul. 1639.
[2]) S. Off. 13. Sept. 1827.

tuto ponat innocentis infantuli aeternam salutem, praescindendo ab eo, quod in futuro evenire possit, quando ad aetatem discretionis pervenerit. Etsi auctores antiqui (ut *Laymann)* plerumque id permittant, ex recentibus tamen s. sedis decretis id extra mortis periculum non licet[1]).

c. Si in casu mixti matrimonii dubium existit de valore baptismi partis acatholicae, non licet sacerdoti catholico eam baptizare, si in haeresi manere decrevit. S. Off. 13. apr. 1878.

4. Si proles acatholica insciis vel invitis parentibus sive licite sive illicite baptizata fuit, filius infidelium et hebraeorum quidem parentibus subtrahendus est ob proximum perversionis periculum, filius haereticorum autem in parentum potestate relinqui potest, si ipsi fidem in Christum non negant.

5. ***Infantes expositi et inventi*****, si non habent testimonium collati baptismatis nec aliunde constat, eos esse baptizatos, sub conditione sunt baptizandi; si schedulam habent attestantem ipsos esse baptizatos, tamen sub conditione baptizandi sunt, nisi ex circumstantiis certum sit, collatum ipsis fuisse baptismum. —**

35. *De monstris baptizandis.* — Duo hic in quaestione versantur, an monstrum sit homo, an unum vel plura individua humana sint.

1. Monstrum ex muliere natum semper baptizandum est, et absolute quidem, si certo vivit, sive caput est humanum et membra ferina, sive caput ferinum et membra humana: ex homine enim naturaliter non potest nasci, nisi homo isque ex congressu viri cum femina. Quod autem antiqui theologi addunt de monstris ex congressu hominis cum bestia ortis, tum philosophiae tum physiologiae adversatur[2]).

2. Monstrum, quod distincte prae se fert duo capita aut duo pectora, duplex persona est; ideoque duplex baptismus, uterque absolute, eidem conferendus est. Si dubitatur, num duplex persona sit, quia aut unum caput aut unum tantummodo pectus aut duo capita et duo pectora non satis distincta habet, duplex item baptismus conferendus est, alius absolute, alius sub conditione *(si non es baptizatus)*[3]).

36. *De foetu abortivo baptizando.*

1. Cumprimum foetus humanus anima rationali informatur, est aptum baptismi subiectum. Porro nunc inter philosophos aeque ac theologos fere communis est sententia, foetum statim ab ipsa conceptione vivere anima rationali; quare relicta in praxi antiquorum sententia, omnes foetus abortivi

---

[1]) S. Off. 26. aug. 1885.

[2]) *Olfers,* Pastoralmedicin S. 30 ff.

[3]) Cf. *Rituale rom.* tit. 2. c. 1. n. 18. sqq.

etiam exigui baptizandi sunt, nisi certo constet, eos esse exanimes. Ubi notandum est, ordinarie saltem et imperitis, non esse aliud signum mortis certum, excepta ipsa putrefactione. Quamobrem monendi sunt medici, obstetrices et matres, caute tamen et prudenter, de obligatione baptizandi minimos etiam foetus abortivos, ne scilicet non baptizati proiiciantur.

2. Foetus abortivi iam formati absolute baptizandi sunt, ubi dant certa signa vitae, et sub conditione, si signa vitae dubia sunt. Foetus autem abortivi nondum formati saltem sub conditione *(si capax es)* baptizandi et in loco sacro sepeliendi sunt, quaecunque sit forma, quam praeferunt, nisi constet esse exanimes.

3. Quoniam autem eiusmodi foetus in secundinis inclusi eiiciuntur, baptizandi sunt per immersionem in vase aqua tepida repleto idque in hunc modum: utriusque manus indice et pollice apprehendendae sunt secundinae et in aqua caute aperiendae, ut materia ovi (liquor amni) effluat et aqua totum foetum abluat, dum forma dicitur: si vivis, ego etc. Neque enim est terendum tempus in inquirendis signis vitae, sed si ovum apparet recens et foetus albus, statim baptizandus est[1]).

37. *De baptizando foetu nondum edito.*

Foetus nondum editus non debet baptizari nisi in periculo mortis. Porro triplex diversus casus distinguendus est: vel enim periculum mortis imminet, ubi coepto iam partu aliqua pars infantis in lucem prodiit, vel ubi nulla quidem pars infantis apparet, at vero uterus coepto iam partu reseratus est, adeo ut infans manu vel ope instrumenti ablui possit; vel tandem si mater praegnans defuncta est.

1. Si periculum mortis immineat et infans caput emiserit, baptizandus est in capite; nec postea, si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo sub conditione baptizandus est et tunc, si natus vixerit, erit sub conditione (si non es baptizatus) rebaptizandus[2]).

2. Si nulla pars infantis in lucem prodiit, in periculo mortis infans, si fieri potest, sub conditione baptizandus est in utero matris; et si postea natus fuerit, iterum sub conditione baptizandus est. An et quando mater in vivis existens teneatur sectionem caesaream pati, ut proles gratia baptismi donari possit, alibi dictum est.

3. Mortua matre praegnante existit gravis obligatio caritatis faciendi sectionem caesaream etiam invitis propinquis ad aeternam salutem infantis procurandam. Foetus autem, qui aperto matris utero extrahitur, absolute baptizandus est, si certo vivit.[3]).

a. Obligatio perficiendi incisionem ex praecepto caritatis desumitur, qua omnes tenentur aeternae saluti infantis consulere, et si foetus vitalis

---

[1]) *Capellmann,* Medicina past. p. 115. nota.

[2]) *Rituale rom.* tit. 2. c. 1. n. 16.

[3]) Rit. rom. tit. c. 1. n. 17.

est (sexto praegnationis mense), accedit alia ratio, scilicet conservandi vitam temporalem infantis. Quae quidem obligatio eo maior est, proindeque eo maius incommodum ad eam implendam subeundum est, quo maior est spes obtinendi effectum; haec autem ceteris paribus eo maior est, quo robustior est foetus.

b. Cumprimum igitur ex testimonio peritorum de morte matris constat, de hac obligatione monendi sunt, ad quos pertinet, cognati et medici vel chirurgi. Et quandoquidem experientia constat, foetus etiam teneros post mortem matris per plures horas quandoque vivere, obligatio peragendi incisionem diutius post mortem matris adhuc urgenda est. Ut vita infantis facilius conservetur, uterus matris defunctae pannis tegendus est, ut calorem retineat; os autem matris aperire, ne infans defectu respirationis pereat, nullius utilitatis est.

c. Incisionem imprimis illi perficere tenentur, qui in hac arte periti sunt, his autem deficientibus alii, quibus non deest animus durum opus perficiendi; sacerdos tamen nunquam ad id teneri videtur tum propter indecentiam tum propter periculum maioris mali, quod ex oblocutionibus malevolorum religioni oriri potest; pro viribus autem curare debet, ut incisio ab aliis perficiatur, nisi auctoritas civilis eandem ab alio, qui non est medicus, fieri sub poenis prohibeat [1]).

d. Obligatio autem cessat, ubi non adest spes certa consequendi finem. Quare sex primis gestationis hebdomadis non est urgenda obligatio perficiendi incisionem, tum quia vel periti foetum non facile reperiunt, tum quia repertus plerumque non amplius vivit.

38. *De baptismo sub conditione iterando.* — **Duplex casus potissimum accidit, in quo baptismus iterari debeat: in conversis ab haeresi et in iis, qui propter mortis periculum privatim baptizantur.**

1. Licet baptismus ab haereticis collatus per se sit validus, attamen crescente in dies ministrorum acatholicorum incredulitate nunc temporis valde timendum est, ne ministri acatholici materiam aut formam invalidam adhibeant. Nihilominus ecclesia morem baptizatos ab haereticis indiscriminatim sub conditione denuo baptizandi improbavit; et in singulis casibus, quoad fieri potest, in validitatem baptismi, quaecunque sit secta, a qua venerint acatholici, inquirendum esse praecepit [2]). Et si de valore baptismi collati certo constat, nullatenus rebaptizandi sunt,

---

[1]) *Olfers* [2], Pastoralmedicin p. 25. f. *Capellmann* [3], Medic. past. p. 29.
[2]) S. Off. 21. febr. 1883.

si autem inquisitione facta superest dubium non prorsus inane, sub conditione rebaptizandi sunt; si autem certo constat sacramentum fuisse invalidum, absolute rebaptizandi sunt; si tandem aut nulla inquisitio institui aut circa valorem baptismi nihil resciri potest, hodie merito praesumitur esse invalidus ideoque sub conditione iterandus [1]).

2. Infantes ab obstetricibus vel aliis laicis domi baptizatos omnes sine discrimine denuo baptizari, pariter improbandum est, cum id adversetur dogmatibus catholicis. Quare in singulis casibus, etiam auditis testibus si adfuerint, diligenter inquirendum est, an baptismus domi collatus fuerit validus. Quodsi dubium non inane de eius valore supersit, sub conditione iterandus est, si autem valide collatum fuisse constiterit, solummodo ceremoniae suppleri debent [2]). Et sane ubi obstetrix vel alia persona, quae sit bonae famae, circumspecta et in ritu baptizandi instructa, asseverat, infantem a se rite baptizatum esse, non est, cur de valore baptismi dubitetur; iterare autem baptismum, ubi nullum dubium de eius valore exstat, certo graviter illicitum est.

Ut iudicium de valore baptismi formari possit, interrogandum est: *a.* quis baptizaverit et in quibus adiunctis: si enim baptismum contulit persona, quae anxia, perturbata et perplexa esse solet, vel si baptismus collatus fuit a persona quidem prudenti, at in adiunctis difficilibus, in quibus ob repentini casus tumultum vel ob matris et infantis periculum omnia festinate et perturbate peragenda erant, facilius est dubitandi locus: *b.* quam formam pronuntiaverit; *c.* quam et quantam aquam et ubi infuderit; *d.* an simul formam protulerit et abluerit; *e.* quam intentionem habuerit.

Quaestio quinta.

De patrinis baptismi.

39. Ab antiquissimis temporibus ecclesia in baptismo patrinos adhibebat, qui baptizandum offerrent, de moribus eius testimonium dicerent, in defectu parentum rudimenta

---

[1]) Cf. decretum S. O. 20. nov. 1878, quod simul casum (de baptismo VIII. 2.) a *Gury* propositum corrigendum mandavit.

[2]) S. C. C. 27. mart. 1883.

fidei eum docerent et vitae christianae ab eo ducendae veluti pro eo sponsores existerent. Lex circa patrinos nunc in ecclesia vigens a *concilio tridentino*[1]) lata est.

1. In baptismo solemni sub gravi adhiberi debet saltem unus patrinus, sive vir sive mulier sit, nec possunt licite adhiberi plures quam duo.

Solemni: praesentia patrini ipsa ad solemnitates baptismi easque praecipuas pertinet; in baptismo *privato* patrinus adhiberi quidem potest et laudabiliter adhibetur, de obligatione autem non constat.

Saltem unus: sufficit unus, qui indiscriminatim vir vel mulier esse potest; si autem duo adhibentur, vir et femina esse debent. Ceterum cum munus patrini etiam per procuratorem exerceri et procuratoris officium vir pro muliere et vice versa agere possit, de facto accidere potest, ut duo viri vel duae mulieres sint patrini.

Non plures: ecclesia plures duobus patrinis non admittit, ne multiplicentur cognationes; si igitur parochus plures patrinos admitteret, graviter utique peccaret, quia grave ecclesiae praeceptum laederet.

2. Ut quis vere sit patrinus, haec requiruntur:

a. Ut usum rationis habeat, quia obligationem suscipere nequit, qui sui compos non est.

b. Ut baptizatus sit, quia non potest esse pater, qui ipse non est natus.

c. Ut a parentibus vel a parocho ad hoc munus sit designatus: ius designandi patrinos est penes parentes et in horum defectu penes parochum; semper autem parochi est designatos admittere[2]).

Concilium haec statuit: „Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant". Ubi notandum est: ex iure antiquo omnes infantem tangentes cognationem spiritualem contrahebant[3]); quod quidem eatenus adhuc valet, quatenus concilium tridentinum illud non irritavit; concilium autem lege sua irritante id solum decrevit, non esse patrinos non designatos, qui ultra designatos et infantem tangentes tetigerint, at non decrevit, non designatos universim, aut designatos, qui ultra licitum numerum infantem tetigerint, non esse patrinos. Quibus praemissis haec statuenda sunt.

---

[1]) Sess. 24. de ref. matr. c. 2.

[2]) *Conc. Trid.* sess. 24. de reform. matr. c. 2.

[3]) C. fin. de Cogn. spir. in VI.

α. Si nullus a parentibus vel a parocho designatus est patrinus, vel si designatus infantem non tangit, omnes sunt patrini, qui infantem tangunt.

β. Si certi designati sunt, ultra quos alii non designati infantem tangunt, hi non sunt patrini.

γ. Si autem ultra numerum a lege admissum alii insuper designati sunt et infantem tangunt, omnes vere sunt patrini et cognationem contrahunt.

d. Ut per se vel saltem per procuratorem teneat vel tangat infantem dum baptizatur; etenim non sufficit mera assistentia.

e. Ut vere voluntatem habeat patrini munus gerendi.

f. Ut verus et validus sit baptismus, quare patrinus proprie non efficitur, qui munere patrini fungitur, ubi solae ceremoniae supplentur, aut ubi baptismus quacunque de causa invalide confertur.

3. *Officium* patrini est, ut deficientibus parentibus curam spiritualem filioli sui agat eumque in fide et moribus christianis instituat. Obligatio haec gravis est, cum de re gravi agatur; cessat autem, quando filius spiritualis in rebus fidei, quae ipsi scitu necessariae sunt, satis instructus est. Insuper per munus patrini, quod in solemni baptismo exercetur, contrahitur *cognatio spiritualis* inter patrinum, baptizatum eiusque parentes. Quodsi munus patrini per procuratorem exercetur, officium educandi et cognatio spiritualis non a procuratore, sed a mandante contrahitur. Ex his deducitur, quinam ad munus patrini licite admitti nequeant. Itaque valide quidem, sed ex iure positivo illicite munus patrini suscipiunt:

a. Religiosi utriusque sexus cuiuslibet ordinis, in quo emittuntur vota solemnia, quia propter statum suum suscepto munere fungi non possunt.

Clerici ex eadem causa saltem minus apti sunt. Quare non quidem iure universali, sed per statuta particularia nonnumquam quoad baptismum, rarius vero quoad confirmationem excluduntur. Nullibi in iure ipse *baptizans* prohibetur esse patrinus, etsi id contra morem in ecclesia vigentem repugnet. In casu per procuratorem ea, quae patrini sunt, in baptismo solemni peragere deberet.

b. Parentes respectu filiorum et coniux respectu coniugis, quia id esset contra finem huius institutionis, cum parentes munus educandi aliunde iam habeant.

c. Omnes, qui ob pravos mores sunt indigni, ut qui sunt publice adscripti societatibus secretis, concubinarii notorii etc., quia catholice educare non possunt.

d. Haeretici, schismatici, apostatae et publice excommunicati, tum quia susceptae obligationi satisfacere aut nolunt aut non possunt, tum quia admitterentur ad communicationem in sacris graviter ab ecclesia prohibitam.

Quia tamen leges ecclesiasticae non obligant cum gravi incommodo, parochus non tenetur removere indignos, quos sine gravi damno reiicere nequit[1]). Haeretici autem nulla ratione admittendi sunt: praestat enim nullum habere patrinum, quam illum habere haereticum[2]). Quodsi haereticus a parentibus iam designatus absque magna offensione removeri non posset, admitti posset tamquam testis, quin admoneatur de tangendo infante in actu ablutionis.

An catholico liceat patrinum esse infantis haereticorum baptizante ministro haeretico. — S. Officium 10. maii 1770 decrevit: absolute non licere nec per se nec per alios fungi officio patrini in baptismis, quae haereticorum filiis ab haereticis ministrantur", et propter paritatem rationis idem dicendum est, si baptismum administrat parochus intrusus vel sacerdos schismaticus. Sunt quidem auctores, inter quos etiam *s. Alphonsus*, qui id permittant, ubi „nullatenus illa actio censeri possit approbatio ritus acatholici". Putabant nimirum hi auctores, in eiusmodi adiunctis spem futurae educationis infantis in vera fide rationem esse sufficientem, ex qua communicatio illa cum haereticis permitti possit. Verum nunquam licitum est petere, quod alter sine peccato praestare non potest; patrinus autem petit baptismum, quem minister haereticus sine peccato conferre nequit[3]).

---

[1]) S. Poen. 10. dec. 1860.
[2]) S. Off. 3. mai. 1893.
[3]) Cf. *Lehmkuhl* n. 71.

Nota. In reiiciendis indignis a munere patrini parochus valde prudens et cautus sit oportet, ne alios offendat, sibi vero molestias creet. Hinc *a.* quando petitur baptismus, interroget, quinam sint patrini, et si advertit, ex praescripto ecclesiae reiici illos debere, antea de hac re moneat, ne se conferant ad ecclesiam; *b.* sedulo abstineat a quovis verbo iniurioso et caveat, ne reiectionis causam aperiat, sed suavi modo id tantum dicat, se illum ut patrinum admittere non posse. *c.* Si impedire non potest, quominus ad ecclesiam veniat patrinum acturus, declaret, ipsum ut testem interesse posse, et curet, ne infantem in actu baptismi tangat. Quodsi nulla ratione impediri potest, praestat illum admittere, quam baptismum omittere vel ansam dare, ut ab acatholico ministro infans baptizetur.

Quaestio sexta.

De ceremoniis baptismi.

40. Gravis est obligatio servandi in baptismo solemni ceremonias in rituali romani praescriptas; quare easdem omittere vel notabiliter mutare grave peccatum est.

1. Baptismus solemnis conferendus est *in ecclesia* nec licet eundem excepto casu necessitatis vel magni incommodi conferre extra ecclesiam. Et quamvis sacristia participet aliquo modo de sanctitate ecclesiae, tamen non licet baptismum solemnem administrare in sacristia, „nisi adsit rationabilis causa ab episcopo approbanda“ [1]).

a. In iure tamen ab hac lege excipiuntur filii regum et principum, qui in sacello domus paternae baptizari possunt [2]); et ubi viget consuetudo legitima, ille mos baptizandi domi secundum *s. Alphons.* (n. 118.) etiam ad alios nobiles extendi potest.

b. Quod si baptismus in casu necessitatis domi confertur, omittendae sunt ceremoniae, quae postea opportuno tempore in ecclesia suppleri debent. Ceremoniae autem, quae ipsum baptismum *sequuntur,* a sacerdote ex iusta causa domi baptizante statim perfici possunt, si tempus suppetat et adsit chrisma. Tandem pro aliquali norma notandum est, quod concilium baltimorense I. statuit: „quod si ob aëris intemperiem, itineris diffi-

[1]) S. C. R. 16. mart. 1861.

[2]) Clem. l. 3. tit. 15. c. unic.

cultatem, parentum inopiam vel alias graves causas hoc fieri nequeat (ut infantes baptizandi ad ecclesiam adducantur), tunc missionarii prudentiae et conscientiae relinquimus, ut eos domi cum omnibus ecclesiae ceremoniis baptizet".

2. Ceremoniae *notabiles*, quarum omissio grave peccatum constitueret, sunt praesertim unctio olei catechumenorum et unctio chrismatis, quae unctiones specialem significationem habent, deinde etiam professio fidei et plures simul ceremoniae levioris momenti.

3. Graviter quidem prohibetur *usus veteris chrismatis vel olei*, ubi novum habetur; si autem recens consecratum nondum adsit, non debet chrismatis vel olei unctio omitti, nec ea de causa baptismus in aliud tempus differri, sed oleum et chrisma anni praecedentis adhiberi debent, quae propterea conservanda sunt, donec nova advenerint.

4. Quod *interrogationes* attinet, quae ex rituali romano patrinis fieri debent, S. R. C. toties interrogata constanter declaravit, non posse illas licite fieri lingua vernacula, sed latine faciendas esse. Non tamen prohibitum esse videtur, ut sacerdos interrogationes, quae ex rituali romano latine prolatae sunt, pro patrinis lingua vernacula repetat eorumque responsiones eadem lingua excipiat. Hunc agendi modum diversa concilia provincialia romae approbata innuunt. Attamen nuper tandem s. congregatio concessit, ut interrogationes simpliciter lingua vernacula fierent [1]).

5. Nullum quidem existit praeceptum *nomen alicuius sancti baptizando imponendi*, quare peccatum non est, nomen profanum vel ethnicum eidem imponere, nisi sit nomen hominis impii. Parochus autem pro viribus curare debet, ut nomina sanctorum imponantur; si tamen impedire non posset, ut nomen impii alicuius imponatur, non esset ideo negandus vel differendus baptismus, „sed puer baptizandus est addito submissa voce nomine alicuius Sancti" [2]).

---

[1]) S. R. C.

[2]) *Rit. rom.* tit. II. c. 1. n. 54. *S. Off.* 13. iun. 1883.

41. *De supplendis ceremoniis baptismi.*

Si baptismus privatim collatus fuit, ceremoniae ex praecepto ecclesiae suppleri debent [1]. Obligatio haec gravis est et urget quamprimum. Dilatio autem, quae unum alterumve mensem non excedit, non videtur esse notabilis. Ut sciatur, quaenam ceremoniae in diversis casibus suppleri debeant, sequentia notentur.

1. Si *infans* privatim absque ceremoniis baptizatus fuit, omnes ceremoniae prout in rituali pro baptizandis parvulis habentur suppleri debent, idque in ecclesia.

2. Si in adulto catholico, qui post nativitatem valide quidem, sed privatim baptizatus fuerat, suppleri debent ceremoniae, adhibendus est ritus, qui pro baptismo parvulorum in rituali habetur: suppleri enim debent ceremoniae, quae in ipso baptismo peragendae fuissent.

3. Si in adulto haeretico valide baptizato, qui ad ecclesiam redit, supplentur ceremoniae baptismi, adhiberi debet ritus, qui pro baptismo adultorum in rituali habetur: si enim baptizandus esset, secundum hunc ritum id fieri deberet; insuper iste ritus eorum adiunctis conveniens est. Attamen consuetudo invaluit, ut in iis, qui ex haeresi redeunt, ceremoniae baptismi non suppleantur, si constat, eos valide baptizatos esse.

4. Si adultus, qui ex haeresi ad ecclesiam redit, sub conditione baptizandus est, adhiberi debet ritus, qui pro baptismo adultorum in rituali habetur: si enim absolute baptizandus esset, iste ritus adhiberi deberet [2]. Episcopus tamen dispensare potest, ut adeo conversus, qui sub conditione baptizandus est, omissis omnibus ceremoniis essentiali solum forma baptizetur [3]. Imo in nonnullis dioecesibus haec dispensatio generatim concessa est.

---

[3]) Rituale rom. c. 5. tit. II. c. 1. n. 15.
[1]) S. C. R. 28. aug. 1836.
[1]) Rit. rom. §. 16. de baptismo adultor.

5. Si parvulus solemniter quidem, sed ex defectu essentiali invalide baptizatus denuo baptizari debet, omissis ceremoniis solum ritus essentialis repeti debet.

6. Si ex errore omissio notabilis alicuius ritus vel permutatio olei accidit, error reparandus est, nisi adiuncta aliud suadeant. Vix ulla est errorem reparandi difficultas, si deprehenditur antequam patrini abscedant, si autem iam abscesserunt, difficultas redeundi, scandalum vel murmuratio, quae exinde oriri potest, ab obligatione errorem reparandi excusabunt.

Liber tertius.

De confirmatione.

Quaestio prima.

De natura confirmationis.

42. *Confirmatio* est sacramentum, quo per unctionem chrismatis et manus impositionem sub certa verborum forma confertur Spiritus sanctus ad roborandam fidem in baptismo susceptam. Confirmatio igitur est complementum baptismi, quo per uberiora Spiritus s. dona augetur et perficitur vita supernaturalis in baptismo infusa.

Effectus huius sacramenti est *a. augmentum* gratiae sanctificantis et donorum Spiritus sancti: est enim sacramentum vivorum, quod gratiam primam supponit; *b. ius* ad gratias actuales, quibus fides in baptismo suscepta contra tentationes internas et externas servari et invicte propugnari possit; *c. impressio characteris,* quo homo baptizatus constituitur *miles Christi;* hinc est, ut hoc sacramentum nec licite nec valide iterari possit.

Quaestio secunda.

De materia et forma confirmationis.

43. 1. Materia *remota* confirmationis est chrisma ex oleo olivarum et balsamo confectum et ab episcopo bene-

dictum [1]). *Chrisma* est mixtum compositum ex oleo et balsamo.

a. Oleum *olivarum* certo ad valorem sacramenti requiritur: solum namque oleum olivarum est et dicitur proprie oleum; et probabilissime etiam *balsamum* in ea quantitate, ut oleum odorem spargat, (cuiuslibet tamen speciei), de valore est.

b. Chrisma debere esse *ab episcopo consecratum* nec valere confirmationem, quae confertur cum oleo a simplici sacerdote benedicto, pariter certum esse videtur. Licet enim simplici sacerdoti quandoque conferatur potestas administrandi confirmationem, semper tamen praecipitur, ut non utatur nisi chrismate ab episcopo benedicto [2]).

c. Ut sit materia certo valida chrisma benedictum esse debet *speciali chrismatis benedictione,* qua constituitur materia huius sacramenti; aliud oleum ab episcopo benedictum est materia dubia huius sacramenti.

Ideo confirmatio administrata cum oleo catechumenorum vel infirmorum valde dubia est, tum quia ei non est admixtum balsamum, tum quia benedictione, quae pro chrismate praescribitur, consecratum non est. Cum tamen sacramentum non sit certo invalidum, in articulo mortis, deficiente chrismate, confirmatio cum oleo sub conditione conferri posset; et pari modo sub conditione iteranda est confirmatio, quae cum solo oleo collata fuit.

d. Ad *licite* administrandam confirmationem ex praecepto ecclesiae adhiberi debet *chrisma recens* i. e. in Coena Domini proxime elapsa consecratum, et solum ubi novum chrisma haberi non potest et adest urgens causa confirmationem conferendi, licitum est uti veteri chrismate.

2. Materia *proxima* est *unctio* confirmandi per modum crucis in fronte immediate applicata *per manus impositionem.*

a. Et unctionem quidem faciendam esse *immediate* ab episcopo, certo de essentia sacramenti est; quare invalida est confirmatio, in qua unctio fit medio instrumento.

---

[1]) Ex decreto Eugenii IV. pro Armenis.
[2]) *Benedictus XIV.* De Syn. l. 7. c. 8 n. 7.

b. Unctionem autem *in fronte* et *per modum crucis* fieri debere, probabilius pariter ad valorem sacramenti necessarium est, si ergo unctio fit in maxilla vel in ore, confirmatio videtur esse invalida.

c. Tandem etiam *impositio manus* essentialis est; impositio autem ea intelligitur, quae ungendo fit. Eo ipso ergo, quod episcopus manu sua ungens tangit confirmandum, eidem manum imponere censetur.

Duplex manus impositio in confirmatione habetur, alia in principio sacri ritus, ubi episcopus manus extendit super confirmandos et orationem *omnipotens* recitat; alia, quae ab unctione non est distincta; haec altera, non prima essentialis est. Et sicut prima manus impositio, ita etiam benedictio, quae in fine datur, non requiritur nec de necessitate sacramenti neque ex praecepto ecclesiae: verba enim pontificalis romani, quibus confirmandi monentur, ne ante benedictionem recedant, non sunt praeceptiva. Etsi ergo confirmandi, quantum fieri potest, ad primam manus impositionem adesse nec ante benedictionem recedere debeant, id tamen vi praecepti necessarium non est.

3. *Forma* confirmationis consistit in his verbis: *Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* In hac forma omnino essentialia sunt: *a. Signo te signo crucis,* quae essentialem sacramenti effectum significant, hominem scilicet christianum fieri militem Christi; *b. confirmo te chrismate salutis,* quae pariter effectum essentialem denotant, uberiorem scilicet Spiritus sancti robur et gratiam; *c.* verbum *te,* quo subiectum designatur et *d.* probabiliter etiam expressio ss. Trinitatis ut in baptismo, cuius confirmatio est complementum.

Quaestio tertia.

De ministro confirmationis.

44. 1. Minister *ordinarius* confirmationis est solus episcopus[1]). Milites enim designare non est omnium, sed

[1]) Conc. trid. sess. 7. can. 3.

solummodo principum et ducum; per confirmationem autem christiani designantur milites Christi; ideo confirmatio ordinarie solum ad praesules pertinet. Potestatem autem confirmandi episcopus habet non vi iurisdictionis, sed vi ordinis; ordinis autem potestatem episcopus plenam eamque indelebilem possidet, quae sufficiens est ad sacramenta omnia, ad quae iurisdictio non requiritur, administranda. Hac re fit, ut episcopus omnes quidem valide confirmet, licite vero subditos suos et alienos, qui in sua dioecesi reperiuntur, et hos quidem ex tacito consensu proprii extraneorum episcopi. Extra suam dioecesim episcopus licite confirmare nequit nec suos nec alienos subditos, nisi consensus episcopi loci accesserit.

2. Minister *extraordinarius* confirmationis est simplex sacerdos. Siquidem certum est, ex speciali delegatione summi pontificis posse (etiam in ecclesia latina) simplicem sacerdotem valide et licite confirmare. Hanc porro delegationem solus summus pontifex (sive de iure sive de facto) valide confert. Potestas autem simplici sacerdoti ad confirmandum collata est complementum externum potestatis ordinis, quae episcopo quidem vi ordinationis perpetuo inhaeret, sacerdoti autem vi delegationis transeunter confertur, quaque aptus constituitur, qui nomine Christi vicarii milites Christi conducat[1]).

In ecclesia graeca orientali omnes sacerdotes ex antiqua consuetudine valide confirmant, tum catholici tum schismatici, quamdiu confirmandi potestas non fuerit expresse revocata.

3. Episcopus sub gravi tenetur suis subditis aliquoties opportunitatem praebere sacramentum confirmationis accipiendi. Si igitur longo tempore e. g. per octo aut decem annos praecipua saltem suae dioecesis loca non circumiret et hanc opportunitatem non praeberet, graviter peccaret, nisi morali impossibilitate excusetur.

Tenetur sub levi confirmare rationabiliter petentes, si commode possit et ad aliud tempus proximum confirmationem differre nequeat. Ex communi autem sententia

---

[1]) Cf. Zeitschrift f. k. Th. 1882. S. 567.

non tenetur confirmare moribundum petentem: nam, ut sapienter notat *Lehmkuhl* (n. 100), „si id cui faciat, alteri neget, ratio scandali erit: si vero omnibus satisfacere velit, grave onus ipsi imponetur".

Quaestio quarta.

De subiecto confirmationis.

45. 1. Subiectum *capax* confirmationis est omnis homo baptizatus et nondum confirmatus quamvis carens usu rationis. Confirmatio enim est naturale complementum vitae spiritualis, quae in baptismo confertur, et pari ratione ac baptismus pro omnibus instituta est. Quare valide confirmantur infantes quacunque aetate et etiam licite infantes infirmi et perpetuo amentes etc.

2. Confirmandi tamen non sunt pueri, qui usum rationis nondum adepti sunt. Quamvis enim lex, quae prohibeat recipere confirmationem ante usum rationis, proprie non existat, praxis tamen ecclesiae latinae fere ubique vigens id habet, ut pueri nec ante nec multo post aetatis annum septimum aut octavum confirmentur. Quocirca etiam ante usum rationis confirmari possunt, si vitae periculum immineat, vel si episcopus occasionem accipiendi hocce sacramentum raro tantum praebere possit, vel si alicubi (ut apud graecos et in hispania) existat consuetudo confirmandi infantes.

3. Per se non existit obligatio gravis suscipiendi confirmationem. Hisce non negatur, gravem obligationem ratione scandali existere quandoque posse, neque negatur illum, qui oblata occasione renuat suscipere confirmationem, ratione contemtus posse graviter peccare; ratione ipsius sacramenti autem gravis necessitas non est.

Gravem obligationem, sive occasionem quaerendi sive oblata occasione sacramentum suscipiendi, non existere, plures docuerunt praesertim ex

antiquioribus theologis cum *s. Thoma.* Recentiores vero theologi post *s. Alphonsum* (n. 181), quem sequuntur, gravem obligationem plerumque affirmant. Argumentum autem, quod eandem clare demonstret, non proferunt. Et sane *a. Non ex lege naturae:* si enim ex natura rei haec obligatio probaretur, confirmatio necessaria esset necessitate medii; atqui sacramentum, quod statum gratiae supponit, nequit esse necessarium necessitate medii. *b. Non ex lege divina:* praeceptum enim divinum suscipiendi confirmationem non existit, siquidem verba Christi: ut expectarent promissionem Patris[1]) i. e. Spiritum sanctum, solos Apostolos respiciunt. *c. Non ex lege ecclesiastica:* ad hanc scilicet demonstrandam duo argumenta afferuntur. Et primo quidem quaedam verba ex constitutione Benedicti XIV. *Etsi pastoralis:* „Monendi sunt (graeco-itali), eos gravis peccati reatu teneri, si, quum possunt ad confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt". Haec autem verba *peculiaria* prorsus adiuncta respiciunt, quapropter lex *universalis* ex iis inferri nequit[2]). Deinde vero afferunt instructionem, quae in appendice ritualis romani reperitur, quaeque haec verba continet: „etsi enim hoc sacramentum non sit de necessitate medii ad salutem, tamen sine gravis peccati reatu respui non potest ac negligi, cum illud suscipiendi opportuna adest occasio". Ex his autem id unum infertur, patres congregationis de propaganda fide, qui hancce instructionem pro missionariis exararunt, illius fuisse sententiae, quam his verbis significant, nullatenus vero, eos legem universalem condidisse, quippe qui potestate legifera carerent.

4. Ad *valide* suscipiendam confirmationem requiritur baptismus susceptus et in adultis intentio saltem habitualis, quae quidem intentio in voluntate christiane vivendi implicite continetur. Ad *licite* autem et fructuose suscipiendam confirmationem requiritur status gratiae: qui ergo ante confirmationem in grave peccatum lapsus est, potest quidem vel per confessionem vel per contritionem perfectam gratiam sibi comparare, confessio tamen valde suadenda est et ex consuetudine ubique praemittitur.

Confirmandum debere esse ieiunum aut (si per aetatem licet) s. eucharistia refectum, nullibi praecipitur, laudabiliter autem observatur.

5. Quod *patrinum* confirmationis attinet *a.* is per se sub gravi adesse debet ex sacrorum canonum praescripto[3]); et unus quidem patrinus solum de licentia episcopi plures (quam duos) eodem tempore suscipere potest, plane autem

[1]) Act. 1, 4.
[2]) Cf. *Gury-Ballerini* ad n. 270.
[3]) S. Alphons n. 185.

improbatur, unum patrinum omnes pueros et unam matrinam omnes puellas tenere[1]); *b.* unus tantum non plures; atque id quidem propter antiquam consuetudinem ponendi pedem dexterum confirmandi super pedem dexterum patrini; *c.* eiusdem sexus ac confirmandus; *d.* confirmatus, quae quidem conditio ex pontificali romano videtur esse necessaria, ut quis valide sit patrinus[2]); *e.* designatus a parentibus vel in eorum defectu ab episcopo; *f.* si fieri possit diversus a patrino baptismi[3]) nec minor annis quatuordecim; *g.* ut quis valide sit patrinus requiritur, ut confirmandum *tangat* (ponendo manum dexteram super humerum eius dexterum); *h.* ex munere patrini valide in confirmatione suscepto oritur *cognatio spiritualis* inter patrinum, confirmatum eiusque parentes[4]).

Si quis ergo in baptismo et in confirmatione patrinum ageret respectu eiusdem; vel si apud filios eiusdem patris apud unum patrinus baptismi apud alium patrinus confirmationis esset, duplicem cognationem contraheret.

---

[1]) S. Off. 16. iun. 1884.

[2]) S. C. C. 13. iun. 1654.

[3]) S. C. C. 16. febr. 1884 dicit esse abusum ab episcopo pedetentim eliminandum, si idem respectu eiusdem sit patrinus baptismi et confirmationis.

[4]) Conc. Trid. sess. 24. de ref. matr. c. 2.



Liber quartus.

De eucharistia.

---

46. Eucharistia duplici modo considerari potest, ut *sacramentum* et ut *sacrificium* est. Rationem sacramenti habet quatenus consecratur, post consecrationem manet et sumitur: de ratione enim sacramenti est, ut hominem sanctificet, eucharistia autem sanctificat, dum sumitur. Rationem sacrificii habet quatenus offertur: nam de ratione sacrificii est, ut in Dei cultum cedat eumque offensum placatum reddat; Deus autem colitur et placatur, dum eucharisticum sacrificium ei offertur.

Caput primum.

De eucharistia ut sacramentum est.

Quaestio prima.

De natura eucharistiae.

47. *Eucharistia* definiri potest *sacramentum*, quo corpus et sanguis Christi sub speciebus panis et vini continetur ad spiritualem animae refectionem.

1. Corpus Christi sub speciebus panis et sanguis Christi sub speciebus vini sunt quidem materialiter duo signa

physice distincta, sed non sunt duo sacramenta, sed unum integrum et perfectum sacramentum, quia ordinantur ad unum effectum producendum scilicet spiritualem animae refectionem per modum convivii, corpus quidem ut cibus et sanguis ut potus. Quare species panis et vini possunt etiam dici duo partialia sacramenta, quae unum integrum spirituale convivium constituunt. Nihilominus qui eucharistiam recipit sub sola specie panis, eandem specifice gratiam seu plenam animae refectionem recipit, ac ille qui sub utraque specie communicat, etsi iuxta plures theologos hic extensive maiorem gratiam recipiat[1]), quemadmodum specie quidem eandem extensive autem maiorem gratiam recipit, qui bis vel ter communicat, ac ille qui semel communicat. Qui autem plures hostias consecratas sumit, non maiorem recipit gratiam, quam qui unam sumit: nam unum sacramentum et una refectio est, sive una sive plures particulae sumantur.

2. Distingui debet sacramentum *in fieri*, quod in consecratione consistit, et sacramentum *in facto esse*, quod consistit in sacramento post consecrationem permanente; a sacramento autem in fieri et in facto esse distinguendus est usus sacramenti seu sacramentum *in usu*, quod in sumtione seu manducatione consistit. Sumtio vero conditio est, ut sacramentum suum effectum in anima producere possit. Quare proprium est huius sacramenti, ut perfectum sit sacramentum ante usum et effectum suum non producat ut alia, quando conficitur, sed quando iam confectum sumitur.

3. Ut eucharistia producat effectum, ex voluntate Christi tamquam conditio requiritur sacramenti sumtio, et ea quidem, quae sit manducatio, cum Christus dicat: qui *manducat* meam carnem etc.[2]); *manducantibus* ergo promittitur gratia. Manducare autem non dicitur, qui cibum mere in os sumit, sed ille tantum, qui cibum ex ore per

---

[1]) Cf. *Lugo*, De euchar. disp. 12. s. 3.
[2]) Io. 6, 57. 59.

fauces in stomachum demittit. Et quoniam sacramentum suum effectum producit in ipsa manducatione, gratia sacramenti non confertur, quando sacrae species sunt in ore, sed quando recipiuntur in stomachum. Si quis ergo species tamdiu retineret in ore, ut ibi dissolverentur, aut si quis moreretur, antequam hostia in stomachum descenderit, non reciperet gratiam sacramenti [1]).

4. Christus in eucharistia *realiter praesens manet*, quamdiu sacrae species manent integrae, et desinit esse praesens, simulac species corrumpuntur. Quamdiu autem sacrae species post sumtionem maneant integrae, generali regula determinari nequit. Id a vi digestiva stomachi, quae in variis varia est, pendere, manifestum est; ideo fieri potest, ut in infirmo post dimidium horae species nondum sint corruptae. Verum etiam quoad sanos, qui fere eandem vim digestivam habere supponuntur, periti sunt diversae opinionis: alii enim putant post minutum species iam esse corruptas [2]); alii autem censent post semihoram adhuc esse integras [3]). Post septem aut decem minuta species etiam in sacerdote, qui maiorem hostiam et utramque speciem sumit, videntur esse corruptae.

48. *Effectus* eucharistiae ut sacramentum est hi sunt: 1. Nutrimentum seu *spiritualis refectio* animae, est namque eucharistia cibus animae. Refectio ista consistit in augmento gratiae sanctificantis cum iure ad speciales gratias actuales, quae intuitu eucharistiae perceptae dantur ad vitam spiritualem conservandam et augendam per opera bona.

2. *Remissio peccatorum venialium*, modo saltem virtualiter sint retractata, et condonatio aliqua poenae temporalis pro peccatis remissis debitae. Peccata autem mortalia per eucharistiam non delentur nisi per accidens, idque solum probabiliter, in eo, qui bona fide in statu peccati mortalis, sed attritus, ad sacram mensam accedit.

---

[1]) *Mazzotta*, De sacram. tr. 5. disp. 4. q. 1. c. 1. Etsi vera essent, quae habet *Olfers* (Pastoralmedicin p. 42.), actio tamen manducandi non esset aliter definienda: huius enim actionis natura in re sacramentaria non ex factis physiologicis et chimicis, sed ex communi hominum iudicio determinatur; atqui vulgo manducare dicitur, non qui cibum in os sumit, sed qui cibum sumtum deglutit.

[2]) *Olfers*, Pastoral-Medicin p. 45.

[3]) *Capellmann*, Pastoral-Medicin p. 139.

3. *Imminutio fomitis concupiscentiae:* auget enim speciali modo caritatem; augmentum autem caritatis est imminutio concupiscentiae.

4. *Intima coniunctio cum Christo* capite et unio fidelium per caritatem inter se. Io. 6, 57.

5. *Dulcedo spiritualis,* quae consistit in promtitudine voluntatis ad res divinas, quae mira et saepe sensibilis est, nisi impediatur communicantis negligentia, distractionibus et affectu ad res terrenas.

6. *Influxus in gloriosam corporum resurrectionem:* coniunctio enim, quam corpus communicantis habet cum carne Christi vivificante, praebet titulum futurae resurrectionis: Io. 6, 55. Alii, qui non refecti fuerunt corpore Christi, suscitabuntur quidem, sed non ex hoc speciali titulo.

49. *An consecratio unius speciei sine altera sit valida.* Declarationis causa haec praemittenda sunt. Ex voluntate et institutione Christi sacramentum eucharistiae confici nequit, nisi in sacrificio eucharistico: voluit enim Christus, ut tum solum consecraretur, quando sacrificium offertur et vicissim, ut sacrificium offerretur, quoties consecratio fit. Ratio igitur sacramenti in eucharistia ex voluntate Christi separari nequit a ratione sacrificii, eodem prorsus modo, quo ex voluntate eiusdem Christi Domini ratio sacramenti pro fidelibus a ratione matrimonii seiungi nequit. Quoties autem sacrificium offertur, ex voluntate et institutione Christi requiritur consecratio utriusque speciei: Christus enim utramque speciem consecrans praecepit: *hoc facite in meam commemorationem*[1]). Imo vix non certum est, utriusque speciei consecrationem ad ipsam sacrificii eucharistici essentiam requiri[2]). De ratione enim sacrificii eucharistici est, ut sit incruenta repraesentatio sacrificii cruenti in cruce; atqui repraesentatio sacrificii cruenti eo solum est, quod consecratio utriusque speciei fit; eo enim quod corpus et sanguis Christi sub diversis speciebus ponitur, corpus separatum a sanguine ac veluti mortuum et sanguis Christi effusus incruente significat sacrificium crucis. Ratio autem sacramenti in eucharistia per se non postulat consecrationem utriusque speciei, quare una tantum species sine dubio valide consecrari potest:

[1]) 1. Cor. 11, 24. 25.
[2]) Zeitscrift f. k. Theologie 1892. S. 97 ff.

forma enim, qua una species consecratur, independenter ab alia significat et causat verum sacramentum; ideo panis valide consecratur, antequam consecretur vinum. Itaque

1. Valida est consecratio unius speciei sine altera sive sacerdos per errorem sive ex industria unam tantummodo speciem consecrat, modo debitam intentionem habeat. Si quis igitur alterutram speciem sine altera consecrat, perficit quidem sacramentum, at vero non offert sacrificium [1]).

2. Sed per se nunquam licitum est consecrare unam tantummodo speciem neque ex gravissima causa e. g. communicandi infirmum, qui alias sine viatico decederet. Imo tam grave theologis videtur esse hoc praeceptum divinum utramque speciem consecrandi, ut dicant ecclesiam in hac re nunquam dispensasse nec dispensare posse, quia naturam sacrificii a Christo instituti mutare non potest.

3. Per accidens tamen quandoque fit, ut una species sine alia consecretur: *a.* si periculum mortis e. g. ab incendio vel a ruina templi subito immineat; *b.* si sacerdos deprehenderet rem consecratam non fuisse vinum et aliud vinum non adesset; *c.* si sacerdos aquam pro vino consecrasset et defectum non adverteret nisi postquam ab ara iam recessit et sacrificium sine scandalo aut sine irreverentia supplere non posset; *d.* si sacerdos hostia consecrata deficiat nec adsit alius, qui sacrificium compleat.

Quaestio secunda.

De materia eucharistiae.

Articulus primus.

De materia remota.

50. Materia *remota* huius sacramenti est panis et vinum; materia *proxima* est usus huius materiae in consecratione. Quaestio est de materia remota. Materia igitur

[3]) Cf. Missale rom. de defectibus IV, 5. 8.

valida eucharistiae est solus *panis triticeus* et *vinum de vite*. Ex institutione enim huius sacramenti constat, Christum in ultima coena imprimis consecrasse panem [1]; solus autem panis triticeus ex communi hominum usu simpliciter panis vocatur. Deinde in eadem coena vinum de vite consecravit [2], quod solum proprie et simpliciter vinum dicitur. Quare *concilium florentinum* docet, materiam huius sacramenti esse *panem triticeum et vinum de vite.*

1. Ad *valide* igitur conficiendum eucharistiae sacramentum requiritur panis ex farina triticea et aqua naturali tantum confectus et igne tostus: *panis* enim est cibus ex farina et aqua tantum confectus et igne coctus.

a. Diversae *frumenti* species, quae a tritico physice differunt, invalidam, *tritici* vero diversae species seu potius varietates validam huius sacramenti materiam suppeditant, modo communi hominum iudicio pro vero tritico habeantur.

Diversae sunt *frumenti* species, de quarum valido vel licito usu in conficiendo hocce sacramento quaeri potest, scilicet: triticum, spelta, secale, hordeum, siligo. Porro *secale* (Roggen, Korn) et *hordeum* (Gerste) sunt species frumenti a tritico diversae; quare hordeum quidem constituit materiam certo invalidam, secale autem materiam dubiam: sunt enim, qui putent, ex hoc frumento confici panem usualem; panis autem usualis est materia apta eucharistiae [3]. *Siligo* non idem apud omnes significat: aliis enim siligo idem est ac secale, aliis autem tritici speciem eamque optimam denotat; pro diversa igitur significatione panis siligineus valida vel invalida materia erit. Idem de *spelta* dicendum: etenim sunt regiones, in quibus veri tritici species nomine speltae designatur.

Tritici autem diversae numerantur species vel, si mavis, varietates (Abarten): *triticum vulgare* (Weizen), *tr. durum* (Bartweizen), *tr. turgidum* (englischer Weizen), *tr. polonicum* (polnischer Weizen), *tr. spelta* seu far (Spelz oder Dinkel); *tr. bicoccum* (Emmer); *tr. monococcum* (Einkorn). Omnes istae tritici diversae species communi hominum iudicio et aestimatione pro vero tritico habentur, et panis inde confectus ab omnibus triticeus dicitur, quare dubitari nequit, quin omnes materiam validam et licitam constituant. Generatim dicendum est, illud frumentum, quod in determinata regione communi hominum iudicio est et dicitur triticum, constituit validam eucharistiae materiam. Triticum vero *turcicum* (zea mais = türkischer Weizen, Mais) nomen tritici habet, reipsa autem est sub-

---

[1] Mt. 26, 26. [2] Mt. 26, 29.

[3] *Gobat,* Theol. exper. tr. 3. n. 29.

stantia prorsus diversa, ideoque panis ex hoc tritico confectus materia invalida est, aeque ac panis confectus ex farina *pomorum terrestrium* (Kartoffel), *fabarum* (Bohnen), *avenae* (Hafer), *oryzae* (Reis), *milii* (Hirse)[1].

b. Farina in alio liquore e. g. lacte, vino etc. cocta non dicitur panis. Si tamen farinae admisceatur aqua artificialis, lac, butyrum, vinum vel alius liquor in modica quantitate, adeo ut longe maior sit quantitas aquae quam alterius liquoris, materia est quidem illicita, sed tamen valida, quia ex communi hominum aestimatione adhuc habetur verus panis. Pari modo sentiendum est, si farinae triticeae admisceatur modicum quid farinae alterius speciei e. g. hordei vel fabarum. Quae omnia si in maiori quantitate admiscerentur, materiam constituerent certo invalidam. Pani consecrando pariter non est adiungendum sal; si tamen per errorem admixtum esset, panis iste adhiberi posset, adeo ut deficiente alia hostia necesse non esset celebrationem omittere.

Quare hostiae illae rubrae vel alterius coloris, quibus obsignantur literae, modo confectae sint ex farina triticea, sunt materia valida etsi illicita, si valde modica quantitas cinnabaris vel alterius substantiae admixta est; sunt autem materia dubia vel etiam invalida, si maior quantitas alienae substantiae admiscetur.

c. Massa ex farina et aqua nondum cocta, sed adhuc cruda, materia est invalida, quia nondum est panis; pari ratione farina in aqua cocta per modum pultis est materia invalida, quia non est panis.

2. Ad *licite* conficiendam eucharistiam pro latinis requiritur, ut panis sit azymus, pro graecis, ut sit fermentatus[2]; insuper hostia consecranda debet esse munda, integra, incorrupta et formae orbicularis maioris.

a. Quamvis valide consecrari possit tam in pane azymo quam in fermentato, quia uterque est verus panis ex farina triticea et aqua naturali confectus, tamen latini tenentur sub gravi consecrare in azymo et graeci in fermentato; et ab hoc praecepto ne quidem necessitas viatici pro

---

[1]) Cf. *Olfers,* Patoralmedicin p. 194.

[2]) Conc. flor. in decret. unionis.

moribundo, sed sola necessitas complendi sacrificii excusat. Sacerdos tamen in itinere constitutus potest, si desit ecclesia proprii ritus, pro lubitu vel suum ritum servare vel alieno se conformare; potest ergo latinus in ecclesia graeca in fermentato vel etiam in azymo consecrare. In ecclesia autem proprii ritus, quam, si adsit, adire debet, tenetur suum ritum servare, nulla enim tunc est ratio mutandi [1].

Mentione dignum est sequens decretum: Omnibus fidelibus cuiuscunque ritus sive latini sive orientalis degentibus in locis, in quibus non sit ecclesia aut sacerdos proprii ritus, facultas in posterum a s. sede conceditur, s. communionem non modo in articulo mortis et pro paschali praecepto adimplendo, sed etiam quovis tempore devotionis gratia iuxta ritum ecclesiae existentis in praedictis locis, dummodo catholica sit, recipiendi. C. de prop. fide 18. aug. 1893.

b. Figura hostiae consecrandae in ecclesia latina debet esse orbicularis, in ecclesia autem graeca est quadrata. Consecrare hostiam maculatam vel modice fractam secluso scandalo veniale peccatum est; si tamen fractura vel macula in hostia post oblationem demum deprehenditur, excluso scandalo licite consecrari potest, quia per oblationem iam aliquo modo Deo dicata est. Tandem deficiente hostia maiore permittitur, etiam solum devotionis causa, cum hostia parva celebrare, non solum privatim, sed, scandalo apta populi monitione excluso, etiam publice [2]: siquidem non est obligatio gravis consecrandi hostiam maiorem.

c. Consecratio non est invalida, quamvis propter irreverentiam graviter illicita sit, si panis substantialiter nondum est corruptus, sed aliquod tantum corruptionis initium ostendit. Ex hoc principio auctores inferunt, panem mucidum manere materiam validam, sed esse graviter illicitam. Quod quidem admitti potest, quamdiu panis ex mucore *incipit* corrumpi: panis enim plane mucidus iam integre corruptus est [3].

Nota. Panis, qui antiquitus a sacerdotibus vel saltem a clericis coquebatur, ex hodierna praxi a laicis praeparari potest; sacerdotibus autem

---

[1]) *S. Alphons.* n. 203.

[2]) *S. Alphons.* n. 205.

[2]) *Olfers,* Pastoralmedicin p. 198.

in re tanti momenti gravis incumbit obligatio vigilandi, ut materia sacrificii sit certo valida. Quocirca curent, ut qui hostias parant, non sumant nisi farinam triticeam eamque puram et recentem, nunquam autem farinam artificialem (Kunstmehl), de cuius qualitate semper dubitari debet; insuper curent, ut pistores hostiarum diligentia, fidelitate et pietate se commendent.

51. *Vinum de vite.* 1. Ad *valide* consecrandum solum et omne vinum de vite adhiberi potest, quod substantialiter est incorruptum.

a. Ideo *materia invalida* sunt omnes alii liquores, qui natura sua non sunt vinum, ut cerevisia, succus ex fructibus (pomis, pyris etc.); etiam succus ex uvis immaturis expressus *(agresta)*, qui naturam vini nondum habet, deinde vinum, quod dicunt secundum i. e. ex uvis iam expressis affusa aqua denuo expressum *(lora)*, cuius maior pars est aqua; *acetum*, quod est vinum corruptum; *vinum adustum*, quod est alia a vino substantia, ac tandem *vinum arte factum*, quod non est vinum de vite. Licet enim, ut scite observat *Lehmkuhl* (n. 119. 7.), chimice eadem sint elementa, non tamen quid chimice, sed quid humana aestimatione vinum de vite sit, attendi debet.

b. Materia *valida* est *succus ex uvis siccatis* expressus, modo ita praeparetur, ut ex colore, odore et gustu dignoscatur esse vinum[1]).

c. Omne vinum, sive album sive rubrum sive ex utroque mixtum sive generosum sive debile cuiuscunque regionis et geniminis, est materia valida consecrationis, quia in omnibus est vera natura vini. Et licet vinum generosum dignitati tanti sacramenti magis conveniat, quia tamen debile et acre facilius constat esse genuinum, meliori praeferendum est, nisi certo constet, hoc esse vinum purum et impermixtum.

2. Ad *licite* consecrandum adhiberi debet vinum facta fermentatione perfectum, purum et incorruptum.

a. *Mustum* seu succus ex uvis maturis recenter expressus est materia valida, sed graviter illicita consecrationis; valida quidem, quia ecclesia eandem habet pro valida, cum sit vinum, etsi nondum perfectum[2]); illicita autem, quia admixtas habet partes non consecrabiles, nec est vinum perfectum.

b. Si *vino admiscentur aromata* vel alius liquor et quidem in modica quantitate, adeo ut substantiam vini retineat et simpliciter pro vino habeatur, erit materia illicita, sed nondum invalida; imo etiam materia licita esse potest,

---

[1]) S. Officium 22. iul. 1706.

[2]) Missale rom. tit. 4. n. 2.

si modicum quid addatur ad vinum conservandum[1]). Notabilis autem copia aromatum vel alterius liquoris vino adiecta hoc constituit materiam invalidam aut saltem dubiam.

c. *Vinum acescens*, quod aliquantulum sit acidum et corrumpi incipiat, manet materia valida et deficiente alio vino licite adhiberi potest, quia servat naturam vini; notabiliter autem acescens, quod nondum est acetum, etsi forte sit materia valida, quia non est omnino corrupta, certe graviter illicita est.

d. *Vinum congelatum* pariter est materia valida, quia per congelationem non corrumpitur, sed accidentaliter tantum mutatur. Tamen non liceret vinum congelatum consecrare, quia est contra usum in ecclesia receptum; ideo ante consecrationem liquefieri deberet.

3. Vino consecrando admiscenda est modica *aqua*, non ex necessitate sacramenti, sed ex praecepto ecclesiae sub gravi obligante[2]).

Tam grave theologis videtur esse hocce praeceptum, ut nullum admittant casum, in quo licitum sit celebrare, si praevideatur defectus aquae. Et si quis oblitus esset infundere aquam suo tempore, defectum, si ipsum advertat ante consecrationem calicis, supplere debet, etiam immediate ante consecrationem vini, sed non postea, quia vino consecrato nihil admiscere licet, quod consecratum non sit. Sufficit autem una alterave guttula aquae, et octo vel decem guttas quantitas aquae vino adiectae excedere non deberet; etsi aqua usque ad octavam, imo usque ad quintam partem vini infundi possit. Aquae autem quantitas adiecta, quae vini tertiam partem excederet, materiam redderet dubiam, et si vinum non est generosum, etiam invalidam. Quare si casu nimium aquae adiectum fuerit, iterum aliquid vini addendum erit. Aqua tandem vino admisceri debet ad altare in ipso calice, nec sufficeret admixtio ante sacrum facta in urceolo, etsi ab ipso sacerdote facta fuisset, quia mixtio ad ritum sacrum pertinet, quo ex praecepto ecclesiae sacrificium offerri debet.

---

[1]) Qua de re notandum est decretum *s. Officii* 31. iul. 1890, quod permittit, ut ad vinum debile diutius conservandum eidem admisceatur quaedam quantitas spiritus vini (alcohol), dummodo spiritus extractus fuerit ex genimine vitis et quantitas alcoholica addita una cum ea, quam vinum, de quo agitur, naturaliter continet, non excedat proportionem duodecim pro centum et admixtio fiat, quando vinum est valde recens.

[2]) Concil. Trid. sess. 22. de sacrif. miss. c. 7.

Articulus secundus.

De materia proxima.

52. Ad *valide* consecrandum duae conditiones requiruntur: 1. Imprimis requiritur, ut materia sit consecranti *physice praesens:* id enim postulat obvius sensus verborum consecrationis. Ut physica haec praesentia habeatur, requiritur quidem, ut materia aliquo modo sit coram sacerdote, nec nimis distet, attamen non requiritur, ut eadem a consecrante aliquo sensu percipiatur, sed sufficit, ut prudenti hominum iudicio per pronomina *hoc* et *hic* sufficienter demonstrari possit.

a. Hinc valide consecrantur hostiae omnes, quae in calice congestae reperiuntur, licet inferiores videri non possint; item, quod praesentiam attinet, particulae in ciborio clauso vel palla cooperto, vinum in calice non detecto; imo etiam vinum in vase vel panis in canistro clauso: materia enim ratione vasis, quo continetur et quod ad ipsam continendam destinatur, physice satis praesens est, ut per verba *hoc* et *hic* demonstrari possit. Et haec quidem certa sunt, quamobrem non est iteranda consecratio, si e. gr. pyxis ex oblivione inter consecrationem clausa mansit.

b. At non valeret consecratio, si materia (etiam sciente sacerdote) esset post altare aut post tabulam, quae dicitur canonis, aut a tergo consecrantis, quia non est ita praesens, ut possit demonstrari per pronomen *hoc* et *hic.* Ex eadem ratione valide consecrari nequit materia, quae ultra decem (alii dicunt viginti) passus distat. Si hostia lateret sub corporali aut in missali, aut si lateret sub mappa altaris aut sub cussino, dubia esset consecratio, quia hostia ibi latens vix satis demonstrari potest per pronomen *hoc.* Et licet valide consecretur hostia existens in tabernaculo aperto, saltem dubia esset consecratio, si tabernaculum foret clausum.

2. Deinde requiritur, ut materia consecranda *per intentionem* actualem vel virtualem consecrantis in individuo sit *determinata:* sicut enim ad consecrandum universim requiritur intentio consecrandi, ita ad consecrandam determinatam materiam requiritur intentio illam determinate consecrandi: nam quaelibet actio determinatum terminum habere debet, circa quem versetur.

a. Hinc si sacerdos post consecrationem advertat, plures adesse hostias, sive a se sive ab alio appositas, quam putaverat, nullum est dubium, quin omnes sint consecratae, quia habuit intentionem actualem vel virtualem consecrandi materiam praesentem.

b. Si autem ex integro cumulo hostiarum solum quinque aut mediam tantummodo partem vellet consecrare, nulla esset consecrata. Pariter non sunt consecratae hostiae, quae sacerdote omnino inscio in altari vel etiam in corporali sunt positae, quia intentionem illas consecrandi nunquam habuit.

53. Ad *licite* autem consecrandum requiritur, ut materia sit 1. in altari, 2. super corporale, 3. in lapide consecrato, 4. vel immediate in corporali vel in manibus consecrantis vel in vase sacro eoque aperto.

Ideo si altare sit portatile et si hostiae parvae non nude in corporali, sed in ciborio existant, hoc inter consecrationem ita est collocandum, ut pedis saltem aliqua pars in lapide consecrato consistat. De hac autem re non sunt iniiciendi scrupuli, modo ciborium sit in corporali. — Hinc graviter peccaret sacerdos, qui sciens consecraret materiam, quae sit extra altare, aut extra corporale aut in vase non sacro, et venialiter peccaret, qui sciens vas sacrum non aperiret.

54. Ut pluribus quaestionibus de hac re solvendis via paretur, haec notentur. Supposita apta praesentia materiae consecrandae res tota essentialiter dependet ab intentione consecrantis, qua materia consecranda debet esse in individuo determinata. Iam vero in sacerdote celebrante duplex distinguenda est intentio. Imprimis quilibet sacerdos celebraturus intentionem habet celebrandi, quae natura sua est intentio consecrandi prout ad sacrificium offerendum requiritur. Quae quidem intentio est absoluta, nec aliqua conditione, e. g. si res absque peccato (materiali) consecrabilis est, licite restringi potest. Vi huius intentionis certo consecratur hostia, quae in manibus sacerdotis, et vinum, quod in calice reperitur. An vi huius intentionis consecretur etiam particula, quae sive inscio celebrante sive ipso advertente, verum de eius consecratione non cogitante, in corporali posita est, non certo constat. Sunt quidem, qui intentionem celebrantis non restringant ad materiam sacrificii, sed ex praesumta interpretatione extendant ad omnem materiam, quae in corporali posita et decenter consecrabilis est: putant enim in celebrante praesumendam esse intentionem consecrandi, quidquid decenter consecrabile in corporali est. Verum valde dubi-

tari potest, an iure eiusmodi intentio praesumatur[1]). At praeter hanc intentionem generalem celebrandi sacerdos expresse formare potest intentionem consecrandi insuper aliam materiam e. g. particulas, quae in corporali positae sunt vel in ciborio continentur. Etiam haec intentio est et esse debet absoluta, non aliqua conditione restricta. Porro vi huius intentionis sive ante sacrum sive in sacro expresse elicitae valide consecratur quaevis materia, ad quam intentio illa refertur, etsi sacerdos in actu consecrationis ad illam non advertat, modo sit physice praesens in ara. Duplex enim conditio, quae ad validam consecrationem requiritur, sine dubio in hoc casu adest, cum materia consecranda ex suppositione sit praesens et intentio explicite formata eandem consecrandi in actu consecrationis virtualiter perduret. Intentionem autem consecrandi expresse elicere censetur quilibet sacerdos, qui vel ipse particulas defert ad aram, ut eas postea consecret, vel qui ante sacrum sive in sacro monetur de ciborio in missa consecrando, vel qui intra missam advertit, ciborium consecrandum poni in ara. His praemissis dico:

1. *Guttulae vini interius calici adhaerentes,* si sacerdos circa eas peculiarem intentionem non elicit, non videntur esse consecratae: nam intentio generalis celebrandi adeoque consecrandi videtur restringi ad materiam, quae per modum unius continui tempore consecrationis est in calice. Cum tamen res ista non sit omnino certa, post consecrationem guttulae illae nullo modo abstergendae, sed vel cum pretiosissimo sanguine vel cum purificatione sumendae sunt.

2. *Guttulae vini exterius calici adhaerentes,* si sacerdos circa ipsas nihil expresse intendit, non consecrantur; in-

[1]) Si cum hostia consecranda, quam sacerdos in manibus tenet, ipso nesciente coniuncta est alia hostia, haec certo consecratur: intentio enim consecrantis refertur ad materiam, quae in manibus consecrantis praesens est. At vero intentio consecrandi non potest eodem iure extendi ad materiam, quae inscio consecrante in ara praesens est: illa enim implicite per intentionem consecrantis determinata est, haec vero per eiusdem intentionem non videtur esse sufficienter determinata.

tentio enim celebrandi certo non se extendit ad materiam, quae non est decenter consecrabilis; manifestum vero in his est periculum irreverentiae. Quod si sacerdos circa guttas sive interius sive exterius calici adhaerentes expressam intentionem faceret, easdem aut consecrandi aut non consecrandi, pro ratione intentionis aut essent aut non essent consecratae. Intentio vero expressa consecrandi guttas *exterius* adhaerentes contra reverentiam sacramento debitam graviter peccaret.

3. *Micae panis*, quae tempore consecrationis hostiae adhaerent eique coniunctae sunt, certe consecrantur; micae autem, quae ab hostia separatae vel in corporali vel in ciborio existunt, probabiliter non sunt consecratae, si sacerdos circa eas nihil expresse intendit: nam intentio illa consecrandi praesentem materiam ad micas separatas protendi non videtur. Micae igitur, quae in ciborio sunt residuae, quando illud est purificandum, aliae erunt consecratae, utpote a particulis post consecrationem demum divulsae, aliae non erunt vel saltem dubie erunt consecratae, utpote ab hostiis iam ante consecrationem separatae.

4. *Ciborium in corporali* positum, quod tempore consecrationis ex inadvertentia mansit clausum, consecratum est, si in consecrante fuit expressa intentio antea elicita illud consecrandi; at si circa illud nihil explicite intendit, non est consecratum.

5. *Ciborium,* quod tempore consecrationis ex oblivione *extra corporale* mansit, ex intentione virtualiter perdurante pariter censeri debet consecratum, modo sacerdos antea explicitam intentionem illud consecrandi habuerit.

Sunt, qui dubitent, num huiusmodi ciborium sit consecratum [1]: censent enim in hoc casu consecrantem non habere intentionem consecrandi, etsi antea illam elicuerit, quia consecratio obiective est graviter illicita. Si haec opinio vera est, statui debet tamquam principium, praesumendum esse, consecrantem et generatim eum, qui conficit sacramentum, nolle consecrare aut conficere sacramentum, quoties id sine peccato fieri non potest, etsi antea intentionem habuerit. Atqui hoc principium admitti nequit, quin in praxi sequantur multa et gravia incommoda, quae omnino vitari debent.

[1] Cf. *S. Alphons.* n. 217.

Etenim si fingimus, sacerdotem ex inadvertentia uti calice non consecrato vel baptizare in aqua notabiliter faeculenta, nulla est consecratio et nullum pariter est baptisma, quin sacerdos aut fideles de nullitate sacramenti quidquam sciant. Quae quidem certo sunt incommoda graviter illicita. Et haec est ratio, propter quam supra dixi, intentionem consecrandi debere esse absolutam [1]).

6. *Quid faciendum est, si particulis consecratis miscentur non consecratae.* — Totus cumulus ad altare deferendus et consecrandus est vel cum intentione consecrandi particulas non consecratas vel cum intentione consecrandi totum cumulum sub conditione, si non sint consecratae [2]).

55. Quoad *tempus*, quo in altari adesse debeat, et quoad *quantitatem*, in qua consecrari possit materia consecranda, haec tenenda sunt.

1. Hostiae in sacro consecrandae adesse debent ad offertorium, ut cum materia sacrificii, quacum consecrantur, simul etiam offerantur; licite tamen ex rationabili causa consecrari etiam possunt, si afferantur post offertorium, dummodo adsint ante praefationem et earum oblatio mentalis fiat. Imo ex gravi causa (si e. g. unus vel plures sine communione manerent aut nimis diu expectare deberent) etiam hostiae post praefationem sed ante inceptum canonem allatae, et ex gravissima causa (e. g. ad communicandum infirmum vel si magna multitudo fidelium non sine offensione aut communione privaretur aut nimis diu expectare deberet) hostiae etiam cepto iam canone ante consecrationem panis allatae, licite consecrari possunt. Si tamen unus tantummodo dimittendus esset sine communione, cepto iam canone non amplius pro ipso consecranda esset hostia, sed potius particula ex hostia sacerdotis detracta ipsi porrigenda esset.

Ratio huius praescriptionis desumenda est, ex ordine missae, qui post ritus praeparatorios duas partes continet, oblationem et consecrationem, cum communione. Iam vero actus liturgicus oblationis incipit ab offertorio et terminatur orationibus secretis; actus vero liturgicus consecrationis incipit a praefatione; ideo ordo missae pervertitur, si post inceptam obla-

---

[1]) Cf. *Ballerini-Palmieri* n. 59. sqq.

[2]) *S. Alphons.* n. 216.

tionem materia consecranda ad aram defertur, quae quidem ordinis perversio eo maior est, quo serius materia allata fuerit. Inde est, ut ante praefationem materia consecranda adhuc admittatur ex rationabili causa, quia actus liturgicus consecrationis nondum incepit; post ceptam praefationem solum ex gravi causa admittitur, quia actus liturgicus consecrationis quidem iam incepit, at solum per introductoriam praefationem in actum consecrationis; cepto autem canone alii materiam consecrandam aut nullo modo aut solum ex gravissima causa admittunt, quia canon iam ad ipsum actum liturgicum consecrationis pertinet.

2. Quemadmodum quantitas panis vinive quaecumque, etiam valde magna valide consecratur, dummodo per pronomen *hoc* sufficienter demonstrari possit, ita etiam quantitas quaecunque licet minima (mica panis vel guttula vini) valide consecratur, dummodo humano sensu percipi possit. Materia autem adeo minutissima, ut humano sensu non percipiatur, valide consecrari nequit: tum quia talis materia pronomine *hoc* demonstrari non potest, tum quia sacramentum generatim est signum sensibile, quod igitur suapte natura postulat materiam sensibilem. Ad licitam autem consecrationem requiritur ea panis vel vini quantitas, quae fini, usui et reverentiae tanti sacramenti conveniat.

Quaestio tertia.

De forma eucharistiae.

56. 1. Formam consecrationis panis constituunt verba, quibus Christus Dominus in ultima coena consecravit et sacramentum hoc instituit: *hoc est (enim) corpus meum.* Haec verba *omnia* (excepta particula *enim*) et haec *sola* in consecratione panis sunt essentialia, quia haec sola complete significant, quod in consecratione efficitur, nempe praesentiam corporis Christi. Si quis igitur vel unum horum verborum omitteret (e. g. *est* vel *meum*) aut substantialiter mutaret, valide non consecraret. Alia autem

praeter haec, sive praecedentia sive subsequentia, ad consecrationem essentialiter et necessario non requiruntur.

Opinatus fuerat *Scotus,* illa verba: *qui pridie* etc. ad consecrationem essentialiter quidem non requiri, sed tamen necessario praemittenda esse, ut verba formae in persona Christi proferri intelligantur. At vero sacerdotem loqui in persona Christi, non ex illis verbis, sed ex eius intentione pendet; eo ipso autem, quod sacerdos sacrificare intendit, habet intentionem verbis consecrationis competentem et loquitur in persona Christi.

2. Formam consecrationis vini constituunt pariter verba Christi: ***hic est (enim) calix sanguinis mei*** **vel hic est sanguis meus. Et haec quidem** ***sola*** **in consecratione calicis sunt essentialia, quia haec sola iam perfecte significant et efficiunt sacramentum, scilicet praesentiam sanguinis sub speciebus vini. Hinc verba, quae sequuntur:** ***novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*** **non sunt de essentia consecrationis, et reipsa in aliis liturgiis, praesertim orientalibus, vel pleraque vel omnia omittuntur. Necessario autem addenda sunt ex praecepto ecclesiae, ut adeo voluntaria eorum omissio aut notabilis mutatio grave peccatum sit.**

Verba, quae in consecratione panis adhibentur, desumta sunt ex evangelio *s. Matthaei* (26, 26.) et particula *enim* qua cum praecedentibus connectuntur, inserta est ex usu ecclesiae romanae, qui a. b. Petro descendit. Verba, quae in consecratione vini adhibentur, desumta sunt ex diversis s. scripturae locis praeter verba: *aeterni* et *mysterium fidei,* quae a Domino per apostolos ad ecclesiam pervenerunt.

3. Verba consecrationis proferri debent:

a. Recitative **seu materialiter i. e. narrando historice quid Christus Dominus fecerit et dixerit: ex contextu enim canonis constat, sacerdotem illa verba edicere tamquam ab alio, ab ipso scilicet Christo, prolata.**

b. Significative **seu formaliter i. e. ita ut sacerdos significet, se affirmare, hoc esse corpus Christi: si enim solum materialiter verba proferret, ad eorum veritatem non requireretur praesentia corporis et sanguinis Christi.**

c. Practice **non speculative tantum i. e. cum intentione per verba consecrationis efficiendi, ut ibi realiter adsit corpus et sanguis Christi.**

Ceterum necesse non est, ut celebrans omnes hos sensus expresse intendat, sicut necesse non est, ut determinate intendat consecrare vel per sola verba essentialia vel per omnia verba formae, sed sufficit, ut se conformet menti ecclesiae. Imo ad praecavendos errores et scrupulos consulendum est, ut celebrans in omnibus intendat, quod vult et intendit ecclesia; nomine autem ecclesiae intelligitur corpus morale fidelium, cuius caput est ipse Christus, sacramentorum institutor, qui proinde optime novit, quaenam verba consecrationem efficiant et quamnam materiam in corpus et sanguinem suum illa convertant.

d. Sine mutatione **vel substantiali vel accidentali.**

Invalidae sunt formae propter mutationem substantialem: 1. Hic (adverbialiter i. e. hoc loco) est corpus meum vel sanguis meus; 2. hoc est substantia mea: nam substantia Christi etiam animam significat, quae vi verborum non fit praesens sub speciebus; 3. hoc corpus est meum, hic sanguis est meus; 4. hoc sit, fit, fiat corpus meum, sanguis meus; 5. hoc est corpus Christi, hic est calix sanguinis divini. — *Dubiae* sunt formae: istud est corpus meum; ille est sanguis meus; haec est caro mea. — *Validae* sunt formae: 1. Hoc est meum corpus, hoc meum est corpus; 2. hic cibus est corpus meum; hic potus est sanguis meus; 3. hic est calix novum testamentum in sanguine meo, ut habet Lucas 22, 20. Modica enim seu accidentalis mutatio non reddit quidem formam invalidam, sed tamen plerumque graviter illicitam: in hoc enim tanto sacramento fere omnis voluntaria formae mutatio sub gravi cavenda est. Tamen vocem *enim* omittere veniale esset; pariter, ut monet *Lehmkuhl* n. 128. ex negligenti pronuntiatione, non ex defectu linguae balbutientis, corrumpere *est* in *es, corpus* in *copus, meum* in *meu, calix* in *calis, sanguinis* in *sanguis* a veniali excusari nequit.

Nota. Tandem pro praxi notandum est, quod habet rubrica *(Missale,* de defectib. V. 2.): „si celebrans non recordetur, se dixisse, quae in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari". Quare si propter distractionem tempore consecrationis occurentem dubium oriatur de valore consecrationis, formam repetere plerumque nec necessarium nec licitum est. Si tamen aliquando consecrationis verba repetenda essent propter errorem certum aut valde probabilem, — si error aliquo tempore post consecrationem deprehenditur, incipiendum est ab illis verbis: *qui pridie etc.;* si autem in ipsa consecratione error deprehenditur, sola forma repetitur.

Quaestio quarta.

De ministro eucharistiae.

Articulus primus.

De potestate ministrandi eucharistiam.

57. *Minister* eucharistiae duplex distinguitur, minister *consecrationis* et minister *dispensationis*. In ministro consecrationis *potestas ordinis*, in ministro autem dispensationis duplex *potestas* requiritur, potestas ordinis et *iurisdictionis*, quae potestas iurisdictionis aut *ordinaria* aut *delegata* esse potest. Ceterum patet, duplicem potestatem in ministro dispensationis solum ad licite administrandam eucharistiam requiri; valide enim a quolibet dispensari potest.

1. Soli sacerdotes sunt ministri *consecrandae* eucharistiae: solis enim sacerdotibus concessa est potestas consecrandi his verbis: *hoc facite in meam commemorationem* [1]), quae verba ad apostolos eorumque in sacerdotio successores sunt dicta. Haec autem potestas, utpote cohaerens cum charactere sacerdotali, competit omni sacerdoti, etiam haeretico, schismatico, excommunicato, suspenso vel alio impedimento canonico irretito.

2. Minister *dispensandae* eucharistiae potestate ordinis insignitus esse debet, qua insignitus iure divino eandem administrat.

a. Minister ordinarius dispensandae eucharistae est solus sacerdos: iisdem verbis enim, quibus data est potestas consecrandi, simul etiam concessa est potestas dispensandi, siquidem Christus consecrans et dispensans dixit: hoc facite in meam commemorationem; ergo laicus non potest seipsum communicare, nec sacerdos nisi in sacro. Hinc concilium tridentinum affirmat, ex apostolica traditione descendere, „ut laici a sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent" [2])

---

[1]) Luc. 22, 19. Conc. Trid. sess. 22. de sacrif. miss. c. 1. et can. 2.

[2]) Sess. 13. c. 8.

b. *Minister extraordinarius* dispensandae eucharistiae, in casu necessitatis et ex delegatione sacerdotis, est diaconus: siquidem diaconi iam in primitiva ecclesia ex commissione episcoporum et presbyterorum eucharistiam dispensabant.

α. Diacono ex ordinatione quidem competere videtur, ut possit eucharistiam ministrare: ad hoc enim ordinatur, ut sit immediatus minister sacerdotis in iis, quae pertinent ad s. eucharistiam, horum autem praecipuum est eiusdem distributio. Ex hodierna tamen praxi ecclesiae et delegatio sacerdotis et causa necessitatis requiritur, ut licite eandem ministret.

β. Necessitas haec non debet esse gravissima, ut si infirmus alias sine viatico decederet, sed sufficit, ut sit gravis vel congrua seu ut nullus adsit sacerdos, qui commode possit, ut ubi parochus confessionibus excipiendis, concione habenda vel aliis functionibus ecclesiasticis, quae commode differri nequeant, impeditur. In gravissima autem necessitate, quando nimirum alias moribundus sine viatico decederet, potest et debet diaconus etiam sine delegatione sacramentum ministrare.

γ. An diaconus, qui sine commissione dispensat eucharistiam, fiat irregularis, ab eo dependet, utrum ad dispensandam eucharistiam ordinatus sit. Quamvis hoc non sit omnino certum, a multis tamen non sine ratione affirmatur. Quare diaconus dispensans s. communionem probabiliter saltem non exercet ordinem, quem non habet, ideoque sine facultate eandem dispensans non incurrit irregularitatem.

δ. Si diaconus eucharistiam dispensat, omnia eodem ritu iisdemque verbis peragit ut sacerdos, praeterquam quod stolam transversam habet et in fine populo non benedicit.

c. Imo in gravissima necessitate moribundi posset, absente sacerdote et diacono, etiam subdiaconus vel clericus, et si absque scandalo fieri posset, etiam laicus tum sibi tum aliis viaticum ministrare. Id probabiliter permittunt plures auctores et merito quidem, cum praeceptum divinum sumendi in morte eucharistiam praevaleat praecepto humano, quod prohibet, ne a laico tangatur aut deferatur ss. sacramentum[1]. Sacerdos autem (imo etiam diaconus) posset, absente alio sacerdote, non solum necessitatis, sed etiam solummodo devotionis causa hoc sacramentum sibi ministrare[2].

---

[1]) Cf. *S. Alphons.* n. 237.

[2]) Cf. *S. Alphons.* n. 238. *D'Annibale,* Summula n. 262.

Ubi in communicando infirmo peculiaris dexteritas requiritur, sacerdos sorori caritatis committere posset, ut cochleari viaticum porrigat.

58. Ad licite administrandam eucharistiam insuper requiritur *iurisdictio* vel *ordinaria* vel *delegata:* pascere enim gregem Christi proprium est pastorum ius et officium; pascitur autem praecipue administratione sacramentorum. Qui ergo sine omni facultate seu iurisdictione eucharistiam dispensat, graviter peccat, quia ius pastoris in re gravi violat; et clerici diaconis inferiores, qui sine omni prorsus facultate dispensant eucharistiam, insuper contrahunt irregularitatem propter abusum sacri ordinis.

Sufficit autem *licentia* parochi *rationabiliter praesumta,* cum ab hac licentia non valor actus, sed sola eius liceitas dependeat. Licite ergo sacramentum hoc administrat, qui merito supponere potest, parochum administrationem omnino esse approbaturum. Quam ob rem consuetudo iam invaluit, ut quibus conceditur in quapiam ecclesia facultas celebrandi, simul concessa censeatur facultas administrandi eucharistiam. Facultas tamen ista non est praesumenda, ubi agitur de communione ex obligatione suscipienda: de communione paschali vel de sacro viatico; neque si agitur de prima communione puerorum. Si tamen infirmus viatico reficiendus esset et parochus absens illud administrare non posset, aut praesens iniuste administrare nollet, quilibet sacerdos sive saecularis sive regularis, et in horum defectu etiam diaconus, ex potestate parochi vel episcopi vel ecclesiae rationabiliter praesumta licite posset viaticum ad moribundum deferre.

1. Iurisdictio *ordinaria* seu ius proprium dispensandi eucharistiam convenit: *a. episcopis* in sua dioecesi; *b. parochis* in sua parochia; *c. praelatis regularibus* respectu suorum subditorum, quorum ipsi sunt quasipastores; *d.* omnibus, quibus *ex officio animarum cura* incumbit, relate ad eos, qui ipsorum curae sunt commissi.

2. Iurisdictio *delegata* convenit iis, quibus ordinarii pastores eandem dederunt; *regularibus* autem concessa est haec potestas per privilegium summorum pontificum: possunt enim regulares in suis ecclesiis vel oratoriis tum per se tum per alios sacerdotes fidelibus quibuscunque eucharistiam dispensare, praeterquam *in die paschatis* et *in articulo mortis:* communio enim paschalis et administratio sacri viatici ad specialia iura parochialia pertinent. Et regulares (stricte dicti) praesumentes clericis aut laicis

extra casum necessitatis viaticum ministrare absque parochi licentia incurrunt ipso facto *excommunicationem* papae simpliciter reservatam [1]).

59. Duo ergo regularibus prohibentur *a.* dispensare s. communionem in die paschatis et b. administrare s. viaticum.

1. Prohibitio dispensandi eucharistiam in die paschatis ita intelligenda est, ut regulares licite non possint:

a. Ministrare fidelibus eucharistiam, qua satisfaciunt praecepto annuae communionis: hanc enim in propria parochia recipere fideles tenentur, nisi per contrariam consuetudinem huic praecepto sit derogatum.

b. Ministrare s. communionem ipso die paschatis (et Romae insuper feria quinta in coena domini) etiam fidelibus, qui praecepto annuae communionis iam satisfecerunt; nisi vigeat consuetudo contraria.

Sacram communionem autem in die paschatis praebere possunt:

a. Iis omnibus, qui privilegium exemtionis participant, cuiusmodi sunt, praeter novitios, familiares i. e. illi saeculares, „qui sunt de eorum familia ac continui commensales", quibus accensendi sunt alumni convictores. *b.* Peregrinis, qui a proprio parocho communionem paschalem suscipere non possunt, et vagis, qui proprium parochum non habent.

2. Viaticum tamen administrare possunt: *a.* Iis saecularibus, qui sunt de eorum familia, ad quos pertinent etiam alumni convictores.

b. Infirmis in periculo mortis constitutis, si parochus illud non possit aut iniuste nolit dare.

c. Ex multorum sententia etiam *peregrinis,* qui scilicet non subiacent parochi iurisdictioni.

d. Etsi regularibus non liceat ad infirmos deferre s. communionem, quam ex devotione suscipiunt, quia eucharistiam publice per plateas deferre ex consuetudine est proprium ius parochiale; infirmis tamen, qui praecepto sumendi viaticum iam satisfecerunt, licite s. communionem privatim dare possunt, sive quod occulte eandem deferunt, ubi consuetudo id permittit, sive quod in domo aegroti sacrum faciunt, ubi adest legitima facultas [2]). Infirmorum autem confessiones audire, supposita approbatione, ubique possunt.

Articulus secundus.

De modo ministrandi eucharistiam.

60. Ex praescripto ecclesiae eucharistia administrari debet *a.* tempore debito; *b.* loco convenienti et *c.* ritu ecclesiae consueto.

---

[1]) Constit. *Apost. Sedis* II. 14.

[2]) *Busenbaum* ap. s. Alphons. n. 240. *Elbel* n. 297.

1. Eucharistia dispensari potest *singulis diebus* excepto tempore, quod fluit a feria quinta in coena domini post missam usque ad sabbatum sanctum post missam, et excepta pariter nocte nativitatis domini[1]), nisi adsit privilegium aut legitima consuetudo. Dispensari potest illis *horis*, quibus missam celebrare licet; imo qualibet hora diei; hinc si urgentes circumstantiae concurrerent (magnus concursus, indulgentia plenaria, iubilaeum), communio distribui posset ieiunis etiam una vel altera hora post meridiem, imo excluso scandalo etiam vespere; nullibi enim id prohibitum est.

Infirmis eucharistia deferenda non est nocturno tempore; si tamen urgeat necessitas morientis, viaticum quovis die et quavis hora sive diei sive noctis administrari potest et pro infirmis, qui solum ex devotione ss. sacramentum suscipiunt, licitum est, si ieiuni manere non possint, legitimum tempus antevertere, quod praesertim valet pro communitatibus, quae eucharistiam domi asservant.

Eucharistiam communicantibus *intra missam* distribuere, et rei naturae et voluntati ecclesiae valde conveniens est, ex consuetudine vero, quae iam diu ubique invaluit, etiam extra missam et immediate ante et post missam licite dispensatur.

2. Eucharistia dispensari debet *in ecclesia* vel *in oratorio* publico aut semipublico; in oratoriis privatis dispensari nequit, nisi de speciali licentia episcopi: nam in facultate celebrandi missam in oratario privato, facultas distribuendi s. communionem contineri non censetur[2]).

3. Ritum in distribuenda s. communione servandum docet Liturgica; hic notandum est, quale peccatum committat, qui a praeceptis liturgicis recedit.

a. Sine ulla veste sacra eucharistiam dispensare, nisi excuset necessitas, grave peccatum est; et sine veste sacra deferre eucharistiam ad aliud altare, omittere vel solam

---

[1]) S. C. R. 27. iun. 1868.

[2]) Benedictus XIV. *Magno* 2. iun. 1751.

stolam vel solum superpelliceum, sine lumine administrare, omittere preces vel antecedentes vel subsequentes, veniale est.

Quoad preces, quae post s. communionis dispensationem in rituali habentur, antiphona cum versu non praecipitur dicenda, versiculi autem sequentes cum oratione dici debent[1]).

b. Digitis ultimis sine causa tangere hostiam, veniale est, qui tamen indicem et pollicem manus dexterae impeditos haberet, posset ex gravi causa (ne fideles communione vel moribundi viatico priventur) in distribuenda communione aliis digitis uti: licet enim soli primi digiti inungantur, tamen tota manus consecrata est.

c. Causam diu controversam de communione danda in paramentis nigris decretum S. C. R. 23. iulii 1868 tandem hac ratione definivit: „posse in missis defunctorum cum paramentis nigris s. communionem fidelibus ministrari, etiam ex particulis praeconsecratis, extrahendo pyxidem a tabernaculo. Posse item in paramentis nigris ministrari communionem immediate post missam defunctorum; data autem rationabili causa, immediate quoque ante eandem missam; in utroque tamen casu omittendam esse benedictionem. Missas vero defunctorum celebrandas esse omnino in paramentis nigris, adeo ut violacea adhiberi nequeant, nisi in casu, quo die 2. novembris ss. eucharistiae sacramentum publicae fidelium adorationi sit expositum pro solemni oratione quadraginta horarum." Quodsi in paramentis nigris distribuitur s. communio, omittenda est benedictio in fine et tempore paschali omittendum est *Alleluia;* oratio autem et versiculi de tempore dicendi sunt.

d. Nunquam licet fidelibus dare aut hostiam maiorem, qualem sacerdos sumit in sacro, aut plures hostias parvas; et si supersint particulae nec adsit tabernaculum, in quo reponantur, a celebrante ante purificationem sumendae sunt; cavendum tamen, ne in nimia quantitate — plures viginti aut triginta — sumantur. Licet autem, si opus sit, hostias dividere, sed in duas tantum vel tres partes; licet etiam, si necessarium sit pro viatico vel ad unum alterumve communicandum, qui diutius exspectare nequit, ex hostia sacerdotis partem detrahere. Hostia vero, quae pro expositione ss. sacramenti adhibebatur, non debet

---

[1]) S. R. C. 24. septemb. 1842.

in partes divisa dari communicantibus nisi in casu necessitatis.

e. Quid faciendum sit, si hostia consecrata decidat vel pretiosus sanguis, optime docet *Lehmkuhl* n. 142: „Sacra specie diligenter collecta locoque inspecto, ne qua particula remaneat, locus interim tegendus et postea abluendus est, aqua ablutionis in sacrarium iniicienda: quae lex ablutionis, si agitur de ***hostia,*** non obligat sub gravi, nisi forte cecidit in locum, qui alias pedibus calcatur. In effusione autem *sanguinis* aliqua ablutio sub gravi fieri debet.

Si sancta hostia cecidit in barbam viri, in sinum mulieris etc. paucis, quoties ablutio magnam admirationem excitaret, potius omittitur. Si in sinum mulieris hostia cecidit, mulier in sacristiam ducenda est, ut ipsa sacras species inquirat, atque sacerdoti porrigat, et manus suas, quae sacras species tetigerunt, ipsa lavet ibidem.

Si in sacro celebrando gutta sanguinis cecidit sive in linteum sive in alium locum, ss. sanguis, si fieri potest, sorbeatur, dein si usque ad lapidem lignumve penetravit, haec res nonnihil radi, rasura comburi, locus ter ablui debet; lintea similiaque tegumenta ter debent ablui, ablutio et cineres rasurae in sacrarium iniiciendi sunt".

***f.* Si desit, qui sacerdoti ministret, potest communicaturus ipse, si sit vir, recitare *Confiteor* et sacerdoti respondere, vel potest ipse sacerdos ad omnia sibi respondere; si non adsit vir, ipse sacerdos omnia dicat, potius quam mulier (nisi sit monialis intra clausuram), etsi a longe stans, quidquam in ecclesia respondeat.**

4. Modum infirmis ministrandi eucharistiam tradit ex rituali romano Liturgica. Notandum

***a.* Reverentia ss. sacramento debita et simul statuta ecclesiae postulant, ut eucharistia detecto capite ad aegrotos deferatur.**

Ecclesia difficilis est in concedenda super hac re dispensatione; attamen si quando propter aëris intemperiem periculum valetudinis revera timendum esset, S. R. C[1]) permisit, ut episcopus pro sua prudentia tum in agris tum in oppidis delationem pileoli concederet. Et sicubi dispensatio episcopi obtineri nequiret, posset sacerdos, periculum valetudinis sive ab aestu solis sive a frigore merito timens, per epikeiam illam licentiam sibi sumere, quae sacerdotibus coloniensibus ab eadem congregatione concessa est, „incedendi tempestate praesertim hiemali capite laneo pileolo obtecto, qui exigente necessitate esse poterit tantae amplitudinis, ut aures etiam cooperiat"[2]).

---

[1]) In una *Oriolensi* 22. et 27. april. 1871. [2]) 13. novembr. 1862.

b. Licitum est ex gravi causa eucharistiam deferre equitando vel etiam in curru sedendo, sicut etiam ex gravi necessitate (e. g. tempore pestis, vel si infirmus hostiam alias deglutire nequit) medio aliquo instrumento, puta cochleari cum vino aut aqua, eandem porrigere licet.

c. Eucharistia ad aegrotos deferenda est „manifeste et honorifice“; licet tamen occulte eandem deferre tum in locis haereticorum, ubi manifeste sine periculo irreverentiae deferri nequit, tum in locis catholicorum, ubi manifeste sine magno incommodo deferri nequit; id autem inconsulto episcopo, si consuli potest, fieri non debet.

Quaestio quinta.

De subiecto eucharistiae.

Articulus primus.

De obligatione suscipiendi eucharistiam.

61. 1. Omnis homo baptizatus est subiectum capax eucharistiae sacramentaliter sumendae etiam infans et perpetuo amens.

Theologi distinguunt plures modos sumendi eucharistiam[1]: *Realiter* sumitur, si ss. sacramentum reipsa suscipitur; *spiritualiter* sumitur, si ss. sacramentum solum voto et desiderio suscipitur; sumtio realis aut est *materialis,* si eucharistia ab eo sumitur, qui huius sacramenti non est capax; aut *sacramentalis,* si sumitur ab eo, qui huius sacramenti capax est; sumtio sacramentalis vel est *sacramentalis tantum,* si fit sine debita dispositione et ideo sine fructu, vel *sacramentalis spiritualis,* si fit cum debita dispositione et ideo cum effectu gratiae sanctificantis; sumtio sacramentalis tantum fieri potest *sacrilege* vel *neutraliter* seu sine sacrilegio et sine fructu prout recipiens defectus dispositionis sibi conscius est vel illum defectum non advertit.

2. Licet infantes s. eucharistiam cum fructu suscipere possint, consuetudo tamen olim in nonnullis ecclesiae par-

[1]) Cf. conc. trid. sess. 13. c. 8.

tibus existens porrigendi eucharistiam etiam infantibus, postea ex voluntate ecclesiae ubique sublata est. Ratio *primi* est, quia ad percipiendum huius sacramenti effectum ex voluntate Christi non magis requiritur usus rationis, quam ad alia sacramenta, quorum infantes sunt capaces, id quod confirmatur ex praxi antiqua ecclesiae concedendi infantibus eucharistiam. Ratio *secundi* est tum propter reverentiam erga dignissimum hocce sacramentum, tum quia ipsis necessarium non est: sunt enim in statu gratiae, tum denique, quia pro ipsis institutum non est: siquidem rationem spiritualis alimoniae habet, quae vires animae debilitatas restauret; atqui parvuli adeptam in baptismate gratiam in illa aetate amittere non possunt[1].

62. *De necessitate eucharistiae.* 1. Susceptio eucharistiae non est *necessitate medii* necessaria ad salutem, nedum in re, sed neque in voto: quod enim hoc modo necessarium est, debet esse medium vel in re vel in voto necessarium ad obtinendam primam gratiam; eucharistia autem non est instituta ad conferendam primam gratiam, nec unquam per se eandem confert. Nihilominus vere affirmari potest, hoc sacramentum pro adultis, qui illud suscipere possunt, esse *moraliter necessarium ad perseverandum in gratia.* Nititur haec doctrina verbis Christi Domini: *nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*[2]*).* Cum enim hoc sacramentum sit institutum tamquam praecipuum et ordinarium medium conservandae vitae spiritualis, qui eodem non utitur, solum cum maxima difficultate gratiam sanctificantem conservabit, tum quia caret uberioribus auxiliis, quae iustis dantur intuitu eucharistiae devote susceptae, tum quia verendum, ne Deus propter negligentiam et incuriam tanti medii, subtrahat auxilia congrua. Si quis autem eucharistiam sumere non potest, Deus aliis mediis in periculis peccandi opitulabitur.

---

[1]) Conc. trid. sess, 21. c. 4. can. 4.
[2]) Io. 6, 54. 59.

2. Sumtio eucharistiae adultis necessaria est *necessitate praecepti divini* tum in morte tum saepius in vita: et sane verba Christi: *nisi manducaveritis* etc. saltem praeceptum continent sumendi s. eucharistiam, etsi enim hoc sacramentum ad conservandam vitam spiritualem necessarium non sit ex ipsa natura vitae spiritualis, necessarium tamen est ex praecepto Christi.

a. Hoc praeceptum urgere ***tempore mortis,*** constat tum ex perpetua ecclesiae praxi, quae statuit, ne moribundi ultimo ac necessario viatico priventur [1]), tum ex unanimi theologorum doctrina [2]), cuius haec est ratio: ex praecepto divino existit obligatio sumendi eucharistiam; praecepta autem positiva, quorum non est determinatum tempus, tum urgent, quando eorum observatio est necessaria; atqui ex interpretatione ecclesiae praecipientis susceptionem viatici constat, sumtionem eucharistiae in morte esse omnibus fidelibus communiter necessariam, quippe quibus gerenda sit ultima lucta contra hostes salutis, a cuius felici exitu pendet aeternitas.

b. Fideles autem obligari eucharistiam sumere etiam ***interdum in vita,*** ex eo colligitur, quod hoc sacramentum institutum est per modum spiritualis alimoniae; porro sicut vita corporis diu conservari nequit sine cibo materiali, ita nec vita animae sine hoc alimento diu consistere potest. Ubi tamen notandum est discrimen inter cibum naturalem et spiritualem: ille enim est unicum medium ad conservandum vitam naturalem; vita autem spiritualis aliis etiam mediis (bonis operibus, aliis sacramentis) conservari potest; ideo illius absoluta, huius vero solum moralis necessitas affirmatur. Quoties autem sumendum sit hoc sacramentum, Christus ipse non determinavit, sed ecclesiae determinandum reliquit; quamobrem qui praeceptum ecclesiae observat, certo simul satisfacit praecepto divino.

3. *Praecepto ecclesiastico* obligantur fideles, postquam ad annos discretionis pervenerunt, eucharistiam sumere quotannis in paschate [3]). Quo praecepto ecclesia primario quidem intendit obligare fideles ad sumendam eucharistiam, secundario vero ad eandem sumendam determinato tempore paschali, quippe quod maxime ad id conveniens sit propter memoriam passionis dominicae et institutionis huius sacramenti.

---

[1]) Conc. nicaen. can. 13.

[2]) *S. Alphons.* n. 285.

[3]) Conc. Lateran. IV. c. 21. *Omnis utriusque sexus.* Conc. trid. sess. 13. can. 9.

4. Et haec quidem de obligatione sumendi eucharistiam, quae existat *per se;* obligatio eandem sumendi *per accidens* oriretur, si quis tam gravem et diuturnam pateretur tentationem, ut ad illam superandam s. communio esset necessaria. Quod tamen vix unquam eveniet, cum praesto sint alia media, quae ad hunc finem sufficiant e. g. orationes, poenitentiae, fuga occasionum etc. Atque id theoretice quidem verum est, practice autem, praesertim in homine, qui prava consuetudine laborat, s. communio eaque frequentior dicenda est moraliter necessaria. Alia enim media, quibus a vitio sese expedire posset, difficiliora sunt, quam ut spes subsistat, illa adhibitum iri; quare si ad communionem frequenter sumendam non confugiet, nunquam a vitio se liberabit.

63. *De obligatione sumendi viaticum.* 1. Praeceptum viatici incipit obligare non solum in articulo mortis, quando scilicet mors proxime instat et moraliter iam certa est, sed etiam in mortis periculo, quando scilicet probabile est, mortem esse secuturam, quia in eiusmodi adiunctis eadem frequenter solet accidere, sive dein periculum vitae a causa interna (morbo) sive ab externa oriatur[1]).

Quare non solum in gravi infirmitate, sed etiam ante navigationem vel pugnam periculosam, grassante lue contagiosa, ante chirurgicam operationem cum periculo vitae coniunctam, ante puerperium, praesertim si prima vice fiat, aut si mulier cum periculo parturire consueverat, urget obligatio suscipiendi hoc sacramentum. Etiam capite damnatis danda est communio, modo sint rite dispositi; et contrariam nonnullorum praxim ecclesia improbavit: sunt enim in articulo mortis, ubi praeceptum sumendi eucharistiam obligat. Suadendum est, ut ipsa die supplicii reus communicet, modo una saltem hora fiat, antequam poena capitis infligitur.

2. Qui *sacrilege viaticum suscepit,* praecepto non satisfecit, quare denuo illud suscipere tenetur, si sine infamiae

---

[1]) Sunt qui pro eodem accipiant *articulum* et *periculum* mortis; qui autem inter haec duo distinguunt, cum *Suario* ita definiunt, ut *articulus* adsit, „quando mors proxime instat, et moraliter est certa et fere inevitabilis", *periculum* autem adsit, „quando est probabile dubium et frequenter solet in tali casu mors accidere". Itaque periculum mortis adesse censetur in quovis morbo periculoso, qui scilicet ex se letalem exitum habere potest.

periculo fieri possit. Qui in periculo mortis non communicavit, non tenetur postea supplere; et qui sumto viatico mortaliter peccavit, non tenetur denuo communicare[1].

Prudens autem confessarius diiudicare debebit, an moribundus qui sacrilège viaticum suscepit, de obligatione illud denuo sumendi monendus sit: etenim si monitio praevideatur forte non profutura, consultius erit ab eadem abstinere. Quod si moribundus non renuit iterum communicare, die sequenti deferendum est viaticum, praetexendo, ut eius famae consulatur, communionem ex devotione. Quod si ex causa qualicunque fieri non posset, videtur adesse ratio sufficiens viaticum occulte deferendi, id quod facere posset etiam confessarius regularis, ne infirmi sacrilegium prodat[2])

3. *An teneatur accipere viaticum, qui incidit in mortis periculum et paulo ante vel eodem die ex devotione s. communionem sumsit.*

Ut status huius quaestionis pateat, imprimis distinguendus est casus, quo quis non communicavit eo die, quo in mortis periculum incidit, a casu, quo quis eodem die communicavit, quo mortis periculum instat. Et hic quidem casus iterum dupliciter accidere potest: vel qui mane communicavit adhuc bene valens, in mortis periculum devenit ex subita causa externa; vel qui mane communicavit iam aeger quidem, sed de viatico sumendo nihil cogitans, in periculum mortis incidit ex morbo ingravescente. Difficultatem autem in solvenda hac quaestione ingerit hinc quidem praeceptum ecclesiae, quo prohibetur, ne bis in die s. communio sumatur, inde vero principium morale, quo non potest satisfieri praecepto, antequam ipsum urgere incipiat. Iam potissmae hac de re sententiae sunt:

a. Qui mane iam aeger communicavit ex devotione, non potest vespere viaticum sumere, quia praecepto iam satisfecit: nam praeceptum tunc iam urgebat, ad satisfaciendum autem praecepto non requiritur intentio satisfaciendi, ergo nulla est ratio eodom die bis communicandi.

b. Qui mane valens communicavit, potest et debet vespere viaticum suscipere, quia praecepto divino nondum satisfecit, cui, ut satisfaciat, ecclesia permittit, ut etiam bis in die communicet. Sunt tamen, qui dicant per communionem mane sumtam praecepto iam esse satisfactum, quia periculum mortis moraliter iam aderat, quare non licet denuo communicare. Insuper in hoc casu desinit potius praeceptum divinum, si eidem nondum est satisfactum.

c. Qui paulo ante ex devotione communicavit, tenetur in periculo mortis viaticum sumere, quia praecepto nondum satisfecit; alii autem dicunt, potest quidem viaticum sumere, cum nihil obstet, sed non tenetur, si infra hebdomadam communicavit, quia praecepto iam satisfecit praesertim si

---

[1]) S. *Alphons*. n. 293.

[2]) *Aertnys*. theol. moral. n. 91. q. 9.

periculum ex morbo invaluit, quia moraliter tum periculum iam instabat, vel ut censet *Lugo*, quia sufficit communicare in fine vitae seu paulo ante mortem[1]).

Cum in tanta sententiarum diversitate neutrum *certo* constet, scilicet nec existere obligationem sumendi viaticum pro eo, qui ante hebdomadam ex devotione ad s. mensam accessit, nec existere prohibitionem illud sumendi pro eo, qui eodem die s. communionem accepit, in praxi concedenda est libertas sumendi vel non sumendi viaticum prout infirmi pietas et parochi prudentia suggesserit[2]). Attamen si ex principiis theologicis rem diiudicamus, dicendum videtur, eum, qui eodem die communicavit, nec teneri nec posse, eum vero, qui alio die communicavit non teneri quidem, sed posse viaticum sumere.

64. Obligatio sumendi s. communionem sive in paschate sive in morte non absolute, sed conditionate est intelligenda, si nimirum sine periculo irreverentiae suscipi potest. Cum tamen sacramenta sint propter homines, non est necesse, ut omne etiam leve periculum irreverentiae sit exclusum, ut s. communio praesertim infirmis dari possit. Ex his principiis determinandum est, an s. communio dari possit vel etiam debeat, ubi periculum irreverentiae timetur. Itaque

1. *Qui tussi laborant*, eucharistiam suscipere possunt et in morte etiam debent, modo tantum quietis patiantur, ut s. hostiam sumere possint: periculum enim irreverentiae solum adest, si tussis impetu afficiantur, dum s. hostiam sumunt; hostia autem semel sumta periculum illud plerumque abest, quia alia via est, per quam sputa, et alia, per quam e stomacho cibi eiiciuntur.

2. *Qui vomitu laborant*, eucharistiam suscipere possunt et in morte debent, si a sex horis (iuxta alios si ab una vel altera hora) non evomuerint et ope particulae non consecratae experimentum factum fuerit: in his enim adiunctis

---

[1]) Cf. *Lugo* disp. 16. n. 36 ss.

[2]) *Benedictus XIV.* De Syn. l. 7. c. 11. n. 2.

habetur spes, quae requiritur, probabilis, fore ut paulo post communionem vomitus non sequatur. In dubio autem, an infirmus sit s. hostiam evomiturus, ei danda non est [1].

3. *Delirantibus* eucharistia dari potest, et si habent lucida intervalla et si insuper non est spes recuperandae rationis, in morte dari debet, modo irreverentia non sit timenda, quare prius semel et iterum (quantum satis est) experimentum fiat, an particulam non consecratam decenter recipiant et deglutiant.

4. *Sensibus destituti* (Bewusstlose) viaticum suscipere ipsi quidem non tenentur, quia obligationis non sunt capaces; quaeritur autem an parochus eisdem s. communionem administrare possit vel etiam debeat. Ut s. communio eis administrari *possit*, duo requiruntur: primum est, ut intentionem illam recipiendi habuerint; quam quidem explicite habuerunt, qui antequam sensibus destituerentur, sacramenta petierunt; habitualiter autem et implicite eandem habuerunt, qui etiamsi sacramenta non petierint, pie et christiane vixerunt, vel ante deliquium signa poenitentiae dederunt. Aliud est, ne periculum irreverentiae timeatur, eo quod s. hostiam expuant. Iam vero s. communio sensibus destitutis dari etiam *debet*, quibus eadem administrari potest; et huc referenda sunt ea, quae infra de amentibus dicentur. Usus tamen non habet, ut sensibus destitutis detur eucharistia, qui usus ideo forte invaluit, quia in eiusmodi infirmis raro abest periculum irreverentiae, et quia aliis sacramentis (absolutione et extrema unctione) satis iuvari possunt.

5. *Amentibus* (Blödsinnige), qui perpetuo amentes fuerunt, eucharistia danda non est, quia hi quidem infantibus aequiparantur; iis vero, qui post usum rationis in amentiam inciderunt, in morte (et solum in morte) eucharistia dari potest, si illius intentio rationabiliter praesumi potest et si sine irreverentia communicare possunt. Hinc si constat, aliquem in statu peccati mortalis et sine signo poenitentiae

---

[1]) Cf. *Capellmann*, Medicina past. p. 121.

in amentiam incidisse, eucharistia ei danda non est. Num decenter communicaturus sit, experimento cognosci potest praebendo scilicet imprimis unam alteramve hostiam non consecratam, et postea, si illam deglutiat, consecratam. Addit s. *Alphonsus* (n. 302.): amentibus *debet* in articulo mortis hoc sacramentum exhiberi et postquam ad s. Thomam[1]) et ad catechismum rom.[2]) provocaverat, rationem ipse subiungit: „ex una parte praesumitur is interpretative communionem petere, ex altera parte huic eucharistia adhuc necessaria esse potest, nempe si incidisset in amentiam existens in peccato mortali, de quo solum attritus fuerit.“

6. *Semifatuis* (Halbblödsinnige, Geistesschwache), qui eum rationis usum obtinent, ut peccare, sacramentalem absolutionem recipere et inter cibum spiritualem et profanum discernere possint, danda est eucharistia, sed rarius quam aliis, i. e. saltem quando praecepta est: in mortis articulo et in paschate; et deinde etiam interdum in anno pro maiori vel minori gradu discretionis, quo utuntur.

7. *Surdi et muti* a nativitate, qui nullam unquam instructionem acceperunt, ordinarie nec absolutionis nec s. communionis sunt capaces. Licet enim usu rationis non careant, cum tamen propter defectum auditus cognitio intellectualis explicari atque evolvi non possit, ex testimonio peritorum multiplici experientia firmato, ipsi discretione inter bonum et malum et cognitione illarum veritatum prorsus carent, quae necessitate medii scitu necessariae sunt. Nec signis naturalibus hae veritates declarari ipsis possunt, quippe qui ex defectu notionum ipsa signa non intelligant Quae autem surdi et muti exterius peragunt, si e. g. signo crucis se signant, genua flectunt, manus ad modum orantium elevant, ad s. communionem accedere cupiunt, id mere ad imitationem aliorum faciunt, quin significationem eorum, quae exterius imitantur, ullo modo intelligant. Ideo quoad

---

[1]) III. q. 80. a. 9.
[2]) Part. II. c. 4. n. 64.

cognitionem veritatum religiosarum aequiparandi sunt infantibus et perpetuo amentibus, quibus sacramenta non administrantur. Attamen consulendum est, ut in morte etiam surdi et muti, qui instrui non potuerunt, signo crucis, tunsione pectoris et eiusmodi signis quantum fieri potest ad dolorem excitentur et deinde sub conditione absolvantur atque extreme ungantur.

8. *Epilepticis* dari potest et debet eucharistia, nisi sint in paroxismo.

9. *Obsessis* a malo daemone pariter danda est eucharistia excepto tempore, quo non sunt sui compotes, proindeque sine irreverentia communicare non possunt. Imo expedit ut iuxta confessarii prudentiam saepius communicent, cum eucharistia sit speciale remedium, quo daemones arceantur.

10. *Ebriis,* qui in mortis periculum adducantur, eucharistia danda non est: iis enim, qui in actu peccati ratione destituuntur, s. communio neque in periculo mortis datur. Si tamen ebrietas non erat voluntaria aut solum imperfecta, et timenda non est irreverentia erga sacramentum, eis dari potest viaticum.

65. *De prima communione puerorum.* 1. Difficilis et controversa est quaestio, qua demum aetate incipiat gravis obligatio sumendi eucharistiam, qua proinde aetate pueri admittendi sint ad s. communionem, ut huic praecepto satisfaciant. Si verba legis tantum considerantur, sine dubio ad sumendam communionem obligantur, cumprimum ad annos discretionis seu ad usum rationis pervenerunt. Annos autem discretionis attigisse censetur, qui (si rem nostram respicimus) distinguere potest inter cibum spiritualem et profanum. Porro ex communiter contingentibus regula statui potest, nunc temporis puerum octavum annum agentem usum rationis et discretionem sufficientem iam possidere. Expleto igitur septennio quilibet merito praesumitur sufficienti usu rationis potiri, nisi probetur quempiam praeter ordinarium naturae cursum ad usum rationis nondum pervenisse. Quoniam autem praeceptum annuae

confessionis et communionis pari ratione obligant, stricte loquendo octavo aetatis anno praecepto ecclesiae confitendi et eucharistiam sumendi unusquisque tenetur.

2. Quamvis pueri, qui discretionem habere incipiunt, ad s. communionem admitti possint, eandem tamen suscipere nondum tenentur. Ex consuetudine enim, quae hanc legem ita interpretata est, praxis iam invaluit, pueros ad confessionem quidem ducendi, postquam ad annos discretionis pervenerunt, pro communione autem perfectiorem usum rationis expectandi, ut cum maiore reverentia et fructu eucharistiam suscipiant. Cumprimum autem perfectiorem hanc discretionem adepti sunt, praecepto ecclesiae sine dubio tenentur. Tempus autem, quo ad debitam discretionem perveniunt, generali regula determinari non potest: cum enim non tam ab aetate, quam ab ingenii indole et ab educatione dependeat, alii citius alii serius eandem attingunt. Decimo tamen vel undecimo aetatis anno perfectiorem illum usum rationis ordinarie omnes adepti esse videntur. Quare episcopus vel parochus statuere quidem potest, ne pueri ante determinatum aetatis annum (e. g. duodecimum) ad s. communionem in forma publica et solemni admittantur; at prohibere non potest, ne ante illum annum ad primam communionem privatim admittantur, quos constat ad discretionis aetatem pervenisse [1]).

3. Si autem pueri in mortis periculum adducantur, *tenetur* parochus praemissa apta instructione s. viaticum eis praebere, etsi ad sacram communionem nondum admissi fuerint, modo signa discretionis in eis appareant. Quod cum ante septennium completum iam contingere possit, parochus prudenter explorare debet, an forte iam sint huius sacramenti capaces: nam in articulo mortis urget praeceptum divinum [2]).

Nota. Generatim pueri quantocius ad s. communionem admittendi sunt; cumprimum scilicet perfectam illam discretionem adepti sunt, quam ecclesia ex hodierna praxi requirit. Ipsi enim sine dubio fructuum huius

---

[1]) Cf. S. C. C. 21. iul. 1888.

[2]) *Benedictus XIV.* de Synodo l. 7. c. 12. n. 3.

sacramenti capaces sunt, inter quos censetur supernaturale praesidium tenerae aetati adeo necessarium conservandae innocentiae. Quare non videtur esse iusta ratio tanto emolumento spirituali diutius eos privandi, ut postea melius instructi accedant.

Articulus secundus.

De dispositione animae.

66. 1. Ad suscipiendam cum fructu eucharistiam requiritur status gratiae, alia autem dispositio praeter statum gratiae ad effectum sacramenti percipiendum non requiritur. Sanctitas autem huius sacramenti exigit, ut solum cum magna reverentia et sanctitate ad s. communionem accedamus; et quo melior est dispositio, eo maior est etiam fructus, qui ex s. communione percipitur.

Hinc qui sine actuali devotione vel cum affectu ad peccatum veniale accedit, imo etiam ille, qui in sumenda eucharistia peccatum veniale committit, omni prorsus fructu non privatur: sacramenta enim conferunt gratiam ex opere operato non ponentibus obicem: obex autem huius sacramenti non est nisi peccatum grave.

2. Non sufficit, statum gratiae per peccatum amissum ante communionem reparare per contritionem perfectam, sed ex concilio tridentino *a.* requiritur, ut qui *sibi conscius est peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur,* ante communionem praemittat sacramentalem confessionem; *b.* si tamen urget necessitas celebrandi aut communicandi et deest copia confessarii, licet ad sacrum vel communionem accedere praemissa sola contritione perfecta; *c.* sacerdos autem, qui urgente necessitate absque praevia confessione celebravit, *quamprimum* confiteri tenetur [1]).

a. Sunt, qui praeceptum confitendi ante communionem dicant *divinum*: nam ex praecepto Apostoli, quod ipse accepit a Christo Domino, communioni praemittenda est probatio; probatio autem haec ex declaratione ecclesiae est sacramentalis confessio [2])

b. Si quis igitur post confessionem bona fide peractam recordatur peccati mortalis, quod *oblitus* est confiteri, suaderi potest ante communio-

---

[1]) Concil. trid. sess. 13. c. 7.

[2]) Cf. *Lugo* disp. 14. n. 69 ss.

nem confessio, sed ad illam obligari nemo potest. Concilium enim confessionem praecipit ei, qui *sibi conscius est* peccati mortalis; atqui in casu nostro peccatum in confessione omissum iam est indirecte remissum; quare neque actus contritionis in hoc casu ante communionem stricte requiritur.

c. Qui *dubitat* de peccato gravi commisso, etsi dubium sit vere probabile, ante sacrum vel communionem pariter ad confessionem obligari nequit: ille enim *sibi conscius* est peccati mortalis, qui certo scit, se illud commisisse. Suadenda tamen est confessio et ei, qui conscientiam sibi efformare nesciat, etiam iniungenda est, nisi agatur de scrupulosis. Omnes autem in hoc casu conari debent ante communionem contritionem perfectam elicere, ne se exponant periculo indigne communicandi.

67. Circa hanc legem tridentinam tria declaranda sunt.

1. *Copia confessarii* non censetur deesse, si solum desit proprius confessarius, aut si non adsit nisi familiaris, cui solum cum magna erubescentia confiteri possis, sed tum solum censetur deesse: *a.* si nullus confessarius praesens est, et absens spectatis circumstantiis personae (infirmitas, negotia necessaria) vel itineris (distantia unius horae) sine magna difficultate adiri nequit; *b.* si nullus adest approbatus vel *c.* si adest quidem approbatus, sed tamen poenitens confiteri non possit, sine certo et gravi periculo scandali vel infamiae; *d.* si poenitens peccatum reservatum habet et nullus adest confessarius, qui potestate in reservata polleat.

2. *Urgente necessitate*, si non adsit copia confessarii, potest sacerdos praemissa sola contritione, sacrum facere et laicus communionem suscipere. Necessitas celebrandi aut communicandi generatim debet esse tanta, ut propterea praeceptum confitendi prudenti iudicio cessare censeatur. Hinc raro aderit necessitas communicandi in laico, frequentius in sacerdote necessitas celebrandi. Adesse autem censetur haec necessitas in sacerdote: *a.* si ex officio celebrare tenetur, ut fideles sacrum audire possint: *b.* si sacrum sine gravi infamia vel populi scandalo omitti non potest; *c.* si sacerdos vestibus iam indutis vel sacro iam inchoato tandem recordatur peccati mortalis et sine nota infamiae confiteri non potest; *d.* si consecranda est particula, ut moribundo administrari possit viacticum. At non adesse

censetur necessitas celebrandi, si solum ex devotione, aut ad lucrandam indulgentiam, aut ex obligatione beneficii celebraturus esset.

Quoad laicum vix alius potest fingi casus, in quo urget necessitas communicandi, nisi duplex iste:

a. si laicus arae communionis iam assidens recordatur peccati mortalis et sine infamia recedere non potest; *b.* si non adest confessarius et urget praeceptum annuae communionis.

3. *Praeceptum quamprimum confitendi*

a. Est verum praeceptum non consilium, id quod constat ex propositione 38. ab Alexandro VII. damnata.

b. Non obligat laicos nec sacerdotes, qui sine necessitate non praemissa confessione in peccato mortali celebrant, quia concilium expresse loquitur de sacerdote, qui *urgente necessitate* sine confessione celebrat.

c. Obligatio confitendi *quam primum* intelligenda est saltem *intra triduum,* siquidem terminus *quamprimum,* ut in aliis legibus humanis, moraliter i. e. de spatio trium dierum merito intelligitur. Urget autem haec obligatio etsi post triduum non celebret, sed demum post unam alteramve hebdomadam.

d. Per accidens autem fieri potest, ut etiam eodem die obligetur ad confessionem, si nimirum eo die adsit occasio confitendi et ipse sequenti die celebrare velit aut debeat, vel si praevideat, sequentibus diebus non adfuturam occasionem confitendi.

Articulus tertius.

De dispositione corporis.

68. Triplex dispositio corporis requiritur: *a.* decentia habitus; *b.* munditia corporis et *c.* ieiunium naturale; et primum quidem et alterum lege naturae, tertium vero lege positiva praecipitur.

1. Reverentia dignissimo huic sacramento debita postulat, ut communicantes *habitu decenti* et mundo reverenter ac devote ad sacram mensam accedant. Hinc

a. Negligentia et incuria, qua quis vestibus incompositis, sordidis ac laceris ad s. communionem accederet, certe venialiter esset peccaminosa.

b. Si immodestia ac indecentia, qua mulieres quandoque pectore non satis cooperto et vano ornatu cinctae ad s. mensam accedunt, eousque procederet, ut, habita ratione consuetudinis regionum, castos oculos offenderent aliisque scandalo essent, etiam graviter peccarent et a communione arcendae forent.

c. Decet, ut milites depositis armis ad s. mensam accedant, nulla tamen lege ad id obligantur.

d. Sacerdotes et diaconi stola induti ex praescripto ecclesiae ad communionem accedere debent.

2. Reverentia erga ss. sacramentum etiam hoc postulat, ut communicantes *corpore mundo* i. e. sine macula externa et delebili ad sacram mensam accedant; etsi enim corporis macula sive externa sive occulta per se non impediat s. communionem, cum puritas animae ab inquinamento corporis non minuatur: decentia tamen hanc munditiam exigit; praeterea fieri quandoque potest, ut defectus corporis obsit, quominus quis ita se disponat, ut cum debita reverentia ac devotione accedere possit. Quod si accidat, suadendum est, ut a sumenda s. communione abstineatur. Itaque

a. Si macula externa adsit, quae brevi auferenda speretur, et si commode differri possit communio, decet, ut ad breve tempus differatur. Si autem macula sit diuturna, non est, cur s. communione quis privetur Sacerdos tamen infectus morbo, qui horrorem excitet, celebrare quidem potest, sed privatim, non publice.

b. Mulieres tempore fluxus menstrui et purgationis post partum, cum haec sine culpa accidant, a sumenda s. communione non prohibentur; si tamen haec devotionem impediant et commode differri possit communio, suadendum est, ut ad breve tempus differatur.

c. Pollutio voluntaria et peccaminosa, si malignum effectum non reliquit, non magis a celebratione vel communione impedit, quam aliud peccatum, modo per poenitentiam culpa sit sublata. Involuntaria ergo pollutio multo minus a sacro vel a communione prohibet; ergo per se necesse non est propterea sacrum vel communionem in alium diem differre, praesertim si adsit ratio peculiaris eo die celebrandi (e. g. in iis, qui quotidie celebrare solent) vel communicandi (e. g. in communitatibus, ubi statutis diebus omnes ad communionem accedunt, vel si indulgentia sit lucranda etc.). Si tamen post pollutionem sive voluntariam sive etiam involuntariam malignus effectus remanserit (commotio carnis, turpis imaginatio, evagatio mentis, perturbatio animi, torpor spiritus), iste effectus constituit involuntarium

impedimentum devotionis seu quandam indispositionem in sumenda eucharistia; ergo vel animi indispositio diligenti praeparatione, quantum fieri potest, superari debet, aut a s. communione abstinendum est, ne committatur veniale peccatum propter indispositionem voluntarie non superatam.

d. Debitum coniugale praecedenti nocte praestitum debito fine et modo nulla ratione impedit s. communionem; si autem debitum exercetur ob solam voluptatem adeoque peccaminose, venialis irreverentia esset, eo die sine iusta ratione ad s. mensam accedere. Quodsi peculiaris causa adesset eo die communicandi, praemisso dolore de praeterito, licite id fieri posset.

69. *De ieiunio naturali.* **Ex praecepto ecclesiae sub gravi obligante requiritur *ieiunium naturale* i. e. abstinentia ab omni cibo et potu quantumvis minimo a media nocte praecedente. Huius praecepti fundamentum est decentia et reverentia erga ss. sacramentum: convenit enim omnino, ut eucharistia ante omnem alium cibum sumatur.**

a. Ieiunium naturale ante communionem, quod etiam sacramentale dicitur, initio per consuetudinem introductum postea lege ecclesiastica sancitum est[1]).

b. Ieiunium sacramentale exigit, ut nullus alius cibus vel potus eo die i. e. post mediam noctem ante sacram communionem sumatur; sed non exigit, ut eucharistia recipiatur in stomachum prorsus vacuum seu ieiunum, nec ut eucharistia sit prima substantia, quae eo die in stomachum demittitur, sed solum exigit, ut sit primus cibus (vel potus), qui eo die in stomachum recipitur.

c. Quanto tempore a sumendo cibo vel potu abstinere debeat, qui mox post mediam noctem celebrat, nulla lege praecipitur; praescindendo autem a casibus improvisis decentia postulat, ut pluribus horis (circiter quatuor) ante sacrum a cibo et potu abstinuerit, ne cibus sacer cum profano paulo antea sumto commisceatur.

d. Quod *simul cum eucharistia* sumitur, non frangit ieiunium; ideo infirmis (non graviter decumbentibus) sacra species quandoque cum vino aut cum aqua porrigitur, et ipse sacerdos feria sexta in parasceve particulam hostiae consecratae cum vino sumit.

1. Media nox, a qua communicans debet esse ieiunus, incipit a primo ictu horologii duodecimam signantis; quare ei, qui inter bibendum horae pulsum audiat, non licet

---

[1]) Conc. const. sess. 13. haec habet: Sacrorum canonum auctoritas et approbata consuetudo ecclesiae servavit et servat, ut hoc sacramentum non possit recipi a non ieiunio nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis a iure vel ab ecclesia concesso vel admisso.

haustum perficere, quin tamen teneatur expuere, quod iam sumsit.

a. Hora duodecima aestimari potest ex omnibus horologiis publicis loci, ordinarie bene directis, etsi tempus diversum signent a tempore vero, scilicet vel tempus medium locale vel tempus medium alieni meridiani. Licet ergo ultimum sequi, modo de errore non constet et ordinarie non errat.

b. Distinguitur tempus *verum*, quod ex motu apparente solis determinatur, et tempus *medium*, quo dies, qui secundum tempus verum essent inaequales, finguntur omnes aequales; ac tandem tempus *alieni meridiani*. Scilicet utrumque tempus verum et medium dicitur *tempus locale* seu tempus proprii meridiani; quoniam autem tempus locale diversorum locorum pro diversitate meridiani diversum est, ad tollendam hanc diversitatem tempus medium unius loci e. g. urbis principis ad alias etiam urbes transfertur, ut adeo diversorum locorum incolae se dirigant secundum tempus (vel meridianum) unius loci e. g. urbis principis. Iam proposita quaestione, utrum in observatione abstinentiae et ieiunii, in recitatione breviarii et in celebratione missae licitum sit sequi tempus medium et tempus alieni meridiani, ecclesia id permisit, quia non exigit, ut fideles in servandis praeceptis utantur temporis computatione diversa ab ea, quae omnia hominum negotia in singulis locis publice dirigit [1]).

c. Si quis dubitet, an post mediam noctem aliquid cibi vel potus sumserit, secundum principia probabilismi communicare potest sive dubium est negativum sive positivum.

2. Ieiunium naturale solvitur esu vel potu i. e. sumtione cuiusvis rei, quae per modum cibi vel potus in stomachum demittitur. Per modum autem cibi vel potus sumitur, quidquid ore ab extra sumitur et glutiendo in

---

[1]) S. poenitent. 18. iun. 1873; 29. nov. 1882. Cf. Acta s. sedis VII. p. 399.

stomachum descendit. Ubi notandum est, ad rationem comestionis vel potationis per se nihil referre, utrum de industria vel casu et praeter intentionem aliquid sumatur; ideo qui in somnio aquam bibit, vel qui folium, quod in ore volutabat, inadvertenter deglutit, non est amplius ieiunius.

Tria ergo ad fractionem ieiunii requiruntur, quorum unum ad rem pertinet, quae sumitur scilicet ut sit cibus vel potus, alia duo ad modum, quo res sumitur, scilicet edendo aut potando. Ergo quod solum in os immittitur, quin in stomachum descendat, vel quod in stomachum quidem descendit, sed per modum respirationis aut attractionis aut salivae, non autem per modum comestionis aut potationis, non solvit ieiunium.

a. Ut frangatur ieiunium, requiritur, ut id, quod sumitur, *habeat rationem cibi vel potus.* Nomine autem cibi vel potus designatur id solum et omne, quod in stomachum receptum aliquo modo, etsi non plene, digeri et in substantiam hominis converti possit: quod enim nulla ratione in stomacho alterari potest, non dicitur manducari.

Quid autem digeri possit, quid non possit, non tam ex physiologorum experimentis, quam ex communi hominum aestimatione determinari debet. Hinc qui deglutiat ferrum, vitrum, lignum, ungues, capillos, ossa fructuum, fila ex serico vel lana et similia, non frangit ieiunium; frangit autem, qui deglutiat paleam, ceram, cretam, cartam etc.

b. Ut id, quod sumitur, *ore sumatur ab extra:* ieiunium enim manducatione solvitur; quod autem non sumitur ab extra et quidem ore, etsi voluntarie deglutiatur, non dicitur manducari.

Qui igitur glutiat sanguinem vel humorem ex capite interius defluentem vel ex ore, lingua, gingivis manantem, pulverem tabaci naribus attractum, guttam aquae per aures descendentem, non laedit ieiunium; laedit autem, qui sugit sanguinem ex vulnere digiti, vel lambit lacrimas ex oculis manantes etc.

c. Ut id, quod sumitur, *sumatur per modum cibi et potus,* non per modum salivae aut respirationis: quod enim per modum salivae aut respirationis sumitur, ex communi hominum iudicio non manducatur. Per modum salivae sumitur, quod est cum saliva inseparabiliter permixtum et cum illa praeter intentionem (etsi advertenter) in stomachum traiicitur; per respirationem autem sumitur, quod

per aëra volans respirando attrahitur et praeter intentionem (etsi advertenter) in stomachum descendit. Quod autem in maiori quantitate cum saliva demittitur, vel quod studiose cum saliva sumitur aut ex aëre attrahitur et glutitur, ieiunium solvit. Etsi enim ad rationem comestionis nihil referat, utrum res casu et inadvertenter, an vero de industria sumatur, si quid tamen cum saliva vel respirando sumitur, advertentia et intentio efficit, ut sumtio rationem comestionis vel potationis habeat.

Qui ergo os eluit et parum aquae salivae admixtae casu glutit; qui tempore pestis aliquod aromaticum ore circumfert, nihil ex intentione glutiendo, etsi aliquid cum saliva descendat; qui ore tenet et dentibus teret folium tabaci, succum vero ex proposito non glutit, sed expuit; non solvit ieiunium. Eiusmodi tamen masticatio, nisi adsit rationabilis causa e. g. sanitatis vel purgandi halitus, ante communionem omnino non decet. Pari modo qui respirando attrahit vapores ex cibo vel potu praesenti: qui fumum tabaci per os attrahit; qui muscam, pulverem, nivem, aquam pluviam ex aëre attractam traiicit, non solvit ieiunium: haec enim vel non habent rationem cibi, vel per modum respirationis aut salivae sumuntur.

Qui vero ex proposito minimum quid deglutit, quacunque intentione id fiat, qui e. gr. per modum medicinae unicam guttulam vel unicum granum sumat, desinit esse ieiunus et a communione excluditur; pari ratione qui vespere decumbens in os sumit frustum saccari ad emolliendam raucitatem, si totum non sit liquefactum ante mediam noctem, non manet ieiunus.

Reliquiae cibi, quae haerent inter dentes, non solvunt ieiunium sive involuntarie sive etiam voluntarie sumantur. Ex rubrica missalis quidem id certum est; in assignanda autem ratione, ob quam illae reliquiae non obsint ieiunio, non conveniunt auctores: secundum alios, quia non sumuntur ab extra, et secundum alios, quia sumuntur per modum salivae; melius forte dixeris cum *Lehmkuhl* (n. 160), ex definitione ecclesiae id esse, quae ad praecavendas anxietates et dubitationes in iis, quae saepius occurrunt et difficulter praecaveri possunt, legem ipsa laxius interpretata est.

3. Praeceptum, quo olim fideles post s. communionem tenebantur servare ieiunium usque ad vesperam, amplius quidem non viget, attamen naturalis decentia postulat, ut tamdiu a cibo et potu abstineatur, quamdiu sacrae species in stomacho nondum sunt corruptae. Qui ergo statim post s. communionem sine rationabili causa comedit aut bibit, contra reverentiam ss. sacramenti *venialiter* peccat. Omni autem culpa vacat, statim post communionem ex-

spuere, modo nullum hostiae fragmentum manserit in ore. Nullum enim est periculum irreverentiae, quandoquidem via, per quam sputa in os confluunt, non est via cibi et potus.

70. *Causae excusantes a ieiunio naturali.* Praeceptum ieiunii sacramentalis ad praecepta ecclesiae gravissima pertinet; quapropter non cessat, ubi sine incommodo etiam gravissimo servari non potest, sed ex doctrina concilii constantiensis solum „in casu infirmitatis aut alterius necessitatis a iure vel ecclesia concesso vel admisso". Porro eiusmodi casus quinque numerantur, quorum quatuor quidem ab omnibus admittuntur, de quinto autem auctores disputant. Eucharistia igitur sumi potest a non ieiuno:

1. *Ad integrandum sacrificium*: maior enim est obligatio praecepti divini de complendo sacrificio, quam praecepti ecclesiastici de ieiunio servando ante communionem. Ideo

a. Si sacerdos inchoato iam sacro post consecrationem unius vel utriusque speciei recordatur, se non esse ieiunum, potest et debet ad complendum sacrificium non ieiunus communicare; quod si ante consecrationem recordetur, ab ara recedere debet, ubi sine infamia et scandalo fieri potest.

b. Si sacerdos sacrum faciens post consecrationem unius vel utriusque speciei repentino morbo correptus non possit sacrificium complere, deficiente ieiuno ab alio sacerdote non ieiuno illud compleri debet.

c. Si sacerdos loco vini aquam infudit in calicem idque non advertit nisi post sumtionem vel totius vel partis aquae, debet ad perficiendum sacrificium denuo consecrare et species consecratas sumere.

d. Si sacerdos sumta iam ablutione inveniat integram hostiam consecratam vel reliquias hostiarum, potest et debet, si eo die aliud sacrum non fiat, nec in ciborium illae reponi vel alio modo decenter servari possint, eas sumere, quia sumtio illa est veluti complementum sacrificii et convivii peracti.

2. *Ad vitandam irreverentiam erga ss. sacramentum*: lex namque naturalis reverentiae sacramento debitae praeferenda est legi ecclesiasticae ieiunii ante communionem.

Ideo si imminet periculum ab incendio, ab incursu hostium, ab infidelibus vel haereticis, a quibus iniuriose tractaretur hoc sacramentum, hostiae consecratae sumi possunt et debent a sacerdote non ieiuno et, hoc absente, etiam a laico propriis manibus, vel potest etiam sacerdos eas porrigere laicis non ieiunis.

3. *Ad vitandum scandalum publicum*: maior enim est obligatio legis naturalis de vitando scandalo, quam hoc praeceptum ecclesiae.

Ideo si sacerdos ante consecrationem recordetur, se non esse ieiunum, et sine infamia et scandalo populi recedere ab ara non possit, non ieiunus communicare potest. Idem concedendum est etiam laico, qui communicaturus ad aram iam assidet et recordatur, se non esse ieiunum, ubi nimirum sine ignominia et scandalo non possit recedere. Item si parochus die dominico, sive casu sive culpa non amplius ieiunus, non possit sacrum omittere sine gravi scandalo et offensione populi vel sine propria gravi infamia, posset certe etiam non ieiunus sacrum facere. Sola autem haec causa, ne populus die festo de praecepto debeat carere sacro, non excusat a lege ieiunii, quae praecepto audiendi sacrum gravior est. In eiusmodi autem casu fere semper aliae causae excusantes concurrunt, praesertim scandalum populi, periculum infamiae ac tandem periculum, ne plures, quamvis possent et deberent alio se conferre ad audiendum sacrum, cum culpa gravi id negligant.

4. *Ad sumendum viaticum in periculo mortis*. Concilium enim constantiense declarat, infirmos gravi morbo cum periculo mortis coniuncto laborantes lege ieiunii non obligari[1]). 'Id valere etiam de iis, qui non ex morbo, sed propter causam externam in mortis periculum adducuntur, affirmari nequit: ecclesia enim solum capite damnatos ab hac lege excusat, quam alii, si possunt, servare tenentur[2]).

a. Quoties viaticum ministrari possit infirmo non ieiuno. Infirmis periculose decumbentibus etiam non ieiunis saepius dari potest viaticum, non solum si novum periculum recurrat, sed etiam in eodem periculo; imo nihil impedit, quominus toties eisdem praebeatur, quoties in solatium et auxilium animae id exoptant et adiuncta personarum et locorum permittunt, etsi quotidie fieret[3]).

a. Concilium enim constantiense aegrotos periculose decumbentes a lege ieiunii naturalis simpliciter eximit. Et sane ratio eos eximendi non est

---

[1]) Sacrorum canonum auctoritas laudabilis et approbata consuetudo ecclesiae servavit et servat, quod huiusmodi sacramentum non debet . . a fidelibus recipi non ieiunis, *nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis* a iure vel ecclesia concesso vel admisso. Sess. 13. a. 1415.

[2]) C. de prop. fide 5. iul. 1841.

[3]) Zeitschrift f. k. Th. 1880. S. 717. ff.

sola obligatio sumendi viaticum, sed etiam necessitas animae, qua infirmi praesertim tempore mortis indigent auxilio et solatio huius sacramenti.

b. Ideo monet rituale romanum[1]): „Quodsi aeger sumto viatico dies aliquot vixerit . . et communicare voluerit, eius pio desiderio parochus non deerit". Quae verba de sumtione ss. sacramenti per modum viatici a non ieiuno intelligenda sunt. Ideo synodi provinciales ultimis temporibus habitae omnes hortantur parochos, ut ad graviter aegrotos saepius eucharistiam deferant per modum viatici, etsi naturale ieiunium servare nequeant[2]).

c. Si igitur infirmus absque incommodo ieiunus manere potest, suadendum est, ut ex reverentia erga ss. sacramentum ieiunus viaticum sumat, ad id autem non tenetur: infirmi enim in periculo mortis constituti absolute a lege ieiunii eximuntur.

b. An liceat ei, qui periculose non decumbit, sed propter debilitatem stomachi ieiunium servare non potest, dare communionem non ieiuno. — **Quandoquidem ecclesia solos aegrotos periculose decumbentes ad accipiendum viaticum a ieiunio dispensavit, quaestio proposita neganda est. Eiusmodi autem aegrotis potest interdum, praesertim tempore paschali, communio deferri statim post mediam noctem vel summo mane. Maior enim est lex sumendi aliquoties eucharistiam, quam lex eandem non deferendi nocturno tempore.**

Equidem concedendum est, legem ieiunii referendam esse ad leges ecclesiasticas, quae non obligant cum gravi incommodo; grave autem incommodum esset, semper carere s. communione; praeterea concedendum est, legem divino-ecclesiasticam in hoc casu collidere cum lege mere ecclesiastica de ieiunio; nihilominus dicendum est, legem ieiunii non cessare. Et sane *a.* Hoc habet unaminis fere doctrina theologorum, quam confirmat usus et praxis ecclesiae[3]). *b.* Eius fundamentum hoc esse videtur, ne praetextu infirmitatis paulatim relaxetur praeceptum ieiunii: censet ecclesia potius permittendum esse privatum incommodum spirituale paucorum, quam ut damnum patiatur reverentia ss. sacramenti, quae relaxata lege huius ieiunii notabiliter laederetur. *c.* Ceterum cum lex ista de servando ieiunio ante communionem sit mere ecclesiastica, summus pontifex super ea sine dubio dispensare potest; et quamvis raro admodum dispensetur, non desunt tamen exempla dispensationis etiam nostro hoc tempore concessae. Dispen-

---

[1]) De communi infirm.

[2]) Cf. collectio lacensis sub voce *viaticum.*

[3]) *Elbel* n. 323. cum paucis aliis oppositam doctrinam probabilem dicit; inter auctores vero recentes *Berardi* id permittit. Exam. Conf. n. 764.

satio autem a ieiunio sacramentali nunquam conceditur ad celebrandum, sed solum ad communicandum more laicorum.

5. *Ad ministrandum viaticum.* Sunt, qui quintum hunc casum prioribus addant: si nimirum non adsit hostia consecrata pro viatico, potest sacerdos non ieiunus celebrare, etsi illo die iam celebraverit. Et hoc quidem certum est, si agitur de viatico sibimetipsi ministrando: si enim dispensatus est a ieiunio, ut possit communicare, dispensatus est etiam, ut possit celebrare. Si autem agitur de viatico alteri ministrando, id pariter certum est, ubi aegrotus aliud sacramentum (certo validum) suscipere nequit: salus enim moribundi legi ecclesiasticae praeferenda est. Quod si aegrotus aliud sacramentum suscipere possit, multi auctores aut absolute aut saltem probabiliter id concedunt; nec immerito: obligatio enim suscipiendi viaticum non est quidem absoluta, sed conditionata, si nimirum sine magna indecentia sumi possit; atqui indecentia, quae in celebrando sine ieiunio reperitur, non videtur esse tanta, ut praeceptum viatici propterea sit negligendum, praesertim cum relaxatio legis ieiunii ante communionem exinde non sit timenda [1]).

Articulus quartus.

De communione frequenti.

71. *De ipsa communione frequenti.* 1. Nomine communionis frequentis proprie solum communio designatur, quae pluries in hebdomada vel etiam quotidie suscipitur. Ergo communio hebdomadaria proprie et stricte non dicitur frequens.

2. Communionis frequentis usus post concilium tridentinum potissimum invaluit et hodie late in ecclesia viget et floret. Eiusdem hostes infensissimi erant Ianseniani, qui mentito religionis praetextu fideles a sacra communione frequentius sumenda arcebant: tantam enim animae

[1]) Cf. *S. Alphons.* n. 286.

puritatem et sanctitatem in suscipiente exigebant, ut quilibet frequenti communione se indignum reputare debuerit [1]).

3. *Ex mente ecclesiae communio frequens fidelibus enixe suadenda est.* Quoad sacrae communionis usum duo statuit ecclesia, primo ut semel tantum in die, deinde ut semel saltem in anno communio sumatur. Intra hosce limites ipsa nihil quidem praecipit, attamen omnibus modis ostendit se valde optare, ut fideles ad sacram communionem frequenter accedant.

a. Concilium trident. optat, „ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu sed sacramentali etiam eucharistiae perceptione communicent" [2]); et catechismus rom. iussu concilii trid. editus monet parochos, ut fideles crebro hortentur, ut frequenter accedant ad s. communionem [3]). Quare factum est, ut acta concilii prov. rothomagensis, quod statuit, ut in posterum s. communio bis tantum in hebdomada distribuatur, romae reprobarentur addita animadversione: *obstare conc. trid.*

b. Celeberrimum *Innocentii XI.* decretum *Cum ad aures* (a. 1679) exhibet sentiendi loquendique rationem ecclesiae de hac re, ut adeo *Benedictus XIV.* edixerit: „Si in Synodo instituatur sermo de frequenti aut etiam quotidiano s. eucharistiae usu, non esse deviandum ab huius decreti semita". Quod quidem decretum tria potissimum continet: *α.* reprobat prohibitionem frequentis communionis in nonnullis dioecesibus factam propter abusus, qui ex quotidiana communione irrepserant; *β.* decernit, statum laicalem aut coniugalem non impedire frequentem communionem, quae ab animae dispositione unice dependet; *γ.* statuit iudicium de interiori dispositione atque adeo de frequentia communionis in particulari casu relinquendum esse confessario.

---

[1]) Cf. *Dalgairns,* Die hl. Communion; ihre Philosophie, Theologie u. Praxis, Mainz. Kirchheim 1862.

[2]) Sess. 22. c. 6. Sess. 13. c. 8.

[3]) Pars II. c. 4. q. 58.

c. Hanc sentiendi et agendi rationem ecclesia haurit ex fine et effectibus eucharistiae, de quibus ita disserit *s. Thomas:* „Hoc sacramentum est cibus spiritualis, unde sicut corporalis quotidie sumitur, et hoc sacramentum quotidie sumere laudabile est“ [1]).

4. Ideo contra mentem ecclesiae agunt nedum sacerdotes, qui omnibus indiscriminatim fidelibus frequentem communionem negant ideo solum quia frequens est, et parochi, qui s. communionem non distribuunt, nec distribui permittunt, nisi diebus dominicis et festis; verum etiam confessarii, qui more ianseniano ad frequenter communicandum tantam puritatem exigunt, ut vix ullum poenitentem frequenti communione dignum iudicent. Falso principio hi ducuntur, scilicet s. communionem esse praemium et mercedem virtutis acquisitae, cum potius sit medium virtutis acquirendae [2]).

72. *Dispositiones requisitae.* In determinanda frequentia communionis, quae singulis concedi potest, ad duo simul attendendum est: ad *reverentiam* tanto sacramento debitam et ad *utilitatem* fidelium, ut adeo utrique simul consulatur.

1. *Communio menstrua* nemini neganda, omnibus suadenda est. Alia dispositio ad eandem non requiritur praeter statum gratiae et proximam praeparationem. Qui ergo digni sunt absolutione sacramentali, singulis mensibus etiam ad s. communionem admitti possunt. Semel in mense ad s. communionem accedere est ordinaria frequentia, ideo ecclesia nullam aliam praeter ordinariam dispositionem ad hanc requirit.

2. *Communio hebdomadaria* paucis neganda, plerisque suadenda est. Dispositio ad hanc requisita est habitualis *immunitas* a peccato gravi, ut adeo peccatum grave raro tantum et non nisi in adiunctis difficilioribus committatur, et aliquis saltem *conatus* cavendi peccata levia, qualis scilicet requiritur ad praecavenda mortalia, etsi nulla cura

---

[1]) III. q. 80. a. 10.

[2]) Cf. *S. Alphons. VI.* 254.

adhibeatur acquirendi maiorem perfectionem. Magnus effectus communionis hebdomadariae est praeservatio a peccatis mortalibus: teste namque experientia pauci sunt, qui a mortali immunes praeserventur, nisi singulis hebdomadis communicent; econtrario plerique eorum, qui singulis hebdomadis ad s. mensam accedunt, tanta puritate vivunt, ut raro admodum in peccatum mortale labantur. Quare omnibus suadenda est, qui debita dispositione non carent, exceptis forte pueris et puellis ante decimum quartum vel quintum aetatis annum.

a. Ergo non est neganda illis, qui interdum in mortale labuntur, modo illud detestentur et serio emendare proponant; neque neganda est illis, qui affectum ad venialia deliberata habent.

b. Neganda est iis, qui affectum ad mortalia habent, ideoque saepius in mortalia labuntur; attamen excipiendi sunt, qui ex interna fragilitate vel ex vehementi et extraordinaria tentatione labuntur et voluntatem seriam ostendunt dimicandi contra peccatum: hi enim ex communione hebdomadaria maius robur ad resistendum tentationibus hauriunt. Pari ratione neganda est iis, qui venialia non curant nullumque conatum adhibent, venialia emendandi, qui ergo in statum tepiditatis devenerunt, nec ullum medium adhibent ex illo statu emergendi.

3. *Communio frequens* pluribus neganda, paucis concedenda est. Haec dispositio ad eandem requiritur, primo ut *sublatus sit affectus ad venialia* deliberata, quae proinde ordinarie saltem non committantur, secundo ut *serius conatus* adhibeatur proficiendi in perfectione et virtutibus, ut adeo duo essentialia media perfectionis oratio et mortificatio sensuum et passionum diligenter adhibeantur. Et quo maior est frequentia communionis, eo perfectior debet adesse haec dispositio; quocirca ut quis dignus sit *quotidiana communione,* requiritur, ut veniale deliberatum raro admodum fiat, et ut pravae inclinationes magna ex parte iam sint superatae una cum serio conatu proficiendi in via perfectionis.

a. Ergo neganda non est ei, qui ex fragilitate quandoque in veniale deliberatum cadit, sed cito dolet et emendationem proponit.

b. Neganda est ei, qui non conatur serio emendare venialia, qui adhaeret voluptatibus sensuum in audiendo, videndo, edendo vel pravis in-

clinationibus in censurando alios, aegre obediendo, se impatientem monstrando, mundanum honorem captando et similibus.

73. *De sacerdotibus quotidie celebrantibus.* — Posset quaeri, quo iure sacerdotes quotidie celebrent et quotidie communicent, quin secundum has normas de eorum dignitate iudicetur.

1. Tenentur quidem serium conatum adhibere comparandi sibi illam animi puritatem et vitae sanctitatem, quae ad quotidie celebrandum et communicandum requiritur; ideoque non excusantur, si mores non exhibeant, quales tanti sacramenti, quod tractant, dignitas et sanctitas exposcit. Attamen supposito statu gratiae defectus dispositionis et reverentiae in sumendo ss. sacramento facilius in sacerdotibus quam in laicis permitti potest.

2. Si enim de frequenti communione laicorum iudicium ferendum est, pluris facienda est reverentia ss. sacramento debita quam utilitas communicantis; quam ob rem qui requisitis dispositionibus carent, a frequenti communione arcentur, licet ipsis communio foret utilis. Si autem de sacerdotibus agitur, hinc reverentia erga ss. sacramentum, inde vero communis ecclesiae utilitas considerari debet: sacerdotes enim vi muneris sui constituti sunt mediatores inter Deum et homines; ipsi ecclesiae ministri sunt, per quos preces et sacrificia Deo offeruntur, quae toti corpori ecclesiae prosunt ex opere operato. Iam vero Christus Dominus exigit quidem, ut vita moralis sacerdotis sit tanto munere et officio digna, attamen potius admittendus est in sacerdote defectus dignitatis et reverentiae erga ss. sacramentum, quam ut ecclesia tot et tantis fructibus, ex eorundem sacrificiis partis, carere debeat[1]).

74. *De facultate permittendi frequentem communionem.* Non ad parochum aut superiorem ecclesiasticum, sed ad confessarium pertinet accessum nedum ad frequentem verum etiam ad ipsam communionem permittere et prohibere, quippe qui solus de interna communicantis dispositione

---

[1]) Cf. *Lugo,* De euch. disp. 17. n. 45.

et de fructu, quem ex s. communione ille percipit, iudicare possit.

1. Penes parochum est quidem ius admittendi pueros ad primam communionem *solemnem;* illud autem iudicium, an pueri pervenerint ad discretionem, quae ex mente ecclesiae ad suscipiendum eucharistiae sacramentum requiritur, nec unice nec praecipue ad parochum ut talem, sed potissimum ad confessarium et parentes spectat. Pari ratione non parochi sed confessarii est, circa magis vel minus frequentem usum s. communionis suorum parochianorum decernere. Parocho igitur non licet quemquam a frequenti communione arcere, cui eandem confessarius permisit. Quod si quis parochianus tanta frequentia, qua utitur, parocho non videatur dignus, confessarium de defectibus sui poenitentis monere deberet.

2. Leo PP. XIII. decreto *Quemadmodum* 17. dec. 1890 plura statuit circa communionem frequentem et facultatem eandem permittendi in communitatibus religiosis praesertim monialium. Qua de re haec notanda sunt:

a. In qualibet communitate religiosa monialium ex regula determinati sunt nonnulli dies, in quibus omnes ad s. communionem accedere non quidem tenentur, sed iure possunt. Porro confessarii monialium curam et industriam suam eo potissimum dirigant, ut omnes ita degant, ut diebus a regula permissis digne ad s. communionem accedere possint; exceptiones autem i. e. maiorem frequentiam eamque stabilem solum ex causa vere sufficienti permittant: eiusmodi enim exceptio praeterquam quod ordinem plerumque turbat, aliis est ansa invidiae et zelotypiae.

b. Facultas aut frequentiorem accessum permittendi aut accessum determinatis a regula diebus prohibendi spectat dumtaxat ad confessarium ordinarium vel extraordinarium, non autem ad superiorem seu directorem monasterii nec ad superiorissam, qui nullam habent auctoritatem hac in re sese ingerendi. Haec sola facultas superioribus conceditur, prohibendi accessum ad sacram communionem, si quis ex subditis post ultimam confessionem commisit graviorem et publicum defectum, qui admirationem aliorum excitavit, atque id quidem donec ad sacramentum poenitentiae accesserit.

c. Qui a confessario licentiam obtinuit, frequentioris vel etiam quotidianae communionis, superiorem de hac re certiorem reddere tenetur; quod quidem *α.* ab ipso poenitente, non a confessario fieri debet et *β.* non de

quacunque communione praeter regulam permissa, sed solum de communione communiter frequentiori intelligendum est; *γ*. id autem praecipitur, non ut superior licentiam det, sed solum ut rei notitiam habeat.

d. Quod si superior iustas gravesque causas se habere reputet contra frequentiores huiusmodi communiones, eas confessario manifestet, cuius iudicio deinde acquiescendum omnino erit[1]).

75. **Pro praxi.** 1. Parochi et confessarii magni faciant frequentem communionem tamquam usum ab ecclesia laudatum et commendatum, ad eamque fideles enixe hortentur.

2. Imprimis curent, ut in parochia vigeat ordinaria frequentia: melius enim est, ut parochiani omnes semel in mense ad s. communionem accedant, quam ut nonnulli saepius in hebdomada id faciant. Cum tamen fere ubique sint animae vere piae ac Deo devotae, pastores his, si petant, occasionem praebeant saepius communicandi.

3. Si confessarius animadvertit poenitentes, qui ex frequentiori communione magnum fructum percipiunt, poenitentes inquam, quorum desiderium s. communionis, quorum reverentia erga ss. sacramentum, quorum profectus in virtutibus et praesertim in caritate erga Deum et proximum identidem crescit, eisdem frequentem communionem etiam suadeat.

4. A frequenti autem communione ordinarie potius arcendi sunt pueri et puellae ante decimum quartum vel quintum annum: nondum enim illam indolis constantiam et virtutis maturitatem prae se ferunt, ut frequenter admitti possint. Insuper attenta levitate puerilis aetatis periculum est, ne ipsis iste cibus ex frequenti usu vilescat.

5. Non statim communio frequens permittenda, sed capto experimento fervoris et profectus in poenitente frequentia paullatim augenda est.

6. Communio frequens non est permittenda iis, qui saepius accedere nequeunt sine detrimento rei familiaris: educationis liberorum, curae infirmorum, laborum status etc. Licet enim nullus status nullumque negotium frequentem communionem impediat, ipsa tamen postulat, ut praemittatur diligens praeparatio et ut eam sequatur gratiarum actio saltem unius horae quadrantis. Qui ergo his pietatis exercitiis vacare non potest, quin munia sui status negligat, ei frequens communio permittenda non est.

---

[1]) Cf. S. Franco S. I., Das päpstliche Decret *Quemadmodum* übersetzt von M. Huber S. I. Regensburg, Pustet, 1892.

Caput secundum.

De eucharistia ut sacrificium est.

Quaestio prima.

De natura sacrificii eucharistici.

76. 1. *Sacrificium* in genere definiri potest: Oblatio rei sensibilis legitime instituta et Deo facta, qua per eiusdem rei immutationem profitemur, Deum, supremum rerum omnium dominum, dignum esse, in cuius honorem vita nostra destruatur.

Sacrificium suapte natura *signum* est, quo significamus, Deum vitae et mortis absolutum dominum, dignum esse, ut in eius honorem vita nostra destruatur; id autem significamus destructione illius rei, quae Deo in sacrificium offertur. Haec res *sensibilis* esse debet, quia sacrificium est actus supremi cultus externi et publici, qui Deo debetur; sacrificium *institutum* esse debet vel a Deo vel ab auctoritate publica, quae sola potestatem habet instituendi sacrificia.

2. In missa Deo offertur verum et proprie dictum sacrificium, quod eucharisticum dicitur. Quaerunt theologi, in quonam proprie essentia sacrificii eucharistici consistat et an in sola consecratione, an vero in consecratione et sumtione simul eius essentia habeatur. *S. Alphonsus* (n. 305.) huius est sententiae, non solam consecrationem, sed etiam communionem ad essentiam huius sacrificii pertinere; hodie tamen fere communis est inter theologos sententia, quae docet, solam consecrationem ad essentiam, communionem vero ad integritatem tantum sacrificii eucharistici pertinere. Ad integritatem autem communio pertinet, quia Christus sub speciebus ponitur per modum cibi et potus, ideo communio iure divino praecipitur, quia Christus integrum sacrificium offerri voluit. Solutio huius quaestionis eatenus momentum practicum habet, quatenus exinde determinandum est, quamdiu missae assistere quis debeat, ut eidem quoad substantiam interfuisse dicendus sit.

Quoniam ergo ad sacrificium eucharisticum non solum consecratio, sed ex praecepto Christi, saltem ut pars integrans, etiam communio pertinet, celebrans semper de suo sacrificio communicare debet, nec licet ei

sumere hostiam ab alio consecratam et hostiam a se consecratam e. g. reponere in ostensorio. Et particulae in missa consecratae usque ad peractam communionem in altari relinquendae sunt, quia (licet non essentialiter) ad sacrificium pertinent, quod peracta demum communione absolvitur. Ex gravissima tamen causa e. g. ad viaticum conferendum ante communionem de altari auferri possent [1]).

3. Pari modo quaerunt, an ad essentiam sacrificii requiratur consecratio utriusque speciei, an vero tota ratio sacrificii etiam in consecratione unius habeatur. Vera esse videtur sententia, secundum quam ad essentiam sacrificii consecratio utriusque speciei requiritur. Et sane de ratione sacrificii eucharistici est, ut sit incruenta repraesentatio sacrificii cruenti in cruce; atqui repraesentatio sacrificii cruenti non est nisi per consecrationem utriusque speciei: nam sacrificium crucis eo repraesentat, quod corpus et sanguis Christi sub diversis speciebus ponuntur, scilicet corpus separatum a sanguine ac veluti mortuum et sanguis Christi effusus. Momentum practicum haec quaestio habet, ubi, qui stipendium pro missa accepit, unam tantummodo speciem consecravit, quin defectum supplere potuerit. Ex hac sententia igitur in eiusmodi casu ille, qui stipendium accepit, suae obligationi celebrandi pro eo, qui stipendium dedit, non satisfecit; quare aut missas denuo celebrare, aut a s. sede condonationem [2]) petere debet.

Quoniam vero auctore *s. Alphonso* sententia, secundum quam essentia sacrificii etiam in consecratione unius speciei habetur, probabilis est, ille, qui pro stipendio celebravit, in tali casu obligationi suae probabiliter satisfecit; qui autem obligationi suae probabiliter iam satisfecit, non tenetur eam denuo implere.

4. Sacrificium eucharisticum ratione rei oblatae unum, *ratione finis autem quadruplex est:* latreuticum, eucharisticum, impetratorium et propitiatorium; quo fit, ut omnium sacrificiorum differentias in se uno contineat. Horum finium

---

[1]) *Gury,* Casus n. 262.

[2]) Nomine *condonationis* vel compositionis intelligitur remissio obligationis celebrandi missas, quae celebrandae fuissent, sed iam celebrari non possunt. Condonationem concedit s. pontifex imposita convenienti eleemosyna, dum ipse ex thesauro ecclesiae supplet defectum.

unum vel alium sacerdos celebrans peculiari modo explicite intendere potest; implicite autem semper illorum intentio habetur, quoties sacerdos sacrum facere intendit, prout Christus instituit aut iuxta intentionem ecclesiae.

5. Quadruplici fini, in quem sacrificium eucharisticum ex institutione sua offertur, respondet *quadruplex effectus*, quem producit. Exhibet ss. Trinitati perfectissimum cultum latriae; exsolvit debitum gratiarum pro acceptis beneficiis; impetrat omnis generis beneficia supernaturalia et naturalia, quatenus haec ad salutem conducunt ac tandem placat Deum et obtinet remissionem peccatorum quoad culpam et quoad poenam. Quam remissionem quoad culpam quidem causat mediate i. e. per gratias actuales ad contritionem aliosque actus excitantes, quibus dein peccata delentur; remissionem quoad poenam vero causat immediate, eo quod applicat satisfactiones Christi.

6. *Offerentes sacrificium* plures distingui possunt, qui tamen non omnes eodem modo sacrificium offerunt: nam proprius *minister* sacrificii eucharistici, si a Christo praescindimus, est solus sacerdos, qui consecrando sacrificium offert, ad quam oblationem faciendam ordo sacerdotalis requiritur; simpliciter *offerentes* vero dicuntur omnes, qui idem sacrificium Deo aliquo modo exhibent eumque hac ratione colere intendunt, ad quam oblationem solum moralis aliqua coniunctio cum sacerdote sacrificante requiritur. Itaque

a. Offerens principalis est Christus Dominus, qui in sacrificio missae per sacerdotes tamquam ministros suos sacrificium crucis incruento modo quotidie renovat.

b. Offerens ministerialis est sacerdos, qui licet in persona Christi offerat, non est tamen merus executor alienae voluntatis, sed ipse etiam proprio nomine sacrificat.

c. Offerens generalis est universa ecclesia, cui Christus hoc sacrificium reliquit, ut loco sacrificiorum veteris testamenti quotidie offerretur; ideo ecclesia sacerdotes eligit et consecrat, ut per eos tamquam legatos suos missae sacrificium Deo offeratur. Quare sacerdos non solum ut mi-

nister Christi, sed etiam ut minister et legatus totius ecclesiae sacrificat.

d. Offerentes speciales et accessorii sunt fideles, qui aliquo modo ad sacrificium concurrunt vel eidem assistunt et hac ratione sacerdoti celebranti moraliter uniuntur. In his primum locum obtinent, qui operam suam cum celebrante coniungunt, qui ergo vel stipendium praebent, vel utensilia ad missam necessaria suppeditant, vel sacerdoti sacrificanti inserviunt; secundum locum obtinent, qui missae reipsa intersunt, qui ergo voluntate et praesentia sua participant; tertium denique locum obtinent, qui mente et spiritu missae intersunt ideoque solum voluntate sua cum offerente se coniungunt.

7. Sacrificium igitur crucis triplici modo considerari potest: *a.* prout a Christo institutum est et ab eodem Christo offertur; *b.* prout offertur ab ecclesia, quae est sponsa Christi, in qua semper existunt plures eximiae sanctitatis fideles; *c.* prout offertur ab hoc determinato sacerdote cum hac dispositione et attentione. Si primo modo consideratur missae sacrificium, Deo patri semper infinite placet et eundem semper producit effectum sive offeratur a sacerdote sancto sive ab impio. Si secundo modo consideratur, pariter Deo patri semper placet et suum producit effectum independenter a sanctitate sacerdotis celebrantis. Si tertio modo consideratur, Deo patri magis placet maioremque producit effectum, quo maior est sacerdotis sanctitas et devotio.

Pariter sacerdos sacrificium offerens tripliciter considerari potest: *a.* prout gerit personam Christi primi offerentis seu consecrantis, cuius est veluti instrumentum et causa ministerialis; *b.* prout est publicus minister ecclesiae, cuius nomine sacrificium offert et in cuius persona preces fundit, quae in missa recitantur; *c.* prout est persona privata etiam suo nomine offerens et orans. Ex his conficitur missae sacrificium semper esse actum religionis publicum, nunquam privatum.

Quaestio secunda.

De valore et fructibus sacrificii.

Articulus primus.

De fructibus sacrificii.

77. *Fructus* missae sacrificii latiori et strictiori sensu intelligi possunt: latiori sensu complectuntur omnes effectus, quos sacrificium missae producit, tum respectu Dei tum respectu hominum, strictiori sensu comprehendunt effectus, quos missa in hominibus producit, i. e. bona, quae Deus intuitu sacrificii oblati confert offerentibus et iis, pro quibus offertur. Porro fructus missae sub triplici respectu considerari et dividi possunt: 1. ex parte offerentis; 2. ex parte rei, quae confertur; 3. ex parte participantium.

1. *Ex parte offerentis* alius est fructus missae ex opere operato, alius ex opere operantis. *Ex opere operato* dicitur fructus, qui confertur ex institutione et voluntate Christi vel ex oblatione et oratione ecclesiae independenter a sanctitate et dispositione celebrantis; *ex opere operantis* dicitur fructus, qui confertur intuitu dignitatis ac meriti celebrantis. Siquidem missae sacrificium dupliciter considerari potest, quatenus a Christo institutum est et ab ipso et ab ecclesia offertur, et quatenus a determinato sacerdote in statu gratiae vel peccati, cum maiori vel minori devotione et attentione offertur. Ex institutione et oblatione Christi missa efficax est ad certum effectum producendum, qui semper idem manet a quocunque offeratur sacerdote sive sancto sive peccatore; ex sacerdotis dispositione autem ille effectus augeri potest et eo quidem magis, quo maior est offerentis sanctitas et devotio.

2. *Ex parte rei*, quae confertur, fructus missae quadruplex est.

a. Meritorius. Christus quidem per sacrificium eucharisticum nihil amplius meretur nec satisfacit: redemtio enim per sacrificium crucis fuit completa; nec ecclesia missae

sacrificium offerendo quidquam mereri potest: meritum enim supponit actionem realem, quae a persona Deo grata ponatur. Sacerdos autem offerens ministerialis et offerentes secundarii omnes merentur augmentum gratiae et gloriae, si in eisdem adsunt conditiones ad meritum requisitae: oblatio enim huius sacrificii est excellentissimus actus virtutis religionis. Hunc fructum missae sacrificium non producit ex opere operato, sed totus provenit ex opere operantis, qui hoc opus pium et salutare exercet.

b. Impetratorius. Missae sacrificium vim habet impetrandi bona tum spiritualia tum temporalia, quae ad salutem conducunt. Provenit autem hic fructus ex opere operato, cum missae sacrificium ex institutione sua vim habeat impetrandi bona, quae postulantur, si saluti petentium expediant: licet enim Christus nunc proprie non oret, ipse tamen per sacerdotem orantem ostendit Patri voluntatem suam circa bona concedenda hominibus, ea scilicet, quae per oblationem sacrificii postulantur. Iste fructus ex opere operantis augeri potest, quatenus in missa etiam sacerdos et fideles cum ipso offerentes orant; quod quidem augmentum eo maius erit, quo maior est sanctitas et devotio offerentium.

c. Propitiatorius seu expiatorius. Sacrificium missae vim habet remittendi peccata tum mortalia tum venialia [1]); peccata autem non remittit immediate, sed mediate. Scilicet Deus propter peccatum aversus et indignatus oblatione huius sacrificii redditur peccatori, pro quo offertur, placatus, ne in iustam poenam ei irroget mala nec subtrahat bona, sed placatus misericordiam seu gratiam poenitentiae concedat, et sic peccata dimittat. Hunc quoque effectum missa habet ex opere operato, quatenus missae sacrificium merita et satisfactiones Christi per sacrificium crucis partas Deo Patri repraesentat et determinato peccatori applicat.

---

[1]) Conc. trid. sess. 22. c. 2. can. 3.

d. Satisfactorius. Sacrificium missae vim habet remittendi tam vivis quam defunctis poenam temporalem, quae pro peccatis iam remissis debita est. Fructus iste ex institutione Christi adeoque ex opere operato producitur, quatenus oblatione huius sacrificii satisfactiones Christi applicantur iis, pro quibus offertur. Eius tamen actualis perceptio supponit, ut fideles sint in statu gratiae nec affectum ad peccata retineant.

3. *Ex parte participantium* seu personarum, quibus fructus obveniunt, quadruplex distinguitur fructus missae: generalis, specialis, specialissimus et ministerialis.

Patet hic non esse sermonem de fructu meritorio, cuius ipsi offerentes et assistentes ex eo participes redduntur, quod actum cultus religiosi supernaturalem exercent, sed de fructibus, quos producit missa ex opere operato, quatenus est sacrificium a Christo et ab ecclesia Deo oblatum, de fructu scilicet impetratorio, propitiatorio et satisfactorio.

a. Generalis, quem participat tota ecclesia, omnes scilicet fideles vivi atque defuncti, imo quadantenus etiam universus mundus, modo effectus non impediatur. Ex intentione enim ecclesiae missae sacrificium offertur imprimis pro salute omnium fidelium, deinde etiam totius mundi, id quod constat ex orationibus, quibus ecclesia per sacerdotem pro omnibus orat et sacrificat. Hunc fructum generalem fideles tam vivi quam defuncti percipiunt sine applicatione celebrantis ex voluntate ecclesiae, quae semper intendit offerre pro omnibus suis membris vivis et defunctis. Sacerdos autem hunc fructum generalem aliter applicare non potest: semper enim tenetur sacrificium offerre prout Christus instituit et ecclesia intendit.

b. Specialis obvenit iis, qui peculiari modo ad sacrificium concurrunt (offerentes secundarii). Neque iste fructus pendet ab intentione celebrantis, qui eundem aliis applicare nequit; sed illis, quibus confertur, ex institutione Christi et voluntate ecclesiae obvenit; et intensiori quidem gradu eis, qui propius cum sacerdote celebrante coniunguntur.

Plures auctores (*Coninck, Gobat, Sporer* et alii) censent, hunc fructum tum impetratorium tum satisfactorium ab offerentibus secundariis

donari et applicari aliis posse, quia in canone de illis dicitur: *qui tibi offerunt pro se suisque omnibus.* Ideo vero sensu fideles dicunt, se pro alio missam audire velle: hisce enim verbis significant, se fructum specialem ei donare velle.

c. *Specialissimus,* seu personalis est ipsius sacerdotis offerentis: sicut enim ipse est proprie offerens, ita etiam pro se ipso potissimum offert. Fructus iste a celebrante percipitur, licet de eo non cogitet nec illum sibi acquirere intendat; alteri autem applicare vel donare eundem ex sententia *s. Thomae, Suarii, de Lugo* et aliorum non potest.

d. *Ministerialis,* qui obvenit iis, pro quibus sacrificium in particulari offertur et quibus a celebrante applicatur. Ab aliis iste fructus dicitur specialis, qui deinde illum, quem nos diximus specialem, referunt ad generalem; et a scotistis dicitur *medius,* quia inter generalem totius ecclesiae et specialissimum sacerdotis veluti medius est. Est autem iste fructus satisfactorius pro poenis debitis, propitiatorius pro peccatis et impetratorius bonorum spiritualium et temporalium, et ut certis quibusdam personis obtingat, necesse est, ut a celebrante applicetur.

An plus valeat missa sacerdotis boni quam sacerdotis mali — sacerdotis inquam, qui in statu gratiae digne ac devote celebrat, quam sacerdotis, qui in statu peccati absque devotione et animi collectione sacrum facit. — Respondendum est cum distinctione: idem valet, si considerentur fructus, qui proveniunt ex opere operato, sine dubio autem minus valet quoad fructus, qui proveniunt ex opere operantis. Scilicet si missa consideretur prout offertur in persona Christi et quoad fructus, quos ex opere operato producit; pari ratione si consideretur prout offertur in persona ecclesiae et quoad fructum praesertim impetratorium, qui potissimum obtinetur per orationes in ritu missae occurrentes, quatenus istae nomine ecclesiae funduntur a celebrante: missa sacerdotis sanctissimi tantum valet, quantum pessimi. Si autem missa consideretur prout offertur a sacerdote ut est persona privata i. e. prout suo nomine offert et orat, non est dubium, quin missa sacerdotis sancti

plus valeat quam peccatoris. Amici enim preces eaeque reverenter ac devote oblatae magnam vim habent impetrandi, quippe quas Deus libentius et cumulatius exaudiat; hostis autem et inimici preces easque irreverenter oblatas Deus non exaudit, maxime quando pro aliis orat.

Articulus secundus.

De valore sacrificii.

78. 1. *Valor* sacrificii missae imprimis intelligitur *dignitas,* quae eidem sacrificio natura sua insita est. Porro dignitas sacrificii a dignitate offerentis et a pretio victimae dependet; quare dignitas sacrificii eucharistici est simpliciter infinita, cum ipse Christus simul sit offerens et victima. Deinde vero nomine valoris intelligitur *vis,* quam missae sacrificium ex dignitate sua habet producendi certos effectus, scilicet conferendi bona tum offerentibus tum iis, pro quibus offertur. Valor igitur et fructus missae invicem se habent ut causa et effectus.

2. Sacrificii eucharistici *vis in actu primo* seu vis applicativa est intensive et extensive *infiniti valoris.* Valor enim in actu primo est vis, quam sacrificium ex se et in se habet applicandi hominibus fructus redemtionis; atqui illa vis est in se infinita. Etenim sacrificium missae eo differt a sacrificio crucis, quod hoc vim merendi et satisfaciendi habuit, illud vero ex parte Christi non amplius vim merendi habet, sed solum applicandi fructus in cruce partos. Iam vero quemadmodum sacrificium crucis est infiniti valoris, quia meriti infiniti, ita sacrificium missae ut est actio sacrificans Christi, infiniti valoris est, quia ex se vim applicativam habet infinitam seu vim habet producendi effectus indefinite intensos in innumeris hominibus.

3. Sacrificii eucharistici *vis in actu secundo* est vis, quam missae sacrificium non in se, sed ex voluntate et institutione Christi habet reipsa producendi fructus in iis, pro quibus offertur seu est actualis applicatio fructuum

redemtionis in iis, pro quibus offertur. Iam quaeritur, quinam effectus ex virtute sacrificii eucharistici reipsa producantur. Atqui fructus, quos percipiunt *offerentes secundarii,* sunt *extensive indefiniti* i. e. fructus in singulis non minuuntur pro numero assistentium, sed quantumvis numerus eorum augeatur, singuli eosdem fructus percipiunt ac si unus tantum assisteret.

4. Fructus *ministeriales,* quos illi percipiunt, pro quibus missa applicatur, *de facto finiti* sunt: hi enim fructus limitati sunt ex capacitate et numero hominum, pro quibus offertur missa; atqui non solum eorum numerus, sed etiam eorum capacitas tum in se tum ratione dispositionis finita est.

5. Sed quaeritur, utrum hi fructus ex voluntate Christi ad certam mensuram finiti et determinati sint, etsi maior sit eorum, quibus applicantur, capacitas, an vero solum ex eorum numero et capacitate limitentur.

Porro quorundam est sententia parum probabilis, in quolibet sacrificio missae applicari fructus indefinitos tum intensive respectu eiusdem tum extensive respectu diversorum, pro quibus offertur. Quocirca si missa pro pluribus offeratur, singulis tantum prodesset, quantum si pro uno offeratur. Non licet tamen plura stipendia accipere pro una missa, quia stipendium datur ad sustentationem ministri, quae una est; ergo nullus existit titulus plura accipiendi [1]).

Verum omnino tenendum est, valorem sacrificii missae ex voluntate et institutione Christi esse finitum et determinatum. Quare si missa pro pluribus offertur, fructus ex voluntate Christi determinatus inter eos dividitur, ideoque eo minor est, quo plures sunt, pro quibus sacrificium offertur, atque id quidem affirmandum esse videtur quoad omnes fructus, quos missae sacrificium producit: impetratorium, propitiatorium et satisfactorium, nulla enim videtur adesse ratio de fructu impetratorio aliud statuendi.

[1]) Cf. *S. Alphonsus* n. 312.

5. Argumenta, quibus sententia de valore finito sacrificii missae potissimum probatur, haec sunt. *a.* Effectus, quem sacramenta producunt, omnibus consentientibus finitus est, non solum propter capacitatem subiecti, quae semper finita est, sed maxime ex institutione et voluntate Christi; atqui nulla est ratio de effectu, quem sacrificium missae producit, aliter statuendi; ergo etiam missa solum finitum et ex voluntate Christi determinatum effectum producit.

b. Hanc doctrinam confirmat praxis ecclesiae, quae est infallibilis interpres institutionum Christi. Ecclesia nimirum semper sollicita fuit, non solum ut ad eundem effectum obtinendum plura sacra offerrentur, sed etiam ut pro *singulis* defunctis sacra dicerentur, ac tandem ut pro eadem anima defuncti plura sacra fierent; atqui si missa esset valoris infiniti et ideo aeque multis prodesset ac uni, quaelibet missa pro omnibus vivis et defunctis applicanda esset.

c. Tandem ex sententia adversariorum consectaria fluunt, quae admitti non possunt. Et primo quidem posset sacerdos uno sacro pluribus obligationibus, non quidem ex pluribus stipendiis, sed ex uno stipendio et ex aliis titulis contractis iure satisfacere. Deinde sequeretur, praxim, quam sacerdotes, etiam pii, in applicandis missis ubique servant, christianae caritati esse adversam: non enim pro iis solum, qui dant stipendium, sed quodvis sacrum pro omnibus simul applicare deberent, cum omnes eundem fructum caperent, quin ille, qui dat stipendium, damnum pateretur.

Quaestio tertia.

De applicatione sacrificii missae.

Articulus primus.

De ipsa applicatione.

79. *Applicatio* missae est intentio, qua sacerdos vult, ut sacrificii fructus determinatae cuidam personae obveniat. Cum vero fructus missae generalis, specialis et specialissimus non pendeat ab intentione sacerdotis, de solo fructu ministeriali applicando agitur; iste autem fructus iis, pro quibus offertur, per intentionem celebrantis applicari potest et debet.

Sacerdos enim vi ordinationis constituitur minister et dispensator mysteriorum Dei et potestatem accipit offerendi sacrificium i. e. eius fructum

applicandi tam pro vivis quam pro defunctis [1]). Cum igitur sacerdoti sit commissa applicatio, si ipse fructum sacrificii non applicet et dispenset, vel si ille, cui fructus applicatur, non sit eiusdem capax, missa nemini prodest, sed fructus eius manet in thesauro ecclesiae. Sunt tamen, qui opinentur, si nulla sit facta applicatio vel si facta sit incapaci, in missis quidem gratuitis fructum ministerialem obvenire sacerdoti celebranti, in missis vero debitis ex stipendio hunc fructum obvenire propinquis illius, qui stipendium dedit [2]). Censent enim sacerdotem semper habere implicitam et habitualem intentionem, ut sacrificii fructus sibi obveniant, nisi alteri applicentur; fundantes vero et petentes missas habere hanc implicitam et habitualem intentionem, ut si ipsis non prosint, prosint iis, quibus aliqua ratione coniuncti sunt. Nihilominus suadenda est praxis, fructus ve sibi ipsi vel alteri sub conditione explicite applicandi, si quando dubitetur, num ille, pro quo sacrum offertur, eorundem capax sit. Et in missis quidem gratuitis sub conditione: *si non sit capax;* in missis vero debitis: *si sine praeiudicio eius, qui eleemosynam dedit, fieri possit.*

80. *Pro quibus applicari possit.* Generatim dicendum est, missae sacrificium offerri et applicari posse pro omnibus, qui alicuius fructus capaces sunt et ab ecclesia ab iisdem percipiendis non excluduntur. Fructuum autem capaces non sunt sancti in coelo, damnati in inferno et pueri sine baptismo defuncti; praeter hos autem omnes tam vivi quam defuncti aliquem fructum ex missae sacrificio percipere possunt; quocirca pro omnibus, etiam peccatoribus, infantibus, obsessis missa offerri et applicari potest, nisi obstet peculiaris ecclesiae prohibitio. Patet autem illos, pro quibus missa offertur, ex applicato sacrificio eos tantum fructus percipere, quorum sunt capaces, reliquos vero, nisi alteri applicentur, in thesauro ecclesiae manere. Infantibus e. g. solus fructus impetratorius, peccatoribus solus propitiatorius et impetratorius, defunctis solus satisfactorius obvenire potest. In specie haec notanda sunt.

In *honorem sanctorum* offertur missae sacrificium *a.* ad Deum in sanctis suis honorandum; *b.* ad gratias Deo agendas pro donis gratiae et gloriae ipsis sanctis et pro donis gratiae per intercessionem sanctorum hominibus collatis; *c.* ad impetranda a Deo per merita et intercessionem sanctorum bona tum spiritualia tum temporalia ac tandem ut cultus sanctorum hic in terris augeatur.

---

[1]) Hebr. 5, 3. [2]) *Lugo,* disp. 19. n. 225.

1. Missae sacrificium offerri potest pro infidelibus vivis tum generatim pro omnibus tum pro singulis, nedum ad eorum conversionem impetrandam, verum etiam (accepto stipendio) ad alias eorum intentiones, modo absit scandalum et nihil mali aut erroris aut superstitionis subesse constet [1]).

2. Pro haereticis et schismaticis vivis missa offerri potest ad eorum conversionem impetrandam, etiam (oblato stipendio) ad eorum intentionem, si constet eleemosynam praeberi ad petendam conversionem ad veram fidem [2]). Neque ex eo, quod pro infidelibus ad alias quoque intentiones missam applicare licet, videtur inferri posse, idem etiam pro haereticis et schismaticis licere: si enim missa pro infideli offertur, non est timendum periculum indifferentismi, quod timeri debet, si pro haeretico aut schismatico id fieret.

3. Missae sacrificium offerri non potest pro excommunicatis *vitandis:* ecclesia enim excommunicatos hosce in poenam privat omnibus publicis et communibus ecclesiae suffragiis, inter quae suffragia missae sacrificium est potissimum. Nihil tamen prohibet, quominus missae sacrificium offerri possit pro excommunicatis *toleratis:* cum enim ecclesia fidelibus concederet, ut cum hisce excommunicatis communicarent [3]), etiam publicas preces pro ipsis offerri concessit. Quoniam vero ecclesia excommunicatos vitandos solum publicis et communibus suis suffragiis privat, nihil impedit, quominus sacerdos, ut persona privata est, missam offerat et in missa pro iisdem oret. Potest scilicet missae sacrificium, prout est opus bonum ab ipso sacerdote positum, pro excommunicato Deo offerre, potest insuper in memento et alias in missa privatim pro ipso orare.

4. Missae sacrificium offerri non potest pro iis, qui extra unionem externam cum ecclesia catholica defuncti

---

[1]) S. Officium 12. iul. 1865.

[2]) S. Officium 19. april. 1837.

[3]) Concilium Constant. Extravag. Martini V. *Ad evitanda scand.*

sunt: pro his enim ecclesia non orat et publice orare prohibet, quia illos externo suo iudicio tamquam damnatos habet. Ad hos referuntur:

a. Infideles, haeretici et schismatici.

b. Excommunicati vitandi, nisi ante mortem signa poenitentiae dederint; pro toleratis autem defunctis missa offerri potest.

c. Qui notorie in statu peccati mortalis defuncti sunt, uti e. g. qui sui compotes se ipsos occiderunt: quibus enim neganda est sepultura ecclesiastica, negantur etiam publica ecclesiae suffragia.

Celebris est quaestio, an *secreto et occulte* (non publice et sciente populo) liceat sacrum facere pro defuncto acatholico, qui forte bona fide et in statu gratiae decessit. Quaestio neganda videtur: nam praeterquam quod breve Gregorii XVI. (1842) ad episcopum augustanum et ad abbatem Scheyern. de absoluta prohibitione interpretandum esse videatur, s. officium (7. april 1875) expresse prohibuit missam applicare „pro iis, qui in manifesta haeresi moriuntur, etiam in casu, quo applicatio tantum sacerdoti et illi, qui dat eleemosynam nota esset."

Articulus secundus.

De modo applicationis.

81. Ut valida sit applicatio, haec tria requiruntur.

1. *Ut ab ipso celebrante fiat:* dispensatio enim fructuum sacerdoti a Christo demandata est, a quo etiam potestatem sacrificandi habet. Applicatio autem ita a celebrantis voluntate pendet, ut si contra voluntatem superioris applicet, illicita quidem, sed tamen valida sit applicatio. Ideo nihil efficeret celebrans hac intentione: sacrum facio pro eo, cui illud applicat Deus, vel Christus, vel beata Virgo. Attamen non requiritur, ut applicatio sit actualis vel virtualis, sed sufficit etiam *habitualis* et implicita: applicatio enim fit per modum donationis; atqui donatio semel facta valida est et manet donec revocetur. At quamvis intentio semel facta duratione plurium mensium certo non sit exstincta, tamen ad tempus nimis diuturnum (ad plures annos) non potest extendi, quin valorem suum amittat.

2. *Ut fiat ante consecrationem;* **valde quidem suaderi debet, ut applicatio fiat ante missam; attamen applicatio facta in ipsa missa valida esset, modo ante consecrationem fiat: sacrificium enim effectum a ministro intentum producit, quando completur; atqui per consecrationem sacrificium essentialiter completur.**

Sunt, qui dicant, valere applicationem, quae fiat ante communionem; cum tamen sententia, ex qua sacrificium ante communionem nondum sit essentialiter completum, vix ullam probabilitatem habeat, valde dubiae essent applicationes post secundam consecrationem factae. Applicatio tandem facta inter utramque consecrationem ex plurium sententia valida est; cum enim iuxta sententiam fere certam sacrificium consecratione calicis demum perficiatur, eiusdem fructus ante secundam consecrationem adhuc applicari possunt.

3. *Ut sit ad certam personam vel ad certum finem explicite vel implicite determinata:* **nam sacerdotis est missae fructum applicare, quem Deus non confert nisi ad intentionem celebrantis; hinc si sacerdos nullum finem aut nullam personam determinavit, non est ratio, cur uni potius quam alteri fructus missae applicetur et ideo nulli applicatur. Tamen non requiritur, ut sacerdos personam vel finem explicite cognoscat, sed sufficit omnino, ut alius id explicite determinaverit et sacerdos ad hanc intentionem ab alio determinatam celebret.**

Ideo valent istae applicationes: ad intentionem superioris; pro eo, qui primus stipendium dedit; ad intentionem dantis vel petentis; ad intentionem in libello notatam; pro quo exigit fundatio; pro quo applicare teneor; pro maximo peccatore; pro anima maxime derelicta; pro anima, quae proxima est redemtioni etc. Qui tamen ex decem intentionibus sibi oblatis applicaret iuxta unam ex decem non determinando qualem, validam applicationem non faceret. Qui autem applicaret pro omnibus decem collective, et valide applicaret et, si decem stipendia accepisset, obligationi suae satisfaceret: fructus enim missae divisibilis est, quare in singulis missis quilibet petentium decimam partem acciperet, et decimo sacro celebrato, quilibet totum suum fructum percepisset.

82. Solvendae restant plures quaestiones, quae pro praxi celebrantium magni momenti sunt.

1. *Quaenam intentio valeat, si sacerdos duas diversas fecerit.* — **Respondendum est, primam valere, nisi per subsequentem censeri debeat revocata. Itaque** *a.* **si primam**

intentionem absolute fecerit, ita ut voluerit illam valere, etiamsi ex illius oblivione aliam formaverit, certe prior valet; *b.* si memor prioris aliam fecerit, certe posterior valet; *c.* si immemor prioris aliam fecerit, valet intentio praedominans; illa autem censetur esse praedominans, quam fecisset, si prioris meminisset; *d.* si dubium sit, quaenam intentio valeat, sufficit, ut sacerdos alia vice intendat missam ei applicare, pro quo nondum applicavit: alterutra enim certo valida erat.

2. *An valida sit applicatio pro eo, qui primus daturus est stipendium.* — Missam applicare pro eo, qui primus postea stipendium est laturus, illicitum est, utpote a Clemente VIII. (15. nov. 1605.) prohibitum; etsi intentio in cognitione Dei sit determinata, adeoque per se valida. Saepe tamen eiusmodi applicatio etiam invalida erit: saepe enim accidet, ut missa tunc dicatur pro causa, quae nondum existit (e. g. pro infirmo, qui adhuc sanus est); quare effectus missae suspendi deberet, id quod fieri nequit. Nihilominus si sacerdos praevideret, futurum esse, ut missae postulentur e. g. pro aliquo defuncto, posset statim eas offerre, et postea stipendium pro oblatis accipere: applicatio enim esset valida, utpote facta pro determinata persona.

3. *An valida sit applicatio facta vivo, qui creditur mortuus, si pro eo mortuo applicandum fuisset.* — *Gury* (n. 358) prorsus negat applicationem valere, quia obligatio cadit in applicationem defuncto faciendam ad eius animam a poenis purgatorii sublevandam; finis autem ille non obtinetur, dum pro vivo sacrificium offertur. Merito tamen ibidem notat *Ballerini*, applicationem validam videri, quia finis a petente intentus obtinetur: nam defuncto obveniret sacrificii fructus satisfactorius; hunc autem fructum etiam vivus percipit, quo percepto anima a poenis purgatorii eximitur.

4. *Quomodo determinanda sit applicatio, quando stipendia a multis ignotis dantur, ut in piis peregrinationibus evenire solet.* — Respondet Gury (n. 357): Intentio facienda est pro iis, qui priora dederunt stipendia. Hoc facile succedit, quando idem sacerdos omnibus obligationibus est

satisfacturus; nec obest, quod ipse partem celebrandarum missarum aliis sacerdotibus forte distribuat: quia illas eodem ordine, quo accepit, distribuere potest; et sic sufficienter applicatio determinata videtur. Difficultas maior videtur adesse, si sacrista vel alius multa stipendia a diversis collegerit, et pecuniam confusam pluribus sacerdotibus distribuat, qui casus obvius et frequens est. Quomodo enim tunc facienda erit missae applicatio? Respondeo: nihil aliud faciendum est, neque aliud moraliter fieri potest, quam ut applicatio fiat iuxta ordinem temporis, quo stipendia a fidelibus erogata sunt, iuxta axioma, quod aliquando in iustitiae materia usurpatur: *Qui prior tempore, potior iure.* Imo nec necessarium est, ut sacerdos ad hoc explicite attendat; siquidem sic velle agere censetur, cum id expostulet naturalis aequitas. Hinc si ex cumulo communi, v. gr. ex arca in ecclesia posita vel a missarum distributore stipendia pro viginti missis acceperis, nulla alia cura tibi incumbere debet, nisi ut sacrum vigesies facias ad dantis intentionem. Distributor ipse eandem implicitam intentionem habere censetur, ut stipendia iuxta temporis antiquitatem successive eroget[1]).

5. *An fructus missae dividi seu separari possint. a.* Supra (n. 76.) monuimus, quatuor esse effectus seu fructus sacrificii missae: latreuticum, eucharisticum, impetratorium et satisfactorium. Qui e. gr. celebrat hac intentione: colendi s. Iosephum, gratias agendi pro beneficio accepto, impetrandi sanitatem amico et pro defuncto patre, quadruplicem fructum intendit et obtinet. Hos omnes fructus, potissimum vero impetratorium, propitiatorium et satisfactorium in hac quaestione intelligimus.

b. Diversos fructus missae ab invicem separari et dividi posse, certum est. Saepius accidit, ut fructus isti reipsa separentur, quin celebrans id velit et intendat. Si

---

[1]) Hac agendi ratione satisfieri obligationi applicandi missas pro stipendio declaravit 7. dec. 1892 s. poenitentiaria, „dummodo missis integre satisfiat intra tempus ab ecclesiastica praxi praefinitum, nec missae retardentur, quae ad certam diem vel pro urgenti causa offeruntur“.

e. g. sacrum offertur pro homine, qui in statu peccati mortalis est, fructus quidem impetratorius et propitiatorius, non autem satisfactorius illi obveniet. Fieri etiam potest, ut isti fructus ex voluntate celebrantis valide et quandoque etiam licite dividantur, ut e. g. alicui applicetur solus fructus impetratorius aut eius pars et non etiam satisfactorius vel vice versa.

c. De hac re sequentes regulae statui possunt.

α. Qui tenetur missam applicare ex iustitia pro stipendio accepto, non potest licite fructus missae dividere, sed totum sacrificii fructum, cuius capax est, danti stipendium applicare debet.

β. Etiam in missis pro defunctis, quae ex stipendio accepto celebrari debent, eisdem totus fructus, tam satisfactorius quam impetratorius, applicari debet, nec licet in missis pro defunctis ex iustitia debitis fructum impetratorium aut sibi aut alteri applicare. Non constat quidem, qua ratione animabus defunctorum prosit sacrificium quatenus impetratorium est (an directe vel solum indirecte); at certum est, fructu impetratorio defunctos multum iuvari posse. Atqui pariter certum est, eos, qui dant stipendium pro defunctis, ius habere, ut defuncti omni, quo possunt, modo iuventur.

γ. Qui ex sola obedientia i. e. ex praecepto superioris vel ex statuto ordinis sacrum facere tenetur, potest licite reliquos fructus, qui directe non tendunt in finem praeceptum, sibi vel alteri applicare. Obligatio enim praecepti non se extendit ultra finem praecepti; atqui finis praecepti obtineri potest, licet unus alterve fructus alteri applicetur. Si e. g. offerendum sit sacrificium in gratiarum actionem pro aliquo beneficio accepto vel ad impetrandum beneficium, nihil impedit, quominus saltem fructus satisfactorius applicetur aliis vivis vel defunctis.

δ. Qui ex liberali promissione sacrum facere tenetur, obligationi satisfacit, si solum fructum promissum vel petitum applicet; reliquos autem sibi vel alteri reservare potest. Liberalis enim promissio ita est interpretanda, ut promittenti sit quam minime onerosa. Qui e. g. uni promisit sacrum in gratiarum actionem pro beneficio accepto, alteri ad impetrandam sanitatem, tertio pro defuncto amico, unico sacro triplici promissioni satisfacit[1]).

---

[1]) Cf. *Sporer* n. 293, qui secutus est *Gobat,* Experient. theol. tr. 3. n. 144.

Quaestio quarta.

De obligatione celebrandi missam.

Ex sextuplici titulo oriri potest obligatio celebrandi et applicandi fructus sacrificii missae: *a.* ex sacerdotio; *b.* ex officio; *c.* ex stipendio; *d.* ex beneficio; *e.* ex obedientia; *f.* ex promissione.

83. *Obligatio ratione sacerdotii.* 1. Quilibet sacerdos sub gravi tenetur aliquoties celebrare, nisi legitime excusetur.

Conveniunt quidem auctores in asserenda gravi obligatione aliquoties celebrandi; sed non omnes hanc obligationem ex eodem fonte derivant. Plerique enim affirmant, *praeceptum divinum* omnibus sacerdotibus esse impositum aliquoties celebrandi. Nam *a.* verba Christi: „hoc facite in meam commemorationem" verum praeceptum continent graviter obligans; hoc autem praeceptum non refertur ad ordinem sacerdotalem universim, nec ad solos pastores; sed ad apostolos ut sacerdotes sunt, proindeque ad omnes futuros sacerdotes[1]). *b.* Sacerdos, qui negligit celebrare, gratia sibi data non utitur et potestatem frustrat in ordinatione sibi traditam; atqui gravis deordinatio in hoc continetur, si per longum tempus fiat: nam missae sacrificium exhibet Deo cultum debitum et hominibus gratias impetrat adeo necessarias. Qui autem hisce argumentis strictum praeceptum et gravem obligationem demonstrari negant, id saltem concedunt, sacerdotem, qui per longum tempus sine causa a celebratione abstinet, graviter peccare *ratione scandali;* omissio enim diuturna sacrificii missae a fidelibus tamquam signum habetur malae conscientiae et vitae pravae et cuiusdam contemtus[2]).

2. Quoties autem sub gravi celebrare teneatur, nec lex divina nec ecclesiastica determinat, auctores vero communiter docent, ad vitandum grave peccatum sufficere, ut ter quaterve in anno solemnioribus festis, imo quibuslibet diebus celebret, modo inter illos aptum intersit intervallum i. e. celebratio non ultra sex menses differatur.

3. Sacerdos, qui quotidie celebrare posset et sine omni causa id negligit, a veniali excusari non potest, nisi forte aliquoties (una in hebdomada die) reverentiae causa a celebrando abstineat[3]).

---

[1]) Concil. trid. sess. 22. c. 1.

[2]) *Lugo* disp. 20. n. 1.

[3]) *S. Alphons.* n. 359.

84. *Obligatio ratione officii.* 1. Praecepto divino sub gravi obligante tenentur omnes, *quibus officium pastorale incumbit,* non solum subinde celebrare, sed etiam pro populo sibi commisso sacrificium applicare [1]). Quae quidem obligatio est iustitiae, cum ad eandem, sicut ad cetera officia pastoralia, ex quasi contractu pastores teneantur. 2. Quoties vero missae sacrificium pro populo offerre debeant, ecclesia lata lege determinavit, scilicet qui animarum curam vi officii actu exercent, pro populo applicare debent diebus dominicis et festis de praecepto, etiam suppressis; atque id quidem etiamsi congruis reditibus non fruantur et consuetudine etiam immemorabili non obstante [2]).

a. Hac lege igitur tenentur episcopi, parochi et quidem postquam sedis possessionem adepti sunt, deinde etiam vicarii parochiales, sive sint saeculares sive regulares, qui vel parochiam vacantem administrant, vel vices parochi absentis tenent. Praelati autem regulares, episcopi titulares et vicarii capitulares sede vacante hac lege non tenentur, nec missionarii, qui curam animarum exercent, ubi non habentur parochiae canonice erectae, nec tenentur parochorum cooperatores vel capellani.

b. Dies festi, in quibus pro populo applicari debet, recensentur in catalogo *Urbani VIII.* [3]) quibus additur festum immaculatae conceptionis et festum patroni loci.

c. Si dies festus incidat in diem dominicam, unicâ missâ obligationi satisfit; si autem festum transferatur in proximam diem dominicam, etiam die festi, quo officium habetur, applicari debet; si vero festum cum officio in diem dominicam transferatur, die dominica pro populo applicare sufficit.

d. Parochus, qui duabus parochiis non unitis praepositus est, per se vel per alium in qualibet parochia applicare debet. Scilicet si ipsi binare non licet, obligationi satisfacere debet per alium sacerdotem, qui in secunda parochia diebus festis de praecepto pro populo applicet; et solum si alius sacerdos reperiri nequit, ipse alio die obligationi satisfacere potest; quod si ei binare licet, missâ binationis secundae obligationi satisfacit [4]).

e. Obligatio *gravis* ad ipsam applicationem refertur, adiuncta (personae, loci, diei) autem applicationis non obligant sub gravi, nisi saepe et fere ex consuetudine violentur.

---

1) Conc. trid. sess. 23. de ref. c. 1. c. 14. S. C. C. 10. mai. 1692. Constit. *Nuper* Innocentii XII. Encyclica *Amantissimi Redemptoris* Pii IX. 1858.

2) *Benedict XIV.* Constitut. *Cum semper.*

3) Ap. *Lehmkuhl* I. n. 1201.

4) S. C. R. 18. sept. 1850.

3. Obligatio applicandi pro populo est

a. realis, quare si pastor ipse ex iusta causa impeditus applicare non potest, per alium aut alio die obligationi satisfacere tenetur;

b. personalis, quare ipse applicare debet, nisi legitime impediatur[1]). Impedimentum autem legitimum est infirmitas, obligatio celebrandi missam conventualem, si parochus est simul canonicus, et aliud quod prudenti iudicio vere grave existimatur;

c. localis i. e. missa pro populo in ecclesia parochiali dici debet, ut populus eidem interesse possit; si tamen parochus legitime absit, pro lubitu vel ipse in loco, ubi moratur, vel per alium in ecclesia parochiali applicare potest[2]);

d. affixa determinatae diei, in alium autem diem transferre applicationem non licet. Id solum conceditur curatis pauperibus, ut, si eo die offeratur pingue stipendium, missa ad intentionem petentis dici possit, applicatione pro populo in alium diem translata. Sed non requiritur, ut missa, quae pro populo applicatur, sit missa solemnis aut ipsa parochialis, sed per missam privatam obligationi satisfacere potest.

Parochus legitime impeditus, quominus eo die pro populo applicet, tenetur per alium applicare et si non reperitur alius sacerdos, tenetur alio die pro populo applicare. Legitimum impedimentum aliud non admittitur, nisi sola impossibilitas celebrandi; sunt tamen auctores (Fallice et Hartmann), qui concedant parochum posse in festis suppressis applicationem pro populo in alium diem transferre, ut exequias celebret et sponsis benedicat, si non est sacerdos alius, qui eo die pro populo applicet.

4. Missa *conventualis* (si plures celebrari debent, solum una) quotidie applicanda est pro benefactoribus in genere. Regulares quidem non de iure communi, sed plerumque ex statuto ordinis ad hanc applicationem faciendam tenentur. Missa conventualis dicitur missa, quae canenda est

---

[1]) Ratio autem, ob quam parochus alia quidem munera pastoralia per alium implere possit, pro populo autem ipse applicare debeat, haec est, quia officium sacerdotale mediatoris, quod offerendo sacrificium exercet, munus personale est. Cf. *Pasqualigo,* De sacrif. miss. q. 854. n. 7.

[2]) S. C. C. 14. dec. 1872.

in ecclesiis cathedralibus et collegiatis et in ecclesiis regularium utriusque sexus, in quibus officium canonicum persolvitur in choro; qui ergo ad chorum non tenentur, non habent missam conventualem.

85. *Obligatio ratione stipendii.*

1. *De ipso stipendio.* Licitum est pro missae sacrificio exigere et recipere iustum stipendium, non ut pretium sacrificii seu fructus applicati, quod esset gravissimum peccatum simoniae, sed ad honestam sustentationem: qui enim pro alio occupatur in ministerio spirituali, iure divino ab eo exigit sustentationem temporalem [1]). Cum igitur stipendium missae non sit eleemosyna ad sublevandam inopiam, sed debitum stipendium pro opera exhibita in sacro ministerio, licite accipitur et exigitur etiam a divitibus, qui aliunde habent, unde vivant.

Ratio, ob quam ubique in ecclesia stipendia missarum, non autem sacramentorum aut aliarum functionum exigantur, repetenda est ex antiquo usu fidelium sacerdoti sacrificanti porrigendi materiam sacrificii et s. communionis aliasque pias oblationes, quae lapsu temporis in eleemosynas seu stipendia missarum transierunt.

2. Ex stipendio accepto oritur *gravis obligatio iustitiae* offerendi missam ad intentionem eius, qui stipendium dedit: intercedit enim inter sacerdotem et eum, qui stipendium largitur, contractus onerosus, qui ex iustitia servari debet. Hinc sacerdos, qui accepto stipendio missam non applicat ad intentionem dantis stipendium, graviter laedit iustitiam et ad restitutionem stipendii tenetur [2]).

3. Non solum missa ipsa applicari debet, sed etiam illa *adiuncta ex iustitia servanda* sunt, quae a dante stipendium iure postulantur et ad quae acceptans stipendium se obligavit scilicet celebrandi determinato tempore et loco et determinatam missae qualitatem. Quare gravis defectus suppleri debet etiam, si aliter fieri non potest, per aliam missam iuxta voluntatem dantis stipendium rite celebratam.

---

[1]) Mt. 10, 10. 1. Cor. 9, 13.
[2]) S. C. C. 21. iun. 1625; 5. iul. 1664. Benedictus XIV. *Quanta cura.*

a. Si *tempus*, quo missa sit dicenda, vel expresse vel tacite, ipsa scilicet qualitate intentionis (e. g. pro moribundo, pro felici exitu gravis negotii) determinatum fuerit, tempore pacto, si tempus determinatum non fuerit, intra „modicum" tempus applicari debet, nisi dans stipendium in dilationem consentiat, vel nisi sancta sedes maiorem dilationem indulto concesso permiserit. Quare non licet sacerdotibus plura missarum stipendia accipere, quam intra modicum tempus persolvi possunt, et „diuturna" missae ex stipendio debitae dilatio sine dubio grave peccatum est [1]).

Quaenam autem dilatio diuturna sit, ita determinandum esse videtur.

1. Si stipendium oblatum fuerit pro recenter defuncto, dilatio unius mensis censetur esse diuturna.

2. Si stipendium in alios fines oblatum fuerit, duorum mensium dilatio nondum censetur esse diuturna. Qui ergo missas, quae vocantur manuales i. e. ex stipendio debitas, non longe ultra duos menses differt, certo graviter non peccat, qui easdem vero notabiliter ultra duos menses differt, ex communi sententia auctorum graviter delinquit [2]).

3. Si stipendium oblatum fuerit propter urgentem aliquam necessitatem (e. g. pro felici partu, pro navigatione prospera), graviter peccat sacerdos, si non celebret intra tempus ratione rei aptum, et transacto illo tempore stipendium restituere tenetur, etsi postea celebraverit, quando scilicet finis, in quem celebrare debuisset, obtineri amplius non potuit.

4. Si stipendium oblatum fuit pro missa determinato die festo dicenda, eo die celebrari debet.

b. Si in *altari privilegiato* ex stipendio accepto pro defuncto celebrandum sit, obligationi satisfacit sacerdos, qui privilegio *personali* altaris gaudet, in quolibet altari celebrans; sed non satisfacit applicando aliam indulgentiam plenariam. Qui vero obligationi non satisfecit, sive quia absque privilegio personali in alio altari non privilegiato celebravit, sive quia non dixit de Requiem, ubi per rubricas licuit, non tenetur quidem restituere stipendium, sed tenetur in compensationem eidem defuncto applicare aliam indulgentiam plenariam.

---

1) Innocentius XII. *Nuper.* 23. nov. 1697.

2) Ad quaestionem, quomodo intelligendum sit illud *intra modicum tempus,* S. C. C. 17. iul. 1655 respondit quidem: „non de spatio duorum aut trium mensium, sed unius tantum mensis intelligendum esse"; nihilo minus sententia communis theologorum illud tempus ad duos menses extendit.

c. Qui ratione stipendii vel fundationis obligatus est *missam votivam* dicere, non satisfacit obligationi applicando missam de die, nisi legitimum impedimentum excuset. Cum tamen iste defectus non substantiam, sed solam missae qualitatem afficiat, veniale peccatum non excedit. Obligationi autem applicandi *pro defunctis* satisfit dicendo missam de Sancto; et pariter obligationi applicandi *pro vivis* satisfit dicendo missam de Requiem[1]); nullatenus autem convenit, ut ita fiat, nisi iusta causa excuset. Licet enim ratione sacrificii inter unam aliamque missam non sit discrimen, ratione tamen orationum, quae in missa occurrunt, una defunctis magis prodest quam alia.

d. Si oblato stipendio missa petitur *in honorem alicuius Sancti,* ad voluntatem petentis attendendum est. Si nimirum illis verbis intendat petere votivam, haec etiam dicenda est; et si per rubricas non liceret aut aliud impedimentum adesset, dans stipendium, quoad fieri potest, monendus esset. Quod si non intendat praecise missam votivam petere, obligationi satisfit etiam per missam diei currentis; sed convenit omnino, ut votiva dicatur, ubi per rubricas licet. Et si, ut saepe fit, de intentione petentis non constat, praestabit iis diebus, quibus per rubricas licet, votivam, aliis autem diebus missam de die applicare.

86. *De quantitate stipendii.* 1. Potest sacerdos licite pro missa tantum *accipere,* quantum liberalitas fidelium ultro et sponte offert; nec potest episcopus prohibere, ne fideles dent eleemosynam consuetâ maiorem: pietatis enim opera impedire nequit. Pari ratione per se licitum est, ex caritate exiguum stipendium admittere; episcopus tamen prohibere potest, ne sacerdotes admittant eleemosynam consuetâ taxâ minorem. Eiusmodi autem prohibitio, sicubi existat, non ita intelligenda est, ut, si ratio misericordiae aut caritatis id postulaverit, non liceat minus stipendium admittere, modo declaretur titulo eleemosynae id fieri.

---

[1]) S. R. C. 12. sept. 1840 ad 7. 29. nov. 1856.

2. *Exigere* autem pro missa non licet nisi *iustum* stipendium; iustum vero stipendium illud est, quod vel lege episcopi vel consuetudine loci determinatum est. „Si ultra eleemosynam ab episcopo taxatam plus sacerdos celebraturus exigat, non solum delinquit contra legem ecclesiae, verum etiam iustitiam commutativam laedit" [1]).

Si benefactor stipendia missarum dederit, quin numerum missarum determinaverit, eius voluntas quoad fieri potest, exquiri debet; quod si fieri nequit, quantitas stipendii secundum intentionem eiusdem, de qua forte ex aliis indiciis moraliter constat, determinanda est vel standum est consueto stipendio.

Si quis testamento vel legato missas celebrandas praeceperit, quin quantitatem stipendii determinaverit, vel recurrendum est ad episcopum, ut congruum stipendium praescribat, vel stipendium taxandum est secundum consuetudinem loci.

3. Ecclesia semper quam maxime cavere conabatur, ne stipendia missarum sacerdotibus essent occasio turpis lucri, quocirca, ut vel ipsa species et periculum quaestus et negotiationis praecidatur, plura edidit de hac re statuta et decreta. Decreta, quae de celebratione missarum agunt, a. S. C. C. edita ab *Urbano VIII.* (21. iul. 1625) approbata et ab *Innocentio XII.* Constit. *Nuper* (23. nov. 1697) confirmata sunt. Eadem postea *Benedictus XIV.* Encycl. *Quanta cura* additis poenis ecclesiasticis ex parte saltem innovavit. His accedunt plura alia decreta ab eadem congregatione nuperrime edita.

a. Damnata est doctrina, quae dicit, pro uno sacro licitum esse plura stipendia accipere, quamvis forte pluribus, pro quibus offertur, aeque prosit ac si pro uno tantum applicetur; et severe praecipitur, ut absolute tot missae celebrentur, quot ratione stipendii collati petitae fuerint, etiamsi stipendia sint exigua.

Die tamen nativitatis pro tribus missis tria stipendia accipere licet; et pariter stipendium accipi potest pro missa, quae die commemorationis omnium fidelium defunctorum celebratur. Pariter pro onere et labore extraordinario e. g. pro missa celebranda cum cantu, in loco dissito, tardo tempore, per plures dies continuos etc. licitum est, exigere taxam consuetâ maiorem; nullatenus autem pro emolumento spirituali e. g. in altari privilegiato, coram imagine miraculosa etc.

---

[1]) Benedictus XIV. De syn. l. 5. c. 9. n. 2.

b. Ad numerum missarum reducendum episcopi indigent speciali facultate s. sedis, ut existente necessitate id valide efficere possint. Solum quando ob tenuitatem legati reductio est necessaria et legatum nondum est acceptatum, potest episcopus absque sedis apostolicae facultate numerum missarum ad normam consueti stipendii reducere.

c. Prohibitum est sacerdoti, qui missam pro certo stipendio celebrandam accepit, missam alteri celebrandam committere, parte stipendii sibi retenta: integrum enim stipendium alteri est tradendum, etsi hoc consueto maius sit. Neque tunc licitum est partem stipendii detrahere, si pars detracta in piam causam impendatur; imo neque tunc, ubi alius sacerdos *rogatus*, sed solum ubi *non rogatus* consentiat.

Decreta, quae prohibent, ne sacerdos, qui missam cum certo stipendio celebrandam suscepit, eandem alteri celebrandam committat, parte stipendii retenta, ad solas missas *manuales* referuntur. Manuales autem illae missae dicuntur, quarum stipendia solum intuitu celebrationis, non ex titulo a celebratione distincto e. g. beneficii, legati dari solent[1]).

Neque administratoribus ecclesiarum, qui extraneis sacerdotibus in ipsorum ecclesiis celebrantibus stipendia largiuntur, licitum est, partem stipendii retinere eo titulo, ut pro necessariis expensis sacerdotes celebrantes aliquid solvant, nisi ecclesia sit adeo pauper, ut illas expensas sustinere non possit.

Potest tamen sacerdos ex iusta causa cum alio intentionem permutare, retento ab utroque proprio stipendio, licet stipendia non sint aequalia, sed unum altero maius. *S. Alphonsus* quidem (n. 322) huic sententiae contradicit, at usus iste permutandi intentionem inter sacerdotes etiam pios invaluit, cum adiuncta eiusmodi permutationem saepe exigant. Quodsi in hoc casu stipendia sunt inaequalia, unus alteri excessum sponte et libere donare censetur.

d. Qui colligunt stipendia missarum maioris pretii easque sine licentia, parte stipendii sibi retenta, celebrari faciunt, ubi stipendia minoris pretii esse solent, graviter peccant et ex constitutione *Apost. Sedis* (II. 12.) sub certis conditionibus excommunicationem incurrunt s. pontifici simpliciter reservatam.

e. Partem stipendii detrahere et retinere licet *α.* si sacerdos, cui missa dicenda committitur, *non rogatus* libere omnino et sponte partem donet; *β.* si maius stipendium datum sit intuitu personae (propter amicitiam, paupertatem etc.), non tam ut stipendium missae, sed potius ut donum superadditum, *γ.* si missae non sunt manuales.

f. Prohibitum est, ne bibliopolae vel mercatores stipendia missarum colligant et sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros et alias merces rependant. Hoc tamen decreto solum studiosa multorum stipendiorum collectio, quae negotiationis vel turpis quaestus speciem habet, interdicitur. Quare prohibitum non est, ut sacerdotibus

[1]) Cf. Acta s. sedis IV, 39 sq.

erga intentiones missarum i. e. pro missis celebrandis loco stipendii dentur libri, diaria religiosa et eiusmodi, dummodo missae celebrentur et voluntas donatorum circa locum, tempus et alia adiuncta missarum non fallatur. Statuta et decreta ipsa longa serie descripta reperies apud *Lehmkuhl* n. 202—205.

87. Decretum *Vigilanti* S. C. C. 25. mai. 1893 hac de re editum tria continet:

1. Qui in aliqua re contra decreta S. C. C. 31. aug. 1874 a Pio IX. approbata deliquerit, poenam ecclesiasticam incurrit et quidem *a.* si est sacerdos, suspensionem a divinis ipso facto incurrendam et s. sedi reservatam; *b.* si est clericus nondum sacerdos, suspensionem quoad susceptos ordines et inhabilitatem suscipiendi superiores ordines; *c.* si est laicus, excommunicationem latae sententiae episcopo reservatam.

2. Quia mala, quae huic decreto ansam dederunt, inde oriuntur, quod in quorundam privatorum manus maior numerus missarum congeritur, quam iusta necessitas exigit, sub gravi obedientiae praecepto decernit, ut omnes, qui ad missarum onera obligati sunt, sive sacerdotes sive laici, in fine cuiuslibet anni missarum onera, quae reliqua sunt et quibus nondum satisfecerint, propriis ordinariis tradant iuxta modum ab eis definiendum.

3. Revocantur quaecunque indulta et privilegia usque nunc concessa, quae praesentis decreti dispositionibus utcunque adversantur.

4. Actiones, quae per decreta 31. aug. 1874 simpliciter, per hoc vero decretum sub censura prohibentur, hae sunt:

a. Turpe mercimonium, quo bibliopolae vel mercatores missarum eleemosynas colligunt et sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros aliasve merces rependunt.

Quae agendi ratio etiam tum prohibita est, cum nec numerus missarum nec missae stipendium minuitur, vel cum pauperibus sacerdotibus stipendiis carentibus per eam subvenitur vel cum lucrum, quod ex mercium cum stipendiis permutatione hauritur, in usus pios impenditur.

b. Cooperatio ad turpe mercimonium, quae committitur tradendo bibliopolis vel mercatoribus acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas missarum.

c. Cooperatio ad turpe mercimonium, quae committitur recipiendo a bibliopolis vel mercatoribus pro missis celebrandis libros aliasve merces.

88. *Obligatio ratione beneficii.* Beneficium intelligitur beneficium simplex vel capellania, quae beneficiato imponit obligationem ex pia fundatione quotidie aut quot annis certis diebus missam celebrandi. Obligationes istae ex fundationibus ortae dici solent „perpetua onera missarum" et sunt *obligationes iustitiae*, quibus si beneficiatus non satisfecit, aut postea defectum supplere aut fructus perceptos restituere aut condonationem petere debet. Gravis autem obligatio iustitiae non solum ad missas determinato numero celebrandas, sed etiam ad *alia adiuncta* a fundatore praescripta refertur, scilicet ad speciem missae (an lecta vel cantata), ad locum, ad tempus etc. si fundator ob gravem causam ea designavit. In specie notandum est

1. Obligationi celebrandi beneficiatus ipse per se satisfacere tenetur, nisi ex institutione beneficii aliud constet. Applicatio autem missarum, ubi fundator de illa expresse nihil statuit, secundum praesumtam fundatoris intentionem facienda est. Et animae quidem fundatoris missas esse applicandas, merito praesumitur, ubi fundator simpliciter onus imponit celebrandi missas; ubi vero missarum celebrandarum certum numerum sibi applicandum esse praescribit, aliarum applicationem liberam reliquisse praesumitur.

2. Si beneficiatus, qui habet onus missae quotidianae, non ipse per se celebrare debet, nullam licite potest omittere, sed curare debet, ut per alium missa dicatur, quando ipse non celebrat. Si autem ipse per se quotidie celebrare tenetur, missam aliquando ex iusta causa omittere potest, quin per alium supplere teneatur. Eiusmodi causae sunt:

a. Infirmitas; si tamen infirmitas non sit brevis, sed diuturna, per alium, etiam collato stipendio, si opus fuerit,

celebrare debet. Brevis autem infirmitas aliis videtur esse, quae non excedit quindecim dies, aliis, quae mensem, aliis, quae duos menses non excedit. Etiam haec ultima sententia olim videbatur probabilis, nunc vero adsunt decreta contraria S. C. C. ex quibus per alium supplere tenetur, si infirmitas ultra quindecim dies perdurat.

b. Religio; potest humilitatis et reverentiae causa semel in hebdomada celebrationem omittere.

c. Rationabile impedimentum; potest ergo itineris causa vel ad peragenda exercitia missam omittere, imo permittunt auctores, ut aliquando (quinquies aut sexies in anno) pro se vel pro suis applicet. Non licet autem, quando pro alio celebrat, stipendium accipere, quia ex fundatione stipendium iam percepit.

3. Beneficiatus, qui ex fundatione diebus festis celebrare tenetur in determinato altari vel in determinata ecclesia, festis postea ab ecclesia abrogatis celebrare potest in alia ecclesia vel in alio altari, si finis fundationis is est, ut populo praebeatur occasio audiendi sacrum[1]).

Beneficiatus, qui ex fundatione applicare tenetur pro fundatore singulis diebus festis, ad id tenetur etiam festis suppressis[2]).

89. *Obligatio ratione obedientiae.* 1. Posse *superiores ecclesiasticos* i. e. summum pontificem et episcopum sacerdotibus sibi subditis per se non solum missae *celebrationem,* sed etiam *applicationem* praecipere, certum est, et contraria quorundam opinio falso nititur fundamento; attamen vix unquam hac potestate utuntur superiores, qui non sunt regulares.

2. Superiores autem *regulares* suis subditis ex diversis titulis missae applicationem praecipere solent; et quidem ex iustitia, ubi stipendia missarum a superioribus accipiuntur eo pacto, ut per subditos eadem persolvenda curent; vel ex obedientia, ubi vi potestatis dominativae, qua in subditos pollent, missae applicationem eisdem iniungunt, aut vi constitutionum missas, quae ab his ad certam intentionem exiguntur, praescribunt.

---

[1]) S. C. Ep. et Reg. 1. mart. 1872.

[2]) S. C. Ep. et Reg. 15. dec. 1856.

3. Tenentur ergo sacerdotes religiosi subditi sive ex iustitia et obedientia, sive ex sola obedientia missae sacrificium ad intentionem a superioribus praescriptam applicare. Si religiosus subditus contra praeceptum superioris agat, valide quidem ad aliam intentionem applicat, attamen illicite, et si ex iustitia tenebatur offerre, sine dubio graviter peccat; secus vero graviter vel leviter vel nulla ratione peccat contra obedientiam, prout intentio superioris erat sub gravi vel sub levi vel non sub peccato subditos obligandi. Constitutiones ordinum missas iniungentes sub peccato plerumque non obligant.

90. *Obligatio ratione promissionis.* 1. Qui serio et animo sese obligandi promittit, pro alio missae sacrificium offerre, promissione ab altero acceptata, ordinarie *ex fidelitate* tenetur pro eo missam applicare. Plerumque tamen eiusmodi promissiones non serio fiunt et cum animo sese obligandi, sed benevolum tantum propositum ostendunt, quare veram obligationem raro inducunt. Ab intentione igitur promittentis omnia dependent.

2. Obligatio ex fidelitate ordinarie solum venialis est, etiam in re gravi. Qui ergo unum vel plura sacra alteri vere promisit et ea applicare omittit, graviter non peccat, nisi expresse intenderit se graviter obligare. Si autem vera promissio non intercesserit, omissio celebrationis nullum est peccatum.

Quaestio quinta.

De praeceptis liturgicis.

Articulus primus.

De tempore celebrationis.

91. Unicuique sacerdoti licitum est quotidie semel celebrare, exceptis paucis quibusdam diebus, quibus vel plura sacra permittuntur vel celebratio speciali lege prohibetur.

1. *Die Nativitatis Domini* licet tres missas celebrare (in missali pro hac die assignatas) et pro unaquaque etiam stipendium accipere. Sacerdotibus coecutientibus, qui ex privilegio quotidie missam de Beata dicunt, die nativitatis domini semel tantum celebrare licet, si missas proprias huius diei dicere nequeunt.

Aliquando dubium erat, an sacerdos, qui sacrum ab alio inceptum sed non absolutum complere debet, adhuc celebrare possit; hocce dubium autem a s. sede (Leone XII.) *negative* definitum est.

2. *Feria V. in coena domini* licitum est missam celebrare in omnibus ecclesiis parochialibus (in ruralibus parochiis tamen, in quibus fer. VI. in parasceve et sabbato sancto nullae functiones haberi possunt, solum ex licentia episcopi); et in ecclesiis, quae parochiales non sunt, celebrari potest, si fer. VI. in parasceve et sabbato sancto sacrae functiones solemniter habentur.

In ecclesiis parochialibus, in quibus missa solemnis habetur, episcopus pro commoditate infirmorum permittere potest insuper unam missam privatam, quam regulares, si eis permittitur, in sacello domestico celebrare debent, vel si illud non habeant, in ecclesia, sed ianuis clausis. Aliae autem missae privatae non permittuntur.

Si in feriam V. in coena domini incidat festum de praecepto (s. Ioseph vel annunciationis B. V. M.), episcopus curare debet, ut tot missae in ecclesiis dicantur, quot sufficiunt, ut populus praecepto audiendi sacrum satisfacere possit. Ubi istis diebus nulla amplius est obligatio audiendi sacrum, nulla pariter est ratio plura sacra celebrandi. Ceterum standum est in hac re legitimae consuetudini regionis.

3. *Feria VI. in parasceve* solum permittitur missa praesanctificatorum; attamen si necessitas conficiendi viaticum id postularet, celebrari posset et deberet (dicendo missam de Passione Domini).

4. *Sabbato sancto* missae privatae absolute prohibentur; missa tamen, quae in ecclesiis parochialibus propter

defectum cantorum habetur sine cantu, non censetur esse missa privata, sed parochialis, ideoque licita. Si quando sabbato sancto ex specialissimo privilegio s. sedis permittitur missa privata, omissis prophetiis et reliquis incipiendum est a confessione et introitu.

92. *De hora celebrandi.* 1. Secluso speciali privilegio celebrare licet ab aurora usque ad meridiem, quod ita intelligendum est, ut missa ante auroram (duabus circiter horis ante ortum solis) non absolvatur et post meridiem non inchoetur. Qui ergo multum ante vel post tempus ab ecclesia statutum celebrat, per se graviter peccat; notabilis autem huius praecepti transgressio censetur esse, si quis integra hora ante vel post tempus statutum celebrationem incipiat.

Privilegium, quod, revocatis privilegiis ante tridentinum datis, hodie regularibus facile conceditur, celebrandi una hora ante auroram et una hora post meridiem, ita intelligendum est, ut integra hora ante vel post tempus, quo id aliis licet, celebrare possint. Attamen ante horam secundam celebrare non convenit, quamvis id in regionibus, ubi ratione incipientis aurorae licet, sine peccato fieri posset.

2. Ex iusta causa licitum est legitimum tempus antevertere vel protrahere; porro in sequentibus adiunctis causa censetur esse iusta.

a. Si conficiendum sit viaticum, celebrari debet etiam statim post mediam noctem.

b. Ut opificibus et famulis praebeatur occasio audiendi missam, licet etiam integra hora tempus antevertere.

c. Si sacrum solemne ultra meridiem protrahitur et mos est postea celebrandi missam privatam, ne magna pars populi missa careat.

d. Si sacerdos die de praecepto ex itinere impeditur, quominus debita hora celebret, potest una hora ante auroram vel post meridiem celebrare.

e. Si in casu particulari superior legitimus (Papa,

episcopus, superior regularis) dispensaverit, ut hora ante vel post legitimum tempus celebrari possit.

f. Si alias magna pars populi missa carere deberet e. g. itineris, supplicationis, concionis, funeris causa.

3. Rubrica, quae praecipit, ut matutinum cum laudibus ante missam dicatur, a nonnullis pro *directiva* tantum habetur; cum tamen missale saepius de hac re loquatur et quidem verbis, quae praeceptum significant, potius *praeceptiva* esse videtur; at non obligat sub gravi, quocirca etiam ille, qui ex consuetudine sine causa ante persolutum matutinum cum laudibus celebrat, graviter non peccat, contra ac opinatur Benedictus XIV. Omni autem culpa vacat, qui ex rationabili causa matutinum cum laudibus post missam tandem recitat.

4. Quod temporis spatium attinet, quo missa lecta durare debeat, haec sit regula generalis: Missa nec longior sit dimidia hora, ne adstantes taedio afficiantur, nec brevior tertia horae parte, quia alias non potest decenter celebrari. Secundum *s. Alphonsum* a peccato mortali excusari non potest sacerdos, qui sacrum faciens non attingit horae quadrantem, quia tam brevi tempore sacrum faciens committere necessario debet duos graves defectus, alterum gravis irreverentiae erga sacramentum, alterum gravis scandali erga populum.

93. *De facultate binandi.* 1. Secluso speciali privilegio solum *necessitatis causa* licitum est bis in die missam celebrare; casus necessitatis autem non est nisi unus, ut nempe populus praecepto audiendi sacrum satisfacere possit[1]). De iure communi eiusmodi necessitas proindeque facultas binandi adesse censetur:

a. Si unus sacerdos duas parochias administrat, quae adeo ab invicem distant, ut utriusque parochiae populus eidem sacro interesse non possit, nec adsit alter sacerdos, qui in alio loco celebret.

b. Si populus eiusdem parochiae universus sive propter angustiam loci sive ob alias causas ad eandem missam simul convenire non possit, nec adsit alius sacerdos.

---

[1]) C. Consuluisti tit. 41. l. 3. decret.

Si conficiendum est viaticum morituro deferendum, binare potest et debet sacerdos, qui adhuc est ieiunus, i. e. qui post sumtam s. hostiam et ante sumtam purificationem moneatur; an possit etiam non ieiunus, supra (n. 68. 5.) diximus.

2. Facultas binandi solum dependenter *ab episcopo conceditur,* quare ab ipso petenda est; verum non tam ad facultatem ipsam obtinendam, quae a iure conceditur, quam potius ad declarandum casum necessitatis ad episcopum recurrendum est [1]. Cum facultas haec binandi propter necessitatem conceditur, non personalis, sed realis est, proindeque si sacerdos, cui concessa est, celebrare nequeat, alius sacerdos, qui eius vices suppleat, vocari potest.

3. Praeter casum necessitatis, in quo licentia binandi a iure, vel eo, quo diximus modo, ab ordinario conceditur, ad obtinendam facultatem binandi *ad s. sedem recurrendum est,* quae ex gravi causa quandoque speciale privilegium binandi concedit. Haec facultas personalis est, ideoque in alium sacerdotem transferri nequit. Eiusmodi causa gravis adesset, si populus vel eius magna pars die non quidem de praecepto, sed magnae devotionis missam audire non posset.

4. Ut a celebratione missarum omnis occasio turpis quaestus excluderetur, ecclesia semper prohibuit, ne binantes absque speciali privilegio pro secunda missa stipendium acciperent aut per eam obligationi *iustitiae* sive propriae sive alterius satisfacerent [2]. Nihil tamen impedit, quominus per eandem obligationi *caritatis* aut *gratitudinis* satisfaciant [3]. Licentia pro secunda missa accipiendi stipendium quandoque conceditur ratione paupertatis celebrantium aut in favorem piae causae. Compensatio autem, quae celebranti intuitu extraordinarii laboris aut incommodi, ut si missa in loco dissito celebranda sit, tribuitur, non habet rationem stipendii ab ecclesia prohibiti [4].

---

[1]) Benedictus XIV. *Declarasti nobis.*
[2]) S. C. C. 19. dec. 1835 et 25. sept. 1858.
[3]) S. C. C. pluries, nuper autem *in Trevier.* 6. aug. 1881.
[4]) S. C. C. 23. mart. 1861.

a. Ergo parochi binantes, qui unum sacrum pro populo applicare debent, pro neutra missa stipendium accipere possunt, nec possunt per secundam missam ex binatione celebrandam satisfacere oneri diebus dominicis et festis pro populo applicandi [1]), nisi bis pro populo applicare debeant.

b. Sacerdotes autem, qui ex statutis sodalitatis, cui nomen dederunt, pro defuncto sodali missam celebrare tenentur, huic obligationi satisfacere possunt applicando secundam missam in die binationis [2]).

Articulus secundus.

Rubricalia.

94. Magnam partem eorum, quae sub hoc titulo ab auctoribus traduntur, docet Liturgica, ut de loco celebrationis et de requisitis ad celebrandum etc.; quare pauca tantum hic colligimus.

1. *Rubricae* distinguuntur *praeceptivae,* quae obligant sub peccato vel gravi vel levi pro gravitate vel levitate materiae, et *directivae,* quae sub peccato quidem non obligant, quarum tamen observationem convenientia et decentia postulat. Praeceptivae referuntur ad ea, quae intra missam servanda sunt, directivae autem ad ea, quae extra i. e. ante vel post missam agenda sunt. Preces, quae dicendae sunt, dum vestes induuntur, ex *s. Alphonso* sub veniali obligant, iuxta alios *(Suarez)* earum omissio omni culpa vacat.

2. *Sine missali* celebrare grave peccatum est propter errandi periculum: attamen si quis una alterave vice etiam solum ex devotione sine missali celebret, ubi illud haberi non possit, non peccat, modo morali certitudine sciat, se non errare; ad vitandam autem admirationem populi alius liber in altari ponendus esset.

3. *Sine ullo lumine* celebrare grave peccatum est; si ante consecrationem lumen deficiat et aliud haberi non possit, a sacro cessandum est; si post consecrationem inceptam deficiat, sacrum perficiendum est; si tamen intra

---

[1]) S. C. C. 5. mart. 1887.
[2]) S. C. C. 5. mart. 1887.

horae quadrantem aliud lumen haberi possit, expectandum est. Ad conficiendum viaticum pro moribundo probabiliter etiam sine lumine celebrare licet. *Cum uno cereo* celebrare veniale est, sive secundum lumen omnino desit, sive ex alia materia sit.

Lumina autem sub gravi esse debent *ex cera;* ergo non licet uti candelis ex stearina. Causa autem mediocriter gravis ab hac lege excusat; imo sunt, qui cum *Gobat* permittant, ut una vel altera vice ex sola devotione celebrari possit cum candelis ex alia materia confectis. In missionibus tamen quandoque conceditur specialis licentia adhibendi candelas ex adipe ceti confectas.

4. *Crux cum imagine crucifixi* inter candelabra praeeminens, ut sacerdos et populus facile eam intueri possit, in altari adesse debet. Si tamen adsit magna imago Christi crucifixi vel sculpta vel picta, necesse non est aliam crucem addere.

5. *Sine ministro* celebrare peccatum grave est; attamen in casu necessitatis licitum est sine ministro celebrare. Casus necessitatis sunt: *a.* ad conficiendum viaticum; *b.* ut populus praecepto satisfaciat audiendi sacrum; *c.* ut ipse sacerdos diebus praeceptis possit satisfacere praecepto audiendi sacrum; *d.* si minister (facta iam oblatione) abscesserit. — Ut celebrari possit cum ministro, qui nesciat respondere, minor necessitas requiritur. — Ubi autem per episcopos sacerdotibus communicatur specialis facultas (ut fit in missionibus) celebrandi sine ministro, hac facultate licite utuntur, si alias celebrare non possint. Si minister male pronuntiat, ipse sacerdos, si commode fieri potest, suppleat, si id fieri non potest, sine scrupulo ab omni correctione abstineat, ne se vel alios turbet.

6. *Mulierem ministrare ad altare* pariter grave peccatum est, potest tamen a longe constituta (et si monialis sit intra clausuram) sacerdoti, qui prius omnia ad missam necessaria disposuit, respondere, quin ad altare accedat e. g. ad porrigendos urceolos. Ut sacerdos ministerio mulieris licite uti possit, non requiritur necessitas celebrandi,

sed eo uti potest, si alias celebrare non posset, quin adsit maior ratio celebrandi [1]).

7. *Missam interrumpere essentialiter*, ita scilicet ut sacrificium inceptum maneat incompletum, nunquam licet nisi extrema urgeat necessitas, ut in casu imminentis incendii aut hostis ad necandum irruentis; tunc enim sacerdos, omissa calicis consecratione, posset sumere hostiam iam consecratam vel eam secum fugiendo auferre. Quod si utramque consecrationem perfecerit, utramque speciem statim sumat, si possit, vel si non possit, secum auferat in loco tuto postea sumendam.

Missam interrumpere accidentaliter aliquid interponendo iusta de causa licet, et quidem *ante canonem: a.* ad concionem habendam post evangelium, ad recitandas preces pro defunctis, ad faciendam proclamationem bannorum, ad excipiendam processionem etc.; *b.* si peregrini die festo alias missam audire non possent; et tunc, si oblatio facta non fuerit, sacerdos denuo incipere potest, ut totum sacrum audiant; *c.* si sacerdos recordatur alicuius impedimenti, e. g. se non esse ieiunum, vel non esse in statu gratiae, vel esse irregularem, modo missa sine scandalo aut infamia abrumpi possit. *Incepto* autem *canone* et a fortiori peracta consecratione solum licet ex gravissima causa, scilicet si moribundus baptizari aut absolvi debeat. Alia autem sacramenta ministrare inter consecrationem et communionem non licet, quia non sunt tantae necessitatis, excepto viatico, quod ministrari posset moribundo, qui tam prope esset, ut sacerdos altare e conspectu suo non amittat. *Post communionem* celebrantis immediate ante distributionem s. communionis licitum est brevem exhortationem ad communicantes habere „ab altari et cum consensu ordinarii" [2]).

8. *„Si sacerdos deficiat* ante consecrationem, nihil ab alio sacerdote agendum est, quia sacrificium proprie non

---

[1]) S. R. C. 12. ian. 1894, quo revocatur decretum 26. aug. 1836 et 4. aug. 1893 statuens, solum in casu necessitatis licere uti ministerio mulieris. [2]) S. R. C. 23. mart. 1881.

fuit inceptum. Si vero deficiat post consecrationem, etiam unius tantum speciei, alius sacerdos ieiunus, si adsit, supplere debet; si non adsit ieiunus, suppleat alius etiam non ieiunus et sacrum perficiat, quia praeceptum de integritate sacrificii procuranda gravius est. Imo etiam sacerdos irregularis vel excommunicatus supplere deberet. Attamen si statim alius sacerdos inveniri non posset, post interiectam unam horam probabiliter amplius non foret quaerendus, quia deesset unio moralis et proinde non censeretur idem sacrum. Si autem sacerdos morbo inter celebrandum correptus perficere sacrum valeat post aliquam interruptionem, melius ipse quam alius perficiet, etiamsi ieiunus non sit“ [1]).

9. *An liceat in missa aliquid addere.* — *a.* Prohibet concil. trid. ne sacerdotes „ritus alios aut alias ceremonias et preces in missarum celebratione adhibeant, praeter eas, quae ab ecclesia probatae fuerint“ [2]); quare certe sub gravi prohibitum est, aliquid addere animo introducendi novum ritum.

b. Ex importuna devotione addere unam alteramve collectam vel Pater, Ave, Credo et eiusmodi, propter parvitatem materiae veniale non excedit; et si ex iusta causa adderetur una collecta, auctore *s. Alphonso* (n. 411) probabiliter nullum esset peccatum; S. R. C. tamen decrevit, non licere in missis ad libitum sacerdotum orationes addere praeter a rubricis assignatas vel permissas [3]).

c. Brevem orationem iaculatoriam sive ore sive solum mente ita addere, ut inter preces liturgicas interponatur, ubi ritus nullam illarum precum interruptionem patitur, certe improbandum est; at eiusmodi orationes interponere, ubi ritus propter actionem interim peragendam inter singulas preces aliquam moram inducit e. g. inter elevationem specierum, inter incensationem etc., reprobandum non est, praesertim si sola mente fiat.

---

[1]) Sabetti n. 721. q. 5.
[2]) Sess. 22. Decret. de sacrif. missae.
[3]) 12. aug. 1854.

Liber quintus.

De poenitentia.

Caput primum.

De ipsa poenitentia.

Quaestio prima.

De natura poenitentiae.

95. Poenitentia duplici modo accipitur, ut virtus est et ut sacramentum est.

1. *Poenitentia ut virtus est* definitur: dolor et detestatio peccati commissi quatenus est offensa Dei cum voluntate satisfaciendi. Etenim qui peccat, Deum offendit, i. e. Deum a se aversum et iratum facit; qui poenitet, conatur Deum sibi reconciliare eumque placatum et amicum habere, ideo detestatur peccatum, quod Deum constituit inimicum [1]).

a. Poenitentia in genere significat dolorem de aliquo a se prius commisso; poenitentia in specie significat dolorem de peccato a se prius commisso. Si virtus poenitentiae (ut actus est) pleno sensu accipitur, quatuor diversos actus in se continet: *α.* odium et detestationem peccati; *β.* dolorem et tristitiam de peccato commisso; *γ.* propositum emendationis; *δ.* voluntatem satisfaciendi pro offensa Dei. Horum actuum priores formalem rationem poenitentiae, posteriores eius essentialem perfectionem exhibent. Adhuc notandum: dum voluntas odio et detestatione a peccato se avertit,

---

[1]) Cf. *Lugo* disp. 2. n. 50.

iterum ad Deum convertitur et reconciliationem cum eo quaerit; hinc poenitentia formalis non solum detestationem peccati sed simul voluntatem se cum Deo reconciliandi continet.

b. Obiectum *materiale* poenitentiae pleno sensu acceptae sunt peccata a poenitente commissa, reconciliatio cum Deo et opera satisfactoria, quibus Deum offensum placare conatur. Obiectum *formale* est malitia peccati quatenus est offensa Dei i. e. quatenus Deum aversum, iratum et inimicum facit, seu honestas, quae in detestanda et retractanda offensa Dei reperitur. Peccator enim peccatum a se commissum ex diverso motivo detestari et de eo dolere potest e. g. quia est contra bonitatem divinam, quia laedit iura divina, quia infert amissionem beatitudinis, vel praecise quia est offensa Dei: motivum primum ad caritatem, alterum ad iustitiam, tertium ad spem pertinet, quartum est motivum formale virtutis poenitentiae.

2. *Poenitentia ut sacramentum* est definitur: **sacramentum, quo peccata post baptismum commissa homini contrito et confesso per absolutionem sacerdotalem remittuntur. Eo igitur hoc sacramentum ab aliis differt, quod non ut alia in quadam consecratione consistit, sed per modum iudicii perficitur.**

In multis hoc iudicium sacramentale a iudicio forensi differt, et quidem *fine:* in iudicio enim forensi finis primarius est, ordinem moralem publicum per delicta rei laesum punitione reparare; in iudicio sacramentali autem finis principalis est reparatio ordinis privati inter Deum et peccatorem per peccata laesi et quidem peccatoris reconciliatione; *effectu:* iudicium enim forense tendit in reum puniendum, iudicium autem sacramentale in peccatorem a culpa absolvendum et cum Deo reconciliandum; *modo:* in iudicio enim sacramentali poenitens simul est accusator et reus et res tota secreto peragitur coram sacerdote tamquam iudice.

96. *De necessitate sacramenti poenitentiae.* **1. Sacramentum hoc saltem** ***in voto necessitate medii*** **necessarium est ad salutem omnibus, qui post baptismum in peccatum mortale prolapsi sunt: remissio enim peccati post baptismum commissi ad salutem simpliciter est necessaria; medium autem a Christo ad eandem obtinendam institutum est sacramentum poenitentiae, si fieri potest in re, si autem fieri nequit, saltem in voto susceptum; quod quidem votum in actu contritionis perfectae implicite et virtualiter continetur. Licet enim contritio caritate perfecta hominem ante sacramenti susceptionem Deo reconciliet, ipsa tamen**

reconciliatio a contritione non producitur sine sacramenti voto, quod in illa includitur[1]).

2. Sacramentum hoc *in re* susceptum necessarium est *necessitate praecepti* tum *divini*[2]) tum *ecclesiastici*[3]), supposito tamen semper peccato mortali. Praeceptum divinum urget tum per se tum per accidens.

Et *per se* quidem urget in periculo mortis: praecepta namque positiva obligant saltem eo tempore, quo sunt necessaria: secus enim frustra imponerentur, supposito autem peccato mortali confessio in morte plane est necessaria; qui ergo in certo vel probabili periculo mortis reperitur, praecepto divino tenetur confiteri, si potest.

Extra periculum mortis proprie non existit obligatio confitendi ex praecepto divino; praeceptum ecclesiasticum autem iniungit confessionem semel in anno faciendam. Ideo hoc praeceptum considerandum non est tamquam determinatio praecepti divini, sicut praeceptum semel in anno sumendi s. communionem est determinatio praecepti divini quoad frequentiam indeterminati; sed potius dicendum est, ecclesiam praecipere annuam confessionem propter communionem paschalem, cui ex praecepto divino praemittenda est confessio.

Per accidens autem obligat *a.* quando suscipiendum est sacramentum eucharistiae; *b.* quando requiritur status gratiae, e. g. si conficiendum vel suscipiendum sit sacramentum vivorum, nec elici possit actus contritionis perfectae; *c.* si quando urgeret adeo gravis tentatio, quae aliis mediis superari non posset.

97. *De partibus huius sacramenti.* Partes sacramenti poenitentiae diversis modis assignari possunt: *ex parte totius sacramenti* partes poenitentiae sunt duae, ut in omnibus aliis sacramentis scilicet materia seu contritio, confessio et satisfactio, et forma seu absolutio; partes poenitentiae *ex parte poenitentis tantum* sunt contritio, confessio et satisfactio et *ex parte sacerdotis tantum* absolutio. Obiter saltem tangenda est quaestio inter theologos controversa, quaenam *partes poenitentiae sint essentiales.*

---

[1]) Conc. trid. sess. 14. c. 5.
[2]) Concil. trid. sess. 14. can. 6.
[3]) Conc. lateran. IV. c. Omnis utriusque. Conc. trid. sess. 14. can. 8.

1. Omnibus consentientibus absolutio est pars essentialis et principalis sacramenti poenitentiae; et pari ratione omnes consentiunt, satisfactionem actu expletam esse solum partem integralem huius sacramenti, qua absolutio a peccatis et a poena aeterna perficitur et completur, eo quod per eandem etiam poena temporalis deletur. Effectus enim primarius poenitentiae sacramenti, gratia scilicet sanctificans et remissio peccati quoad culpam et poenam aeternam, iam ante satisfactionem actu expletam producitur. Si ergo quaeritur, an satisfactio sit pars essentialis poenitentiae, solum de voluntate acceptandi et implendi satisfactionem id affirmari potest, quae voluntas in contritione virtualiter semper continetur.

2. Num vero contritio et confessio seu confessio dolorosa sit pars essentialis sacramenti, disputatur. Et *Thomistae* quidem cum recentioribus communiter docent, actus poenitentis seu confessionem dolorosam esse partem sacramenti essentialem, ita ut una cum absolutione significet et causet gratiam iustificantem et remissionem peccatorum. *Scotistae* vero cum paucis recentioribus affirmant, solam absolutionem sacerdotalem esse partem sacramenti proprie essentialem, quippe quae sola significet et causet gratiam sanctificantem; confessionem autem dolorosam seu actus poenitentis necessario requiri per modum dispositionis et *conditionis sine qua non;* et contritionem quidem aliquo modo ex rei natura, confessionem vero ex voluntate Christi instituentis hoc sacramentum per modum iudicii, quod sine cognitione causae institui non potest.

3. Ad quaestionem igitur, in quo consistat essentia sacramenti poenitentiae, thomistae quidem respondent: in dolorosa confessione peccatorum et in absolutione sacramentali simul; scotistae vero respondent: in sola absolutione sacramentali supposita contritione et confessione tamquam conditione necessario praerequisita. Quid in hac quaestione verum sit, certo definiri non potest, utraque sententia est probabilis, neutra certa. Momentum practicum huius controversiae in absolutione moribundo-

rum potissimum se prodit: etenim si actus poenitentis sunt partes essentiales sacramenti, quae natura sua debent esse sensibiles, nemo valide absolvi potest, quin illi actus signo sensibili exterius manifestentur; si autem non habent nisi rationem necessariae conditionis et dispositionis, absolutio valida erit, etsi exterius non manifestentur. Et quandoquidem sententia, quae docet, actus poenitentis esse materiam proximam et „ex qua" sacramenti, sua probabilitate non caret, certo validae haberi non possunt absolutiones, quibus non praecedit dolorosa poenitentis confessio aliquo modo sensibilis.

98. *Effectus sacramenti poenitentiae* sunt: 1. *Infusio gratiae sanctificantis,* qua peccata delentur.

2. *Remissio peccatorum:* per infusionem enim gratiae sanctificantis remittuntur peccata, et mortalia quidem omnia, non autem necessario etiam venialia, ad quae contritio se non extendit.

3. *Condonatio poenae aeternae:* deleta enim culpa mortali remittitur etiam poena aeterna: gratia enim, quae per sacramentum infunditur, tribuit ius ad gloriam aeternam, quod simul cum reatu poenae aeternae consistere nequit.

4. *Condonatio poenae temporalis:* ex dispositione divinae voluntatis poena aeterna in hoc sacramento non prorsus deletur ut in baptismo, sed mutatur in temporalem, cuius maior minorve pars deletur pro ratione dispositionis in poenitente. Quamvis ergo fieri possit, ut etiam poena temporalis tota deleatur, id tamen non contingit, ut ait concilium tridentinum, sine magnis nostris fletibus et laboribus [1]).

5. *Reviviscentia meritorum:* opera enim meritoria per peccatum mortificata per poenitentiam iterum reviviscunt, quatenus ablato impedimento peccati mortalis iterum digna sunt praemio vitae aeternae.

6. *Gratia sacramentalis* seu ius ad auxilia gratiae, quibus homo iustificatus a peccatis praeservetur.

[1]) Sess. 14. c. 2.

Quaestio secunda.

De materia poenitentiae.

99. *Materia* poenitentiae alia est remota, alia proxima. Materia *remota* et *circa quam* sunt omnia peccata post baptismum commissa. Materia *remota* dicuntur peccata, quia per actus poenitentis proponuntur clavibus ecclesiae, ut per absolutionem remitti possint. Materia *circa quam* peccata dicuntur, quia circa ipsa detestanda et destruenda versantur actus poenitentis et absolutio sacerdotis.

Materia *proxima* et *ex qua* sunt tres actus poenitentis: contritio, confessio et satisfactio ut acceptanda. A concilio tridentino[1]) hi actus dicuntur *quasi materia* huius sacramenti, aut quia rationem materiae vere et proprie non habent, aut quia non sunt res materiales ut aqua in baptismo. Materia *proxima* actus poenitentis dicuntur, quia peccata clavibus ecclesiae applicant et exhibent, ut per absolutionem remitti possint. Materia *ex qua* hi actus dicuntur, quia in sententia communi thomistarum constituunt partem essentialem, quae simul cum forma absolutionis ipsum signum sacramentale intrinsecus constituit. Materia remota distinguitur *a.* necessaria et libera; *b.* certa et dubia; *c.* sufficiens et non sufficiens.

100. *De materia necessaria et libera.*

1. *Necessaria* ea dicitur, quae ex praecepto divino clavibus ecclesiae per confessionem necessario subiicienda est. Hanc constituunt omnia et sola peccata mortalia post baptismum commissa et vi clavium nondum directe remissa: haec namque peccata per confessionem clavibus subiicienda sunt. Ergo quodvis peccatum, quod vi absolutionis sacramentalis directe remissum non est, manet materia necessaria confessionis.

Directe remitti dicuntur peccata, quae vi absolutionis remittuntur; et hac quidem ratione remittuntur omnia illa peccata, quae a poenitente in se clavibus ecclesiae rite subiiciuntur et a confessario iurisdictionem in

---

[1]) Sess. 14. c. 3.

ea habente absolvuntur. *Indirecte* remitti dicuntur peccata, quae vi gratiae sanctificantis per sacramentalem absolutionem infusae remittuntur. Si e. g. poenitens apte dispositus peccatum grave ex oblivione inculpabili in confessione omittit, absolutio confessarii necessario producit remissionem peccatorum et infusionem gratiae; at ipsa nequit remittere nisi peccata clavibus subiecta; non potest autem gratia infundi, quin omnia peccata mortalia deleantur; ergo vi gratiae infusae, indirecte et per concomitantiam, remittitur etiam peccatum in confessione omissum.

a. Si adultus, de cuius baptismo dubitatur, sub conditione iterum baptizandus est, non est necesse, ut denuo confiteatur peccata *iam accusata:* vel enim primus baptismus fuit validus, et tunc peccata per absolutionem iam remissa sunt; vel baptismus non fuit validus, et tunc per secundum baptismum remittuntur. Peccata autem ab ultima confessione commissa et *nondum accusata* integre confiteri debet ex eadem ratione, ex qua adultus acatholicus sua peccata confiteri debet, ut mox dicetur.

b. Adultus acatholicus, qui ad fidem conversus propter baptismum dubie collatum sub conditione iterum baptizatur, peccata sua integre confiteri debet.

α. Aliis obligationem integrae confessionis in hoc casu affirmantibus ad satisfaciendum praecepto confesssionis, si forte validus fuit baptismus, plures alii docuerunt, suadendam quidem esse confessionem, at non esse ex obligatione imponendam: cum enim primus baptismus sit probabiliter invalidus, non adest certa obligatio confitendi peccata post hunc baptismum commissa. Illa igitur peccata per sequentem baptismum remittuntur, si prior erat invalidus; si autem validus erat, in sequenti confessione indirecte remittuntur. Verum exstant duo decreta s. Officii aliud in causa *Caroli Wippermann* a. 1715, aliud ad Angliae episcopos a. 1868[1]), ex quibus constat, in hoc casu exigendam esse integram peccatorum anteactae vitae confessionem, qua facta dari debet sub conditione absolutio.

β. Decretum istud non videtur esse nova lex ecclesiastica sive generalis sive particularis, quae neo-conversis iniungit obligationem confessionis integrae peccatorum suorum, sed potius authentica declaratio praecepti divini circa materiam necessariam confessionis, quae decernit, peccata commissa post baptismum non certo validum esse materiam necessariam confessionis. Ex his vero magna oritur difficultas: peccata enim per baptismum dubie collatum probabiliter iam remissa sunt peccata dubia; quare obligatio eadem accusandi est dubia proindeque nulla; ex hac ecclesiae declaratione autem sequeretur, obligationem dubiam non esse nullam.

---

[1]) Cf. Acta s. Sedis IV. 320.

γ. Huic difficultati alii ita occurrunt, ut dicant, decretum istud s. officii non esse generale, sed continere praeceptum particulare pro neoconversis in Anglia datum ob speciales illius regionis rationes [1]). Alii autem melius affirmant, obligationem accusandi peccata commissa post baptismum dubie validum non esse dubiam, sed prorsus certam [2]).

c. *Peccata in ipso baptismo commissa* practice adnumeranda sunt materiae dubiae sacramenti poenitentiae; quare non debent in confessione necessario declarari, nec possunt ipsa sola absolute absolvi [3]).

Quaeritur enim, an peccata in ipso actu baptismi commissa deleantur vi baptismi, quod remoto obice reviviscit, an vero accusari debeant in sequenti confessione, ut vi absolutionis remittantur. Sunt, qui distinguant inter peccatum fictionis, quod committit, qui scienter in peccato mortali sine dolore suscipit baptismum, et alia peccata e. g. dubii in fide, quod in susceptione baptismi committitur. Communiter vero non facta distinctione inter peccatum fictionis et alia peccata affirmant, omnia peccata in ipsa susceptione baptismi commissa constituere materiam necessariam poenitentiae: haec namque peccata dici debent post baptismum commissa; ergo per poenitentiam delenda: fieri enim vix potest, ut peccatum in ipso instanti collati baptismi ita compleatur, ut post susceptum baptismum non continuetur; quodsi tamen in ipso instanti collati baptismi completum esset, per poenitentiam deleri non posset. Cum tamen alii de obligatione haec peccata confitendi dubitent [4]), alii eandem negent [5]), ac tandem discerni non possit, an peccatum in ipso instanti baptismi iam terminatum fuerit vel etiam postea duraverit, haec peccata in praxi materiae dubiae merito accensentur.

2. *Libera* ea dicitur, quae clavibus ecclesiae subiici potest, sed non debet. Hanc constituunt peccata venialia post baptismum commissa et peccata tam mortalia quam venialia ecclesiae clavibus iam rite subiecta et per absolutionem remissa: peccata enim iam remissa alia accusatione non egent, venialia autem multis aliis modis deleri possunt.

Quandoquidem peccata tam venialia quam mortalia iam semel remissa non sunt materia necessaria sed libera, sequitur in confessione mortalium licite posse omitti venialia sive omnia sive plura; in confessione autem

---

[1]) *D' Annibale* n. 164. *Ballerini-Palmieri* n. 28.

[2]) Cf. Acta s. Sedis IV. 323.

[3]) *Ballerini-Palmieri* n. 25.

[4]) *S. Alphons.* n. 427.

[5]) *D' Annibale* n. 164. *Lugo* disp. 16. n. 2.

venialium posse omitti aliqua etiam pleraque venialia; in confessione tandem generali, quae non sit necessaria, omitti posse non solum venialia, sed etiam mortalia sive aliqua sive plura, de quorum confessione iam semel facta non est dubium.

101. *De materia certa et dubia.*

Materia *certa* ea dicitur, quae certo constituit peccatum vel grave vel leve, a qua ergo dari potest absolutio certo valida; materia *dubia* ea dicitur, quae non certo sed dubie tantum est peccatum, a qua ergo absolutio certo valida dari nequit. Si ergo clavibus non subiicitur nisi peccatum dubium, absolutio erit valida, si eidem reipsa subest culpa; et erit invalida, si eidem nulla subest culpa. Qui igitur non affert, nisi materiam dubiam, nunquam potest absolute et sine urgenti causa neque conditionate absolvi, quia sacramentum exponeretur periculo nullitatis.

a. Quam ob rem si poenitens peccata dubia tantum confiteatur, inducendus est, ut ex vita anteacta peccatum certum iam remissum mortale aut saltem veniale accuset. Quod si hoc fieri non possit, sive quod certa non commisit, sive quod ex simplicitate aut debilitate eorum non recordetur, absolvendus est sub conditione *(si capax es),* si peccata proposita dubia sint mortalia. Si autem peccata dubia, quae confitetur, sint venialia et nihil certi ex priori vita adiungi possit, neque sub conditione absolvendus est nisi raro, quia hinc quidem non magnum oritur damnum spirituale ex negata absolutione, inde vero sacramentum non est exponendum periculo nullitatis, nisi timeatur damnum spirituale in poenitente vel ministro, quod aliter commode evitari non potest.

b. Usus in ecclesia invaluit, ut poenitentes, praesertim pii, qui saepius confitentur, peccatis ex ultima confessione commissis adiungant saltem generice unum alterumve peccatum praeteritae vitae, atque id fieri solet ex duplici ratione; imprimis ut certa confessionis materia habeatur, si forte peccata ex ultima confessione commissa solum sint dubia, deinde ut certius de peccatis in confessione declaratis dolor concipiatur, si forte de levibus quotidianis defectibus desit verus et sincerus dolor. Iam ut finis huius praxis, scilicet ut consulatur validitati et fructui sacramenti, non frustretur, monendi sunt poenitentes, ut ex peccatis anteactae vitae subiungant, quae magis eorum conscientiam gravant, et de quibus vere et sincere dolent et emendationem proponunt.

102. *De materia sufficienti et non sufficienti. Sufficiens* ea dicitur, a qua poenitens valide absolvi potest; *insufficiens* autem ea, a qua poenitens valide absolvi nequit. Et materiam sufficientem quidem constituit materia tum ne-

cessaria tum libera cum interno dolore rite accusata; insufficientem autem constituunt imperfectiones, quae non sunt vera peccata, vel etiam peccata dubia, sive gravia sive levia sint.

1. Peccata per absolutionem iam commissa constituere materiam sufficientem absolutionis, constat ex usu et praxi ecclesiae: impium enim esset de valore alicuius actionis sacramentalis dubitare, quam tota per orbem frequentat ecclesia. Peccata autem iam remissa posse esse materiam absolutionis eo declaratur, quod verba absolutionis id efficiunt, quod significant, iam verba absolutionis nec unice nec primario significant remissionem peccati, sed primario significant infusionem gratiae, quae de se et natura sua est remissiva peccati ideoque illud remitteret, si adesset, cum autem non adsit, per accidens solum confert gratiam.

2. Nomine *imperfectionis* hic intelligitur tum transgressio indeliberata praecepti levis, tum actio vel omissio, quae adversatur non praecepto, sed consilio [1]). Imperfectiones igitur per se non sunt peccata, proindeque non constituunt materiam sufficientem poenitentiae; nihilo secius poenitentes non sunt impediendi, quominus imperfectiones suas confiteantur, tum quia ordinarie adiunctum habent peccatum veniale, tum quia confessarius ex earum cognitione melius dirigere potest poenitentem. Verum solae imperfectiones, quae ecclesiae clavibus subiiciantur, constituunt materiam dubiam [2]).

3. *An peccata in genere tantum accusata sint materia sufficiens validae absolutionis.*

a. Triplici diverso modo generica peccatorum confessio institui potest. *α.* Si poenitens solum dicat se peccasse, quin determinet an graviter vel leviter peccaverit, e. g. accuso me de peccatis totius vitae meae, vel si solum signa doloris sine ulla peccati confessione e. g. tunsione pectoris vel suspiriis edat. *β.* Si poenitens solum dicat, se graviter

[1]) Cf. Principia n. 91.

[2]) Lugo disp. 16. n. 103.

peccasse, quin peccati genus vel speciem determinet, e. g. accuso me de peccatis meis mortalibus. *γ*. Si poenitens solum dicat genus vel speciem subalternam peccati, quin determinet speciem infimam, e. g. accuso me de peccatis contra iustitiam, contra religionem, contra quartum vel sextum praeceptum. De primo modo potissimum instituitur quaestio: etenim si illa accusatio ad validam absolutionem sufficit, a fortiori aliae sufficientes erunt.

b. Ad solvendam quaestionem distingui debet inter materiam, quae ex praecepto Christi, et quae ex sacramenti essentia ad validam absolutionem requiritur et sufficit. Iam vero *extra casum necessitatis* ex praecepto Christi peccata gravia distincte et determinate quoad speciem et numerum declarari debent, ut valida sit absolutio: voluit enim Christus, ut absolutio, quae habet rationem sententiae iudicialis, extra casum necessitatis esset iudicium exactum atque perfectum, quod sine accurata causae cognitione institui nequit. Qui ergo peccata distincte non confitetur, deest praecepto Christi, ideoque absolutionis validae ex defectu dispositionis incapax est. *In casu necessitatis* autem, ubi accurata confessio impossibilis est, ad validam absolutionem sufficit, ut peccata in genere tantum declarentur: a praeceptis enim positivis impotentia excusat; quare in casu necessitatis alia confessio non requiritur, nisi ea, quam essentia sacramenti seu sententia iudicialis exposcit. Atqui iudicium sine ulla quidem causae cognitione haberi non potest; attamen verum, licet imperfectum, iudicium institui potest, modo aliqua, etsi confusa et indistincta, causae cognitio iudici suppeditetur; ergo ad validam absolutionem, spectata essentia iudicii, generica atque indistincta peccatorum confessio sufficit. Haec probe confirmantur ex praxi ecclesiae, quae est authentica interpres institutionum Christi: ecclesia enim non solum permittit, ut e. g. militibus instante proelio vel nautis imminente naufragio praemissa generica confessione detur absolutio, verum etiam praecipit, ut moribundi, qui generice tantum confiteri possunt, nedum conditionate, verum abso-

lute absolvantur[1]). Ex quibus iure infertur, ad absolutionem certo validam in casu necessitatis genericam peccatorum confessionem sufficere.

c. Extra casum necessitatis ad validam absolutionem generica peccatorum confessio sufficere videtur, *ubi de materia libera et praesertim ubi de venialibus agitur:* essentia enim sacramenti una et immutabilis est; quod ergo in necessitate sufficit ad validum sacramentale iudicium instituendum, id etiam extra necessitatem sufficere debet; praeceptum autem venialia confitendi nullum est. Nihilominus ex praxi ecclesiae ut *licita* non admittitur generica tantum venialium aut mortalium, quae remissa iam sunt, confessio, si alia peccata non habentur: nam cum sacramentum a Christo institutum sit per modum iudicii, ex ipsa institutione conveniens omnino est, ut magis determinatum iudicium instituatur, quoties id fieri potest[2]). Insuper admissa generica tantum venialium confessione, sacramentum exponeretur periculo nullitatis: multi enim imperfectiones a venialibus non distinguentes, imperfectiones adeoque materiam dubiam tantum clavibus subiicerent. Tandem induceretur periculum, ne plures praecepto confessionis non satisfacerent: mortalia enim pro venialibus habentes, illa in specie non declararent. Quam ob rem confessarii curare solent et debent, ut in confessione venialium aut mortalium, quae iam remissa sunt, saltem unum alterumve peccatum in specie (etsi solum subalterna) declaretur, cui deinde alia generica solum accusatione addi possunt.

d. Ex his pro praxi istud documentum colligitur. Si quis peccatis dubiis vel levioribus, quae ex ultima confessione commisit, ad absolutionem certiorem reddendam adiungit peccata anteactae vitae iam remissa, absolute loquendo sufficit, ut generice et indeterminate addantur (me accuso etiam de peccatis vel de mortalibus totius vitae meae), attamen suadendum est, ut unius alteriusve peccati etiam genus vel species subalterna declaretur (me accuso etiam de peccatis contra caritatem vel religionem, contra quartum vel sextum praeceptum commissis). Atque id praesertim tum

---

[1]) Rituale rom. tit. 3. c. 1. n. 24.

[2]) Cf. *Laymann* l. 5. tr. 6. c. 5. n. 15.

fieri debet, cum peccata ex ultima confessione declarata sunt vere dubia, ut nempe iudicium sacramentale sit magis determinatum atque perfectum.

e. Generica igitur peccatorum confessio in casu necessitatis tum ad validam tum ad licitam absolutionem sufficit. Casus necessitatis adest, si hinc quidem accusatio specifica impossibilis, inde vero absolutio necessaria est; id quod accidit in sequentibus casibus: *α.* in articulo mortis si moribundus loquela destitutus solum signis aliquo modo confessionem et desiderium absolutionis exprimit; *β.* in periculo mortis, si e. g. milites instante praelio vel navigantes imminente naufragio ex defectu temporis solum generice confiteri possunt; *γ.* si ad confessionem accedunt homines rudes vel labilis ob senium memoriae, qui nullum peccatum in particulari accusare possunt et ad interrogationes factas nihil respondent, nisi se esse peccatores ut ceteri homines. Eiusmodi ergo poenitentes valide absolvi possunt, quia ob moralem impossibilitatem ab accuratiori accusatione aeque ac moribundi loquela destituti excusantur. Ceterum si confessarius eiusmodi poenitenti proponit nonnulla peccata, in quae olim incidisse praesumi potest, hoc modo: an doles de peccatis unquam commissis, praesertim vero de mendaciis, de negligentiis in servitio divino etc. et si poenitens respondet se dolere, etiam accusatio magis determinata habetur, cum certo supponi possit, poenitentem unum vel aliud ex peccatis propositis olim commisisse [1]).

Quaestio tertia.

De forma poenitentiae.

103. Pia consuetudo, quae tamen non obligat in conscientia, id habet, ut confessarius ante confessionem poenitenti benedicat his verbis:

Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut rite confitearis omnia peccata tua in nomine Patris et Filii et Spiritus s. Amen.

Forma autem sacramenti poenitentiae ex rituali romano haec est:

Misereatur tui omnipotens Deus et dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam. Amen. Deinde dextera adversus poenitentem elevata dicit:

Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Iesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, (suspensionis) et interdicti in quantum possum et tu indiges. Deinde ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus s. Amen.

---

[1]) *Elbel* n. 15.

Passio Domini nostri Iesu Christi, merita beatae Mariae Virginis et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae et praemium vitae aeternae. Amen.

1. Duplex distinguitur forma huius sacramenti: *essentialis,* quae ex concilio tridentino[1]) consistit in his verbis: *te absolvo a peccatis tuis;* et *praeceptiva* seu *rubricalis,* quae est integra illa forma in rituali praescripta. Tria ergo valida absolutionis forma exprimere debet: *a.* personam ministri debita auctoritate instructi: *absolvo; b.* personam rei: *te; c.* genus vinculi, a quo absolvitur: *a peccatis.*

2. Verba formae essentialis ad valorem sacramenti non requiruntur omnia: nam verbum *te,* si in forma dicitur: *a peccatis tuis,* et verba *a peccatis tuis,* si in forma dicitur: *te absolvo,* probabiliter omitti possunt; illud quidem, quia verbo *tuis* iam sufficienter continetur, haec vero, quia per verba *te absolvo* iam totus sacramenti effectus exprimitur. Cum tamen non omnino certum sit, verba: *te absolvo* vel haec alia: *absolvo a peccatis tuis* ad validam absolutionem sufficere, integra forma essentialis semper proferenda est, addita etiam invocatione ss. Trinitatis, non quidem ex necessitate sacramenti, sed ex usu et consuetudine ecclesiae, in hunc modum: *ego te absolvo a peccatis tuis in nomine etc.* Huius invocationis tamen voluntaria omissio non excedit veniale peccatum. Possunt etiam *plures* valide absolvi unica forma in hunc modum: *ego vos absolvo a peccatis vestris in nomine* etc. et licite id fieri potest in casu necessitatis e. g. in naufragio, ante praelium etc.

3. Preces, quae absolutionem praecedunt: *Misereatur* et *Indulgentiam* sine peccato omitti possunt, cum conc. trid. dicat, has preces *laudabiliter* adiungi. Idem dicendum est de oratione: *Passio,* quae absolutionem subsequitur. Cum tamen ex quorundam probabili sententia ultima oratio, si confessarius id efficere intendit, omnia opera poenitentis elevet ad meritum satisfactionis sacramentalis, absque necessitate eadem omittenda non est; attamen quando magnus est confitentium concursus, etiam haec omitti potest: nam rituale romanum ait: „in confessionibus frequentioribus satis erit dicere: *Dominus noster* etc. usque ad *Passio Domini*", quae verba

[1]) Sess. 14. c. 3.

ex declaratione ecclesiae intelligenda sunt *exclusive*[1]). Verba tandem: *Dominus noster etc.* absque veniali peccato omitti non possunt nisi urgente necessitate.

4. Manus elevanda est ab oratione *Indulgentiam* usque ad orationem *Passio;* signum crucis formandum est super poenitentem dum dicitur: *in nomine Patris etc.,* utrumque autem non ad validitatem sacramenti requiritur, sed ex praecepto ecclesiae, quod tamen non obligat sub gravi, imo ex quorundam sententia neque sub levi. Verbum *suspensionis* omitti debet, si poenitens sit laicus et merito etiam omittitur, si sit clericus in minoribus constitutus. Verbum *Deinde* pronuntiandum est, quippe quod ad textum formae rubricalis pertineat.

104. Forma absolutionis debet esse *vocalis,* in *praesentem* directa et per se *absolute* prolata.

1. *Vocalis.* Nec ratio iudicii nec ratio sacramenti postulat, ut sententia iudicialis voce proferatur; et sane in aliis iudiciis etiam scripto (et in absentem) sententia profertur; in iudicio autem sacramentali forma absolutionis ex voluntate et institutione Christi *voce* proferenda est. Id constat ex perpetuo usu ecclesiae, quae absolutionem scripto aut nutu datam nunquam ut licitam admisit nec ut validam agnovit. Siquidem concilium trident.[2]) ait: formam huius sacramenti esse *verba* absolutionis, quae sacerdos profert, dum dicit: *Ego te absolvo etc.* Necesse autem non est, ut poenitens verba absolutionis audiat.

2. *In praesentem.* Ex eadem voluntate Christi instituentis hoc sacramentum invalida est absolutio, quae datur *absenti*[3]). Ad validam enim absolutionem requiritur, ut

---

[1]) S. R. C. 27. febr. 1847.

[2]) Sess. 14. c. 3.

[3]) Clemens VIII. 20. iun. a. 1602 tamquam falsam, temerariam et scandalosam proscripsit hanc propositionem: *Licet per litteras seu internuntium confessario absenti sacramentaliter confiteri et ab eo absente absolutionem obtinere.* Eo quod absolutio impertita absenti simpliciter declarata fuit *illicita,* simul declarata est *invalida:* si enim non foret invalida, non posset in casu necessitatis prohiberi tamquam illicita. Et cum Paulus V. 14. iul. 1605 reprobaverit etiam sententiam, quae dicit, posse absolvi absentem, modo praesens confessus sit; invalida est in omni casu absolutio, quae datur absenti, sive confiteatur praesens et solum absolvatur absens; sive confiteatur et absolvatur absens. Demonstrari autem certo non potest, invalidam esse absolutionem, quae datur praesenti, qui absens

poenitens sit *moraliter praesens,* quippe qui per pronomen *te* demonstrari debeat. Tunc autem moraliter praesens dicitur, quando verba absolutionis communi hominum iudicio adhuc censentur cadere in poenitentem; quod quidem semper contingit, quoties confessarius et poenitens non maiori ab invicem distantia separantur, quam illa est, intra quam homines etiam altiori voce inter se loqui possunt et solent, id quod ex iudicio auctorum intra viginti circiter passus fieri potest, praesertim si poenitens adhuc videatur. Improbanda autem videtur regula illorum, qui absolute censent, confessarium absolvere posse poenitentem etiam valde distantem, quem adhuc videat vel aliquo sensu percipiat. Hoc namque sacramentum institutum est ad modum iudicii; illa ergo merito censetur praesentia in hoc sacramento requisita, quae exigitur in iudice, qui reum praesentem absolvit vel condemnat, ideoque humano modo cum eo colloquitur.

a. Urgente vero necessitate poenitens absolvi potest et debet, quoties aliquo sensu percipitur sub conditione tamen, si ultra viginti passus distet. Hinc 1. absolvendus est, qui conspicitur e tecto ruere, in flumen cadere, in mare submergi; 2. moribundus, ad quem confessarius quacunque de causa accedere nequit, e ianua absolvi debet; 3. si poenitens recedat a confessario nondum absolutus, dum se absolutum existimat, haec servanda sunt. *α.* Si commode adiri et revocari potest, revocari debet, ut absolvatur, nisi prope confessionale sit: in hoc enim casu absolvi potest, quin revocetur; *β.* si revocari nequit, absolvendus est, modo certe moraliter praesens sit, sive conspiciatur sive non conspiciatur, at inter vicinam turbam adesse certo sciatur; *γ.* si non amplius praesens nec postea rediturus est, nihil faciendum, sed res Deo committenda est; si autem postea ad eundem confessarium rediret, et quidem ad confessionem instituendam, ut de omnibus peccatis suis doleat monendus et deinde absolvendus esset. Quod si ex alio fine confessarium conveniret, de defectu absolutionis extra confessionem per se monendus esset; cum tamen eiusmodi admonitio plerisque poenitentibus molesta et confessariis ob periculum scandali et infamiae

---

e. g. per litteras vel internuntium confessus est, praesertim si agitur de moribundo sensibus destituto, quem alii (etiam absentes) testantur antea absolutionem petiisse. Nullatenus autem invalida censeri debet absolutio data poenitenti, qui per litteras vel nuntium absens confessus sit et postea praesens in genere tantum dicat, se confiteri peccata sua confessario iam nota et absolutionem petere.

perdifficilis accidat, in his adiunctis omitti potest: poenitens enim spirituale damnum non patitur, cum in sequenti confessione ab iisdem peccatis indirecte absolvatur[1]).

b. Absolutio per telephonium videtur esse *invalida:* sacramenta enim a Christo Domino ita sunt instituta, ut quae ad eorundem valorem requiruntur, humano et naturali modo adesse debeant; in sacramento ergo poenitentiae ea confitentis praesentia requiritur, ut humano et naturali modo cum confessario colloqui possit; atqui collocutio per telephonium prorsus artificialis est.

3. *Absolute.* Absolutio ordinarie danda est *absolute*, cum tamen absolutio sub conditione de praesenti vel praeterito sit certo valida, ex sufficienti causa etiam licita est. Regula autem, secundum quam confessarius in hac re dirigere sese debeat, haec est: absolutio sub conditione dari potest et debet, quoties, si non daretur, notabile damnum spirituale imminueret, si absolute daretur, nullitas et irreverentia sacramenti timenda esset. Haec regula viam mediam tenet inter praxim nimis laxam eorum, qui censent, conditionatam absolutionem dari posse ex qualibet causa levi, etiamsi de sufficienti dispositione poenitentis etiam mortalibus gravati quomodocunque dubitetur; et doctrinam nimis rigidam eorum, qui tenent, non esse concedendam absolutionem sub conditione nisi in extrema necessitate in summo scilicet vitae periculo.

In casibus sequentibus adesse censentur causae iustae et sufficienter graves concedendi absolutionem sub conditione, quarum aliae sunt ex parte confessarii, aliae ex parte poenitentis. Itaque

a. Si confessarius positive et prudenter dubitet, an poenitentem rite absolverit.

b. Si dubitet, an habeat iurisdictionem et quidem in dubio facti, de qua re infra.

c. Si dubitet, an poenitens sit vivus vel mortuus.

d. In dubio materiae sufficientis e. g. urgente praecepto confessionis annuae.

e. In dubio usus rationis in pueris vel amentibus non solum in periculo mortis, sed etiam quando urget praeceptum annuae confessionis et quandoque per annum, ne in statu peccati mortalis maneant.

f. In dubio an poenitens sit moraliter praesens.

g. In dubio an moribundus sensibus destitutus sacramenti capax sit.

---

[1]) *Gobat,* Exper. theol. tr. 7. n. 284 ss.

h. In dubio de dispositione poenitentis, non solum in extrema sed etiam in gravi necessitate spirituali.

4. Absolutio *in eodem actu confessionis* non conditionate, sed absolute *repetenda est* quoties poenitens absolutione iam percepta affert materiam necessariam confessionis, si ergo *a.* confitetur novum peccatum mortale; *b.* si confitetur novam circumstantiam speciem mutantem; *c.* si confitetur numerum notabiliter maiorem: ab hac enim materia nondum est directe absolutus; quare confessario incumbit obligatio eundem absolvendi. Si autem poenitens absolutione iam percepta novum peccatum veniale accusat, nova absolutio dari potest, sed non debet[1]). An in hoc casu novus dolor elici debeat, infra dicetur.

Caput secundum.

De subiecto poenitentiae.

Quaestio prima.

De contritione.

Articulus primus.

De natura contritionis.

105. 1. *Contritio* generice accepta a concilio tridentino definitur, ut sit *animi dolor et detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero*[2]).

Duplex distinguitur contritio, alia *perfecta,* quae simpliciter contritio dicitur, alia *imperfecta,* quae proprio nomine attritio vocatur. Illa concipitur ex motivo caritatis et peccatorem iustificat extra sacramentum; haec concipi-

[1]) *Elbel* n. 33. 45.

[2]) Sess. 14. c. 4.

tur ex alio motivo inferiori et peccatorem non iustificat nisi cum sacramento baptismi vel poenitentiae. Dupliciter ergo contritio et attritio ab invicem differunt: *motivo* et *effectu*.

Contritio utrumque actum, et dolorem et detestationem, essentialiter complectitur. Et *dolor* quidem est actus, quo voluntas ex malo praesenti scilicet peccato tristatur et affligitur, *detestatio* autem est actus, quo a peccato se avertit, illud odit et damnat, et, si fieri posset, destrueret, vellet nempe peccatum non esse factum. *De peccato commisso* i. e. dolet de peccato quod est contra Deum, ex aliquo motivo, quod ad Deum refertur. Ceterum horum actuum unus ab alio nunquam seiungitur: qui enim odit peccatum commissum, de ipso etiam dolet, et qui dolet de peccato commisso, illud necessario etiam detestatur. *Cum proposito:* ex hoc actu detestationis et doloris ordinarie sequuntur duo alii actus: propositum emendationis et voluntas satisfaciendi pro peccato seu vindicandi iniuriam et offensam Deo per peccatum irrogatam. Horum actuum primus scilicet propositum non amplius peccandi saltem virtuale cum detestatione et dolore ad essentiam contritionis pertinet. Tres igitur actus essentialiter in contritione continentur: dolor, detestatio et propositum virtuale, quorum priores praeteritum respiciunt, propositum vero circa futurum versatur[1]); studium autem vindicandi offensam Deo irrogatam non tam ad contritionem qua talem, quam ad poenitentiam pertinet.

2. Contritio perfecta *hominem iustificat extra sacramentum;* iustificationem tamen ipsa non producit tamquam proprium effectum, sed contritio est ultima dispositio a Deo requisita, qua posita Deus gratiam sanctificantem infundit. Ratio autem, ob quam haec dispositio ad iustificationem requiratur, non est natura rei, sed voluntas Dei per revelationem nobis manifestata.

3. Contritio perfecta in nova lege *non iustificat sine voto sacramenti:* actus enim contritionis perfectae, qui olim se solo iustificare poterat impium, post institutum sacramentum ex praecepto divino peccata non delet nisi in ordine ad claves ecclesiae, ergo manente obligatione eadem peccata, si fieri potest, subiiciendi clavibus per confessionem sacramentalem. Sufficit autem, ut hoc votum seu propositum confitendi sit implicitum in actu contritionis, in quo semper continetur. Qui enim detestatur peccatum

---

[1]) *Sporer* n. 58. ss.

super omnia propter Deum summe dilectum idque ad Deum sibi reconciliandum, ita dispositus est, ut velit facere, quae ad delendum peccatum requiruntur; in nova lege autem requiritur sacramentum poenitentiae.

106. *De contritione. Contritio perfecta* definitur: animi dolor et detestatio peccati quatenus est offensa Dei summi boni super omnia dilecti. Ergo contritio perfecta in se continet saltem virtualiter et implicite amorem Dei super omnia: ideo enim contritus detestatur peccatum, quia illud offendit Deum summe bonum, quem iam super omnia diligit rebusque omnibus praefert. Ideo concilium trid. dicit, contritionem esse *caritate perfectam* [1].

Unicum motivum, ex quo procedere debet contritio perfecta, est motivum caritatis; motivum autem caritatis constituunt tum bonitas Dei infinita seu complexus omnium perfectionum infinitarum Dei, tum etiam singulae perfectiones (sive absolutae sive relativae), quae utpote infinitae ab essentia Dei non distinguuntur, sed sunt ipsa Dei essentia sub peculiari aliqua ratione concepta. Deus enim summe amabilis est non solum propter infinitam omnium perfectionum plenitudinem, sed etiam propter quamcunque aliam perfectionem, puta potentiam, sapientiam, iustitiam, benignitatem, misericordiam etc. Qui igitur contritionem perfectam elicit, detestatur peccatum super omnia, quia est contra infinitam Dei bonitatem super omnia amandam, aut quia est contra Dei iustitiam, benignitatem, misericordiam etc. pariter super omnia amandam.

107. *De attritione.* 1. *Contritio imperfecta seu attritio* est dolor et detestatio peccati procedens non ex motivo caritatis, sed ex alio motivo inferiore, attamen supernaturali vel saltem relationem habente ad Deum; et propterea attritio a quavis alia detestatione peccati ad poenitentiam insufficiente differt, qualis esset detestatio peccati quatenus nocet famae aut sanitati. Omne igitur motivum supernaturale detestandi peccatum, quod non est motivum proprium caritatis, est motivum attritionis. A concilio tridentino motiva attritionis revocantur ad haec tria: ad turpitudinem peccati, metum gehennae et metum poenarum, quae singula ad concipiendam attritionem, prout in sacramento poenitentiae requiritur, sufficiunt.

---

[1] Sess. 14. c. 4.

a. Turpitudo peccati non est naturalis turpitudo, qua peccatum rectae rationi adversatur, sed supernaturalis, quae scilicet ad Deum refertur: nam sine respectu ad Deum vera attritio, quae est aliqua ad Deum conversio, concipi nequit. Porro quodvis peccatum continet in se multiplicem malitiam: inobedientiam, ingratitudinem, contumeliam, contemtum etc., insuper quodvis peccatum mortale in ipso peccatore funestissimos effectus producit: animam gratia sanctificante adeoque vita supernaturali privat, coram Deo deturpat, mancipium satanae et Deo exosam constituit; tandem habet quodvis peccatum peculiarem suam malitiam, quatenus opponitur peculiari cuipiam virtuti. Atqui omnia haec motiva comprehenduntur nomine „turpitudinis peccati", quorum quodlibet sufficiens est ad attritionem concipiendam.

b. Metus gehennae est metus poenarum supernaturalium et aeternarum, quae a Deo propter peccatum infliguntur scilicet privatio beatitudinis, amissio gratiae et meritorum, poenae inferni sive purgatorii.

c. Metus poenarum: intelliguntur poenae temporales, non prout naturaliter ex peccato sequuntur, sed prout a Deo per peccatum offenso et iusto peccatorum vindice infliguntur.

2. Licet attritio extra sacramentum iustificare non possit, *ad iustificationem tamen in sacramento obtinendam ipsa sufficienter disponit.* Et sane attritus a creaturis recedit et iam in Deum tendit, cui reconciliari cupit; atqui ad iustificationem obtinendam per sacramentalem absolutionem haec dispositio sufficit. Haec est doctrina concilii tridentini [1]), ut adeo opposita sententia improbabilis, haec autem certa dici debeat, hinc etiam in articulo mortis necesse non est, ut actum contritionis eliciat, qui cum attritione sacramentum poenitentiae suscepit.

Quandoquidem attritio cum sacramento peccatorem iustificat, illud axioma invaluit: *poenitentem per sacramentum ex attrito fieri contritum.* Quod axioma non *formaliter* intelligendum est, ac si actus attritionis per absolutionem fieret actus contritionis, vel attritus vi absolutionis semper necessario eliceret contritionem; sed *effective,* quatenus attritio cum sacramento eundem effectum producit, quem producit contritio sola sine sacramento.

Articulus secundus.

De necessitate contritionis.

108. Poenitentia homini, qui grave peccatum commisit, ad salutem simpliciter necessaria est; at ipsa sola

[1]) Sess. 14. c. 4.

non sufficit, nisi accedat aut caritas aut sacramentum poenitentiae. Hoc loco considerabimus necessitatem contritionis perfectae, quam supplere potest contritio imperfecta, si adsit occasio suscipiendi sacramentum poenitentiae.

1. Peccatori contritio perfecta *necessaria est necessitate medii* ad salutem consequendam, nisi adsit occasio suscipiendi sacramentum, id quod de fide tenendum est[1]). Et sane contritionis effectus scilicet iustificatio iis, qui constituti sunt in peccato mortali, simpliciter necessaria est ad salutem; ergo eadem necessitate necessarium est etiam medium ad eundem effectum obtinendum. In nova autem lege contritio perfecta ad iustificationem consequendam non est amplius absolute necessaria, sed sufficit attritio cum sacramento baptismi vel poenitentiae, idque ex voluntate Christi Domini, qui instituendo sacramenta mortuorum novum medium dedit hominibus consequendi salutem aeternam. Attamen extra haec sacramenta etiam in nova lege ad salutem per se necessaria est contritio perfecta.

2. Peccatori contritio perfecta *necessaria est etiam necessitate praecepti* tum naturalis tum divini positivi: nam lex naturalis obligat ad usurpandum medium ad salutem necessarium; et in sacra scriptura expresse praecipitur poenitentia[2]). Attamen praeceptum contritionis perfectae solum obligat in defectu sacramenti; qui ergo per sacramentum baptismi vel poenitentiae aut iustificari intendit aut iam iustificatus est, praecepto contritionis non obligatur.

3. Quaeritur, *quando obliget hoc praeceptum.* *a.* Praeceptum contritionis perfectae *non obligat statim* post peccatum mortale commissum: est namque praeceptum affirmativum; praecepta autem affirmativa non obligant statim, sed determinato tempore. Insuper si statim obligaret, singulis momentis obligaret; ideo qui poenitentiam differt toties saltem denuo peccaret, quoties ad obligationem advertens non poeniteret, quod nemo affirmat.

---

[1]) Conc. trid. sess. 14. c. 4.

[2]) Mt. 3, 2. Lc. 13, 3. 5.

b. Praeceptum contritionis perfectae obligat per se *in morte:* etenim si homini peccatori incumbit obligatio poenitendi et ad Deum sese convertendi, haec obligatio profecto urget, quando iam non restat aliud tempus, quo eidem satisfieri possit. Qui ergo in certo aut probabili periculo mortis reperitur nec opportunitatem suscipiendi sacramentum poenitentiae habet, tenetur contritionem perfectam elicere; si tamen sacramentum cum attritione suscepit, non tenetur insuper elicere actum contritionis perfectae, cum iam certo sit iustificatus: finis enim, propter quem urget praeceptum contritionis, iste est, ut homo reconcilietur Deo offenso et iustificetur. Expedit tamen, ut moribundi excitentur, quantum fieri potest, ad actus perfectae caritatis et contritionis eliciendos.

c. Praeceptum contritionis perfectae obligat etiam per se *quandoque in vita,* etsi tempus obligationis accurate determinari non possit. Quare a peccato mortali impoenitentiae excusari non potest, qui per notabile tempus differt conversionem et poenitentiam. Quantum vero sit hoc tempus notabile, ultra quod poenitentia seu contritio perfecta citra peccatum differri nequeat, alii aliter determinant. Probabilis est sententia, quam cum *Laymann* plures alii statuunt, scilicet per confessionem annuam satisfieri etiam huic praecepto [1]).

Sunt quidem, qui cum *s. Thoma* [2]) dicant, praeceptum contritionis perfectae per se obligare solum in morte, quam quidem affirmationem hocce argumento demonstrant: obligatio huius praecepti utpote affirmativi restringenda est ad illud tantummodo tempus, pro quo certo nobis constat, nec ad alia tempora est extendenda; atqui non potest assignari tempus intra quod obliget, praeterquam in morte. Qui autem cum *Suario* obli-

---

[1]) *S. Alphonsus,* qui (n. 437.) huic sententiae „non omnino acquiescit", poenitentiam non ultra mensem citra peccatum differri posse censet; concedit tamen peccatores praesertim rudes a peccato dilatae poenitentiae ordinarie excusari, quia vix unquam ad hanc obligationem advertunt.

[2]) 2. 2. q. 14. a. 2.; ipse tamen s. doctor necessitatem poenitentiae ex alio capite deducit scilicet per accidens, ex obligatione vitandi peccatum mortale, quod sine gratia sanctificante diu vitari non potest 1. 2. q. 109. a. 8.

gationem hanc ad alia quoque tempora extendunt, suam sententiam in hunc modum confirmant: a. s. Scriptura et ss. Patres poenitentiam gravissimis sententiis urgent et nimiam dilationem conversionis, praesertim usque ad mortem, uno ore condemnant. *b.* Mortale peccatum esse censetur, voluntarie per totam vitam persistere in inimicitia Dei et usque ad mortem differre compensationem iniuriae Deo illatae per peccatum mortale: contemtum enim Dei haec agendi ratio involvere videtur, praesertim cum ipse sua gratia ad conversionem moneat moveatque [1]. *c.* Minus efficax est argumentum ex eo desumtum, quod homo quovis momento possit mori.

d. Praeceptum contritionis perfectae *per accidens* obligat in his casibus: *a.* si minister consecratus existens in statu peccati mortalis administrare et conficere debeat sacramentum, nec adsit copia confessarii; *b.* si quis existens in mortali suscipere debeat sacramentum vivorum et confiteri aut non possit aut nolit; *c.* si quis existens in mortali graves tentationes patitur, quas putat se vincere non posse, nisi ad Deum conversus maiora gratiae auxilia obtineat: debet enim adhibere media ad evitandum peccatum necessaria.

Articulus tertius.

De dotibus contritionis.

109. Ut contritio sive perfecta sive imperfecta ad sacramentum valide suscipiendum sufficiat, his qualitatibus insignita sit oportet. Debet esse

1. *Vera et formalis* i. e. necessario adesse debet actus, quo voluntas doleat et detestetur peccatum ex motivo sufficienti; siquidem contritio partem essentialem vel saltem dispositionem necessariam sacramenti poenitentiae constituit. Quia ergo contritio debet esse *vera,* non sufficit dolor solum existimatus, etsi ex invincibili ignorantia quis putet se habere dolorem; nec sufficit desiderium doloris vel absolutionis; nec tandem sufficit dolor de poena vel alio effectu malo, qui ex peccato secutus est: sed requiritur ipse dolor, isque de peccato, quod est offensa Dei.

---

[1]) *Lugo,* disp. 7. n. 234.

Et quia contritio debet esse *formalis*, non sufficit dolor virtualis tantum et implicite in alio actu contentus e. g. in actu amoris Dei vel in proposito non peccandi.

Pro praxi tamen moneri debet: qui sunt timoratae conscientiae et optant habere dolorem vel dolent se non dolere, plerumque habent verum dolorem, etsi illum non percipiant. Cum igitur non tam ipse dolor quam potius qualitas doloris eaque ad sacramentum non necessaria desit, dolor scilicet intensus et sensibilis, ita dispositis non est neganda absolutio.

2. *Supernaturalis* tum ratione principii tum ratione motivi i. e. dolor debet esse a Deo et propter Deum supernaturaliter cognitum: dolor enim est dispositio ex voluntate Dei necessario requisita ad obtinendam iustificationem, quae cum sit prorsus supernaturalis, etiam dispositio debet esse supernaturalis. Insuper dispositio ad iustificationem obtinendam debet esse conversio ad Deum, finem supernaturalem: haec autem ex motivo supernaturali oriatur oportet.

Ratione principii: contritio elici debet cum supernaturali Dei auxilio, scilicet cum actuali gratia movente et adiuvante ad actum doloris et detestationis eliciendum. *Ratione motivi:* dolor elici debet ex motivo supernaturali i. e. cognito per lumen fidei ex revelatione divina. Necesse tamen non est, ut motivum doloris sit *solum,* sed sufficit, ut sit *etiam* ex fide cognitum; ut ergo per fidem, non per solam rationem a poenitente apprehendatur. Ergo dolor naturalis, conceptus viribus naturalibus ex motivo mere naturali i. e. solo lumine rationis cognito e. g. quia peccatum est contra naturalem honestatem, contra naturam rationalem, quia mala naturalia inducit etc., in sacramento poenitentiae non sufficit. Et licet non videatur improbabilis sententia, quae tenet, ad actum vere supernaturalem sufficere quodvis motivum honestum virtutis, modo actus procedat a principio supernaturali; cum tamen haec sententia non sit certa, ipsa usui esse non potest, ubi agitur de valore sacramenti.

3. *Universalis,* quae se vel explicite vel implicite extendat saltem ad omnia peccata mortalia nondum remissa: nullum enim peccatum remittitur absque poenitentia: atqui unum peccatum sine alio remitti nequit; ergo dolor se extendere debet saltem ad omnia mortalia nondum remissa. At necesse non est, ut explicite, sed sufficit ut implicite sit universalis i. e. ut ex motivo universali eliciatur. Nec necesse est, ut etiam ad venialia nondum remissa se extendat; quia mortalia sine venialibus remitti possunt.

Explicite: Duplici modo fieri potest, ut dolor explicite se extendat ad omnia mortalia: primo quidem si poenitens de singulis peccatis totidem distinctos dolores elicit, deinde vero si unico actu doloris poenitet de omnibus et singulis, quorum distincte recordatur et quae actu in memoriam revocat. Ad iustificationem sive in sacramento sive extra sacramentum obtinendam non requiritur, ut dolor explicite se extendat ad omnia peccata mortalia: sufficit enim vera contritio, quae haberi potest, quin de singulis peccatis explicite quis cogitet. His tamen non negatur, per se utilissimum et valde suadendum esse, ut poenitens singula peccata recogitet et omnia et singula detestetur.

Implicite: duplici iterum modo fieri potest, ut dolor implicite se extendat ad omnia mortalia: primo si poenitens cognoscat se esse in statu peccati utpote reum plurium mortalium et actu doloris ex motivo universali concepto doleat de omnibus, quae sic in confuso cognoscit; deinde vero si de uno tantum expresse et in specie cogitet et de eodem doleat ex motivo universali omnibus peccatis mortalibus communi. Eo ipso enim quod ex motivo universali unum peccatum detestatur, implicite necessario detestatur etiam omnia alia peccata a se commissa, quae propter idem motivum detestari merentur, licet eorum non recordetur[1]).

4. *Appretiative summa seu super omnia.* Debet igitur poenitens peccatum non solum mortale, sed etiam veniale aestimare maius malum illudque propterea magis detestari, quam ullum aliud malum, et animo paratus esse debet, potius subire et perpeti quodvis aliud malum, quam denuo peccatum committere: peccatum enim summum malum est utpote summo et infinito bono contrarium.

a. Tamen necessarium non est, imo ordinarie dissuadendum est, ut *comparationes expresse instituantur* inter peccatum et particulare aliquod malum subeundum (potius vivus comburi, potius martyrum tormenta sustinere etc. quam iterum peccare); sed si eiusmodi comparationes sive sponte occurrant sive a tentatore suggerantur, nihil eligendum est, sed omnia reiicienda sunt hac pia et firma voluntate: nolo amplius peccare et gratia divina adiutus spero me non esse peccaturum.

b. Non est necesse, ut contritio sit *intensive summa.* Intensive summa esset contritio, si ipse actus voluntatis, quo de peccato commisso dolet, esset maior et vehementior, quam actus, quo de alio quocunque malo quantumvis gravissimo dolet. Dolor autem intensive summus, vel etiam dolor certi et determinati gradus intensitatis non requiritur, sed sufficit verus et internus dolor in quocunque gradu etiam remisso: ubi enim essentia contritionis habetur, sufficiens adest dispositio ad remissionem cuiusvis peccati; sed essentia contritionis in quovis gradu verae contritionis habetur.

---

[1]) *Sporer* n. 88 ss.

c. Ex eadem ratione deducitur, sufficientem contritionem non exposcere aliquam *moram temporis:* vera enim contritio a voluntate elici potest instanti; valde tamen suadendum, ut in eliciendo dolore aliquod tempus insumatur, ut dolor sit certior atque intensior.

d. Tandem ad contritionem, quae ad iustificationem sufficiat, non requiritur, ut dolor sit *sensibilis*, qui scilicet in appetitum sensitivum redundet et in actus sensibiles, in teneros cordis affectus, suspiria et lacrimas erumpat, sed sufficit, ut sit spiritualis, quo scilicet voluntas ex motivo supernaturali doleat et detestetur peccatum commissum. Nam sensibilis eiusmodi dolor non est in nostra potestate, nec ad perfectionem contritionis pertinet: fieri enim potest, ut absque dolore sensibili vehementius quis doleat, quam alius, qui ad teneros affectus et lacrimas natura sua pronus est. Plerumque tamen eiusmodi signa sensibilia in iis, qui vere et sincere dolent, indicia magni et vehementis doloris sunt.

5. *Sensibilis.* Quia contritio ex multorum probabili sententia est pars essentialis sacramenti, partes autem sacramenti necessario debent esse sensibiles, ipsa sensibilis sit oportet. Porro sensibilis fit per dolorosam peccatorum confessionem, per devotam absolutionis petitionem et expectationem aliisque signis externis.

110. Declaratis dotibus contritionis nonnullae quaestiones, quae ad eandem spectant, proponendae et solvendae sunt. In his quaestionibus pertractandis attendi debet doctrina concilii tridentini, quod conceptis verbis docet, ad remissionem peccatorum obtinendam ex institutione divina requiri actus poenitentis, nempe contritionem, confessionem et satisfactionem, qui actus poenitentiae *partes* dicuntur[1]): secundum alios quidem partes *essentiales* ideoque materia, secundum alios vero partes *necessariae* sed non essentiales ideoque dispositio sacramenti. Concilium enim ab hac quaestione definienda consulto abstinuit. Cum tamen prior sententia sit probabilis, in praxi ab ea recedere non licet, ne sacramentum periculo nullitatis exponatur.

1. *Dolor moraliter cum confessione uniri debet,* ut adeo confessio sit dolorosa et dolor per confessionem exterius manifestetur. Equidem non requiritur, ut confessio peccatorum et dolor de eisdem conceptus physice coëxistant; at

[1]) Sess. 14. c. 3. can. 4.

moraliter simul adsint oportet: partes enim alicuius rei saltem moraliter invicem coniungi debent.

Dolorem cum confessione coniungi debere, nonnulli hoc argumento demonstrant: confessio peccatorum debet esse accusatio sacramentalis; iam si dolor nullo modo cum confessione coniungeretur, ipsa mere esset historica narratio, non sacramentalis confessio peccatorum. Verum istud argumentum ad hanc rem non pertinet: confessio enim non fit sacramentalis per dolorem cum confessione coniunctum, sed per voluntatem obtinendi absulutionem; ideo accusatio cum intenso dolore coniuncta, quae non fit animo obtinendi absolutionem, non est sacramentalis.

2. *Quandonam dolor elici debeat.* *a.* Necessario elici debet ante absolutionem: nemo enim absolvi potest, qui non sit rite dispositus; qui autem de peccatis commissis non dolet, non est rite dispositus.

b. Per se non requiritur, ut ante confessionem eliciatur, quamvis hoc valde suadendum sit; ad validam ergo absolutionem recipiendam sufficit, si dolor post confessionem elicitur, sive quod ipse poenitens ad dolorem se disponat, sive quod a confessario tandem ad detestandum peccatum disponatur.

Confessio absque praevio dolore peracta potest quidem videri insufficiens ad validam absolutionem recipiendam, tum quia est simplex narratio peccatorum, non sacramentalis accusatio, tum quia dolor, qui confessionem subsequitur, nullo signo sensibili manifestatur: nam ordinarie solum per confessionem, dolor fit sensibilis. Attamen non est dubium, quin in eo, qui post confessionem, sed ante absolutionem vere dolet, utrumque reperiatur, et sacramentalis confessio et dolor exterius manifestatus. Eo ipso enim, quod poenitens confessus est animo obtinendi absolutionem. confessio est sacramentalis; dolor autem fit sensibilis eo, quod expectando absolutionem accusationem subsequente dolore informatam continuat atque ad absolutionem ordinat[1]).

c. Non est eliciendus tanto tempore ante confessionem, ut tempore confessionis non amplius moraliter perduret. Tamdiu autem dolor moraliter existere dicitur, quamdiu revocatus non fuit et virtualiter i. e. in aliquo effectu e. g. in voluntate confitendi, in fuga occasionum, in frequentioribus orationibus etc. perdurat.

---

[1]) Hanc doctrinam manifesto supponit *Rituale romanum,* quod (de Sacr. poen. n. 17) scribit: Audita confessione (confessarius poenitentem) ad dolorem et contritionem efficacibus verbis adducere conabitur.

Quamdiu dolor elicitus virtualiter perduret, accurate determinari nequit: dolor enim intensus et dolor ad confessionem ordinatus diutius durat, quam remissus. Sine dubio per tres quatuorve horas, imo per integrum diem vel integram noctem et in quibusdam adiunctis (ubi nimirum confessio non ex mera devotione aut ex obligatione, sed ex dolore de peccatis concepto instituitur), etiam per plures dies perdurare potest. Ceterum patet ad constituendam moralem unionem doloris cum confessione illi tantum exigere possunt, ut virtualiter perduret, qui dolorem dicunt partem essentialem sacramenti: etenim si non est nisi dispositio, sufficit, ut habitualiter perduret; habitualiter autem durat, quamdiu non revocatur. Dolor ante confessionem elicitus revocari censetur per lapsum in peccatum; et per peccatum quidem mortale omnis dolor revocatur, per peccatum autem veniale saltem dolor de illo ipso peccato, quod committitur.

Qui igitur mane e. g. ad confessionem se praeparavit, potest vespere sine novo actu doloris valide et licite confiteri: dolor enim mane in ordine ad confessionem elicitus et non revocatus vespere adhuc durare censetur, ut adeo vi illius doloris confessio sit dolorosa.

Duo hic pro praxi animadvertenda sunt. *a.* Et primo quidem fidelibus inculcandum est, ut dolorem eliciant ante confessionem: facillime enim fieri posset, ut parva illa mora, dum datur absolutio, non sufficiat ad contritionem concipiendam atque adeo absolutio suo effectu frustretur. *b.* Deinde vero nullatenus necessarium est, ut confessarii poenitentem, quem in confessionali tandem ad debitam dispositionem movere poterant, ad hoc inducant, ut exterius dolorem manifestet et ad peccata iam exposita explicite referat dicendo e. g. doleo de peccatis meis iam expositis; vel doleo de peccatis meis, de quibus iterum me accuso.

3. *An dolor debeat esse elicitus cum intentione confitendi.* — **Sententia negans vera esse videtur et moraliter certa: sufficit enim, ut confessio sit dolorosa, ita ut dolor per confessionem manifestetur. Qui ergo nihil cogitans de confessione contritionem elicuit, non referens eam ad sacramentum, potest sine novo dolore ad illud accedere, modo contritio moraliter perduret.**

Ad huius rei declarationem notandum est, fuisse auctores, qui ad validam absolutionem non solum moralem unionem inter dolorem et confessionem postularent, sed insuper exigerent, ut dolor eliciatur in ordine ad absolutionem et per intentionem poenitentis ad sacramentum referatur: nam, aiunt, partes sacramenti per intentionem ad sacramentum ordinari debent. Verum, concessa sententia, ex qua actus poenitentis sunt partes sacramenti, solum illae partes, quae a ministro ponuntur, ex intentione conficiendi sacramentum fieri debent. Cum igitur haec sententia omni fundamento careat, non videtur esse probabilis[1]).

[1]) *Lugo* disp. 14. n. 37 ss. *Gury-Ballerini* n. 448.

4. *An unus actus doloris pro pluribus absolutionibus sufficiat.* — Casus, ad quem haec quaestio refertur, iste est: si poenitens peccata iam rite accusata et remissa postea e. g. sequenti die iterum subiiciat clavibus, an in hac nova confessione requiratur novus actus doloris, vel an dolor antea elicitus etiam pro hac secunda absolutione sufficiat. Dicendum videtur *non sufficere*, sed requiri novum dolorem saltem ut certo valida sit absolutio[1]). Imprimis enim merito dubitari potest, num hesternus dolor ad hodiernam confessionem, ut supponitur, non relatus, virtualiter adhuc perseveret. Deinde vero cum iudicium sacramentale per priorem absolutionem fuerit finitum, novum iudicium sacramentale instituitur, ad novum autem iudicium requiritur novus dolor sicut nova accusatio, nova iniunctio poenitentiae et nova absolutio. Haec in sententia thomistica de dolore parte essentiali sacramenti affirmari, manifestum est.

5. *An requiratur novus actus doloris ad novam absolutionem recipiendam, si poenitens statim vel paulo post absolutionem peccatum ex oblivione omissum confitetur.* — Sententia negans videtur esse moraliter certa; quare etsi consultum sit in hoc casu renovare dolorem, id tamen necessarium non est, sed sine novo dolore valide et licite potest dari absolutio.

Dolor enim antea elicitus utpote universalis etiam ad hoc peccatum se extendebat nec revocatus fuit; absolutio autem non est dicenda novum iudicium sacramentale, sed prius iudicium nondum completum hac absolutione tandem completur: poenitens enim ea intentione ac dispositione accessit, ut accipiat absolutionem de omnibus peccatis tum iis, quae accusavit tum iis, quae inculpabiliter omisit. Cum hac sententia concordat etiam praxis confessariorum, qui in eiusmodi casu non solent monere poenitentem de renovando dolore[2]). Hinc si moribundus, qui propter mortis periculum audito uno alterove peccato absolutus est, postea confessionem complet, non est necesse, ut ante secundam absolutionem dolorem renovet, licet id in his casibus consultum sit[3]).

---

[1]) *Tamburini*, Exped. Conf. l. 1. c. 2. n. 81.
[2]) *Dicastillo* tr. 8. disp. 6. n. 165.
[3]) *Lugo* disp. 14. n. 27.

6. *An sacramentum poenitentiae possit esse informe.*

Unicus casus, de quo quaeri potest, iste est: si dolor bona fide non sit universalis, ut si quis duorum peccatorum reus, unius plane immemor de altero dolet ex motivo particulari. Solutio autem quaestionis ab eo dependet, utrum sacramentum poenitentiae sit validum, ubi dolor de peccatis alias quidem dotes habet, sed non est universalis. Qui contendunt, ut sacramentum sit validum, dolorem non necessario debere esse universalem, consequenter affirmant, sacramentum poenitentiae posse esse validum sed informe. Qui autem ad valorem sacramenti dolorem universalem exigunt, necessario negant fieri posse, ut sacramentum hoc sit informe: quoties enim sine fructu est, toties etiam invalidum est. Practicum momentum huius quaestionis in eo est, quod in sententia eorum, qui validum dicunt sacramentum, peccata in eiusmodi confessione accusata non debent amplius subiici clavibus; in sententia autem eorum, qui invalidum dicunt sacramentum, confessio peccatorum iteranda est. Cum igitur res sit dubia, non existit practica obligatio in hoc casu iterum confitendi[1]).

Articulus quartus.

De proposito.

111. *Propositum* est voluntas non peccandi de cetero. Duplex esse potest: *formale* et explicitum, quod est actus a dolore distinctus, quo poenitens statuit, non amplius peccare; *virtuale* et implicitum, quod in actu doloris continetur. Ad peccatorum remissionem obtinendam sive in sacramento sive extra sacramentum *requiritur propositum non peccandi de cetero:* nam propositum aeque ac contritio pertinet ad dispositionem, quae ad iustificationem obtinendam

---

[1]) Sacramentum poenitentiae in hoc casu esse informe, contendit *Suarez* (de poenit. disp. 20. sect. 5), cuius sententiam defendit etiam *Lugo* (disp. 14. sect. 6.), qui (n. 88.) ait: „non video argumentum, quo efficaciter possit reiici“.

essentialiter requiritur[1]). Dotes autem propositi sunt istae: debet esse

1. *Absolutum*, non sufficit conditionata voluntas aut simplex velleitas non peccandi, sed requiritur absoluta voluntas non amplius mortaliter peccandi: nam ad remissionem peccatorum obtinendam requiritur, ut homo perfecte se a peccato avertat et ad Deum convertat; ad hoc autem requiritur, non solum ut peccata praeterita absolute detestetur, sed etiam ut voluntatem peccandi in futuro absolute excludat.

2. *Firmum*, ita scilicet dispositus esse debet poenitens, ut potius quodvis malum pati vel quodvis bonum amittere velit, quam Deum graviter offendere. Firmum autem propositum esse debet affective seu quoad *voluntatem praesentem*, at non est necesse, ut firmum sit effective seu quoad *eventum futurum* i. e. voluntas poenitentis ea esse debet, ut si nunc offerretur occasio peccandi, eam certo non amplecteretur, sed illico reiiceret, quidquid deinceps facturus sit. Ergo lapsus futurus in idem peccatum per se non est contra firmum propositum; si tamen poenitens statim post confessionem in idem peccatum relabitur, suspicionem praebet, ne propositum non fuerit satis firmum: qui enim serio aliquid apud se statuit, propositi sui non statim obliviscitur.

Cum poenitentes quandoque dicant, se valde timere, imo se persuasum habere, se esse relapsuros, notandum est, nec dubium circa id, quod postea facturi sint, nec timorem, ne iterum cadant, nec persuasionem, qua putant se relapsuros esse, nec denique praevisionem futuri peccati per se esse contra firmitatem propositi: sunt enim hi actus intellectus, propositum autem est in voluntate. Quocirca si poenitens ob notam inconstantiam suam vel ob inveteratam consuetudinem existimat, se non esse vitaturum peccatum, non statim necessario proposito carere iudicandus, sed potius interrogandus est, an velit iterum peccare; quod si neget, moneri debet, ut in Dei gratia confidat, cui id non est impossibile, quod natura suis viribus praestare non potest.

3. *Universale*, quod se extendat ad omnia peccata mortalia in posterum vitanda. Hoc enim intercedit dis-

---

[1]) Conc. Trid. sess. 14. c. 4.

crimen inter dolorem et propositum, quod dolor est universalis, qui se extendat ad omnia peccata commissa et nondum remissa, econtra propositum non est universale si non se extendat ad omnia et singula peccata mortalia. Hinc propositum semper ex motivo universali procedere debet. Ex quibus patet, propositum, quod in dolore virtualiter continetur, non posse esse universale, nisi motivum doloris sit aeque universale.

Attamen non est necesse, imo frequenter neque consultum est, speciale propositum de singulis peccatis vitandis concipere; sed sufficit propositum in genere conceptum, non amplius mortaliter peccandi.

4. *Efficax*, quod scilicet, quamdiu durat, voluntatem reipsa moveat ad adhibenda media, quae ad evitanda in posterum peccata necessaria sunt; praesertim ad fugiendas occasiones proximas, ad reparanda damna illata, ad condonandas iniurias etc.: qui enim absolute vult finem, moveri etiam debet ad media necessaria; hinc signum est actualis affectus ad peccatum, si quis nolit occasionem deserere, restituere, offensam remittere etc.

112. Ad quaestionem, *an propositum debeat esse explicitum vel an sufficiat implicitum,* dicendum est: In vera contritione virtualiter et implicite continetur etiam propositum de cetero non peccandi mortaliter. Quod quidem virtuale propositum ad validam absolutionem obtinendam sufficit, modo dolor, in quo illud implicite continetur, procedat ex motivo universali. Quod si motivum doloris foret particulare, explicitum propositum plane requireretur.

1. *S. Alphonsus,* proposita circa hanc quaestionem (n. 450.) triplici sententia, tandem resolvit, illam, quae exigit propositum, explicitum non carere sua probabilitate ideoque in praxi sequendam esse. De hac s. doctoris resolutione acris exorta est controversia inter *P. Ballerini*[1]) et Vindices s. Alphonsi[2]), qua tandem effectum est, ut sententia, quam olim *Cardenas*[3]) iam dixerat moraliter certam quamque plerique theologi tuentur, non possit amplius ulla ratione impugnari. Habenda est igitur pro vera sententia, quae docet, ad remissionem peccatorum obtinendam sufficere propositum, quod implicite continetur in contritione sive perfecta sive imperfecta. Et

[1]) *Gury-Ballerini* ad n. 462.
[2]) Vindiciae Alphons. ed. 2 p. 5 q. 6.
[3]) Crisis theol. part. 4. diss. 2 n. 80. Cf. Ballerini-Palmieri n. 143 sqq.

sane, propositum explicitum non requiritur *ex natura rei:* nam ad iustificationem sufficit illa dispositio, quae includat voluntatem non peccandi; atqui voluntas non peccandi in quovis dolore ex motivo universali concepto continetur. Non requiritur *ex praecepto positivo:* nam Concil. trident. quod l. c. enumerat dispositiones ad essentiam sacramenti requisitas, de proposito explicito nil habet: siquidem Concilium describens dispositiones poenitentis *explicite* quidem commemorat propositum, sicut explicite commemorat etiam alios actus ut fiduciam divinae misericordiae et votum praestàndi reliqua; at vero ex his non sequitur, Concilium praescribere propositum *explicitum,* sicut non sequitur, ipsum exigere explicitum actum spei. Ideo autem Concilium explicite commemorat propositum, ut declaret ad remissionem peccatorum obtinendam illum tantummodo dolorem sufficere, qui propositum universale contineat. Quamvis igitur hortandi sint fideles, ut propositum expresse et explicite semper eliciant, si tamen id omiserint, supposito dolore vere universali, non sunt de valore confessionis inquietandi.

2. Duo de hac re notanda sunt: *a.* Qui vere dolet de peccatis praeteritis, ita dispositus est, ut si mentem subeat cogitatio de vita futura, etiam propositum explicitum concipiat, Deum non amplius mortaliter offendendi: non enim censetur serio dolere de offensa Dei, qui cogitans de vita futura suspenderet actum expressi propositi, vitandi in futurum omnes offensas Dei graves. *b.* Confessarii recte in praxi explicitum propositum a confitentibus exigunt: ad licitam enim sacramenti administrationem certi esse debent de poenitentium dispositione; atqui in iis, qui peccatorum mortalium rei sunt, confessarius vix unquam de dispositione securus erit, nisi eidem manifestetur propositum abstinendi a peccatis.

An requirantur actus fidei et spei ad iustificationem in sacramento obtinendam. — Praeter dolorem et propositum ad validam absolutionem obtinendam alii actus ex parte poenitentis non requiruntur neque ratione materiae neque ratione dispositionis. Etsi ergo suadendum sit, ut poenitens ante confessionem actus virtutum theologicarum eliciat, id tamen necessarium non est: nam sufficit, ut actus (fidei et spei), quos Concilium tridentinum[1]) in dispositione peccatoris enumerat, virtualiter et implicite adsint[2]).

[1]) Sess. 6. c. 6.
[2]) *Suarez* disp. 4. sect. 2. n. 7.

Articulus quintus.

De remissione peccatorum venialium.

113. 1. Ei, qui in statu peccati mortalis est, peccatum veniale non remittitur sine remissione peccati mortalis: nam tum peccatum mortale tum etiam veniale non remittitur sine infusione gratiae sanctificantis; haec autem cum peccato mortali consistere nequit.

2. Cum remissione venialium quoad culpam non semper remittitur etiam omnis poena, quae eis debetur et quae vel in hac vita vel in purgatorio luenda est.

3. Peccata venialia remittuntur imprimis *ex opere operantis.* Ut autem hoc modo remittantur, aliqua poenitentia et displicentia peccati omnino requiritur: per peccatum enim etiam veniale homo recedit a voluntate Dei ipsumque offendit; ideo non remittitur peccatum veniale nisi iterum ad Deum accedat et offensam retractet. Verum ut venialia deleantur, praesertim si id per virtutem sacramentorum fit, non est necesse ut formaliter et expresse retractentur per actum detestationis et doloris sicut peccata mortalia, sed sufficit, ut id virtualiter fiat, scilicet per alium actum, in quo virtualiter displicentia continetur: per actum virtutis, qui veniali commisso opponitur, per petitionem veniae vel per opus pium (auditionem missae, orationem, ieiunium etc.) cum intentione peractum obtinendi per illud remissionem peccatorum.

Peccata venialia ergo delentur

a. Per contritionem perfectam, quae se etiam ad veniales offensas extendit.

b. Per attritionem ex motivo conceptam, quod etiam ad venialia se extendit e. g. quia poenis purgatorii vel aliis poenis temporalibus puniuntur, vel quia privationem maioris gratiae et gloriae causant, vel quia animam deturpant. Non tamen omnia venialia per attritionem extra sacramentum remittuntur: quod enim *de Lugo*[1]) docet, valde probabile ne dicam certum est, scilicet non eandem attritionem sufficere ad delenda quaevis venialia, nec actum attritionis, qui sufficit ad remittenda peccata cum sacramento, sufficere etiam ad eadem delenda extra sacramentum: sed ad graviora delenda attritionem ferventiorem et perfectiorem requiri.

[1]) De poenit. disp. 9. n. 32 ss.

c. Per actum caritatis perfectae, quo homo se Deo penitus subiicit eique in omnibus placere et obtemperare intendit: eiusmodi enim actus omnia peccata etiam venialia retractat et omnia delet.

d. Per opera bona et meritoria, quae cum attritione peraguntur: attritio enim remissa, quae per se sine sacramento ad delenda peccata venialia non sufficit, haec una cum operibus meritoriis delere potest.

4. Venialia remittuntur *ex opere operato* per sacramenta et aliquo modo etiam per sacramentalia. Cum enim sacramenta sint instituta ad sanctificandum hominem, eo ipso etiam ad delenda peccata ordinantur et sacramenta vivorum quidem ad delenda venialia. Ut autem virtus sacramentorum hanc remissionem operetur, aliud non requiritur, nisi ut digne suscipiantur et actualis affectus ad venialia sit exclusus: eo ipso enim, quod quis sacramentis ecclesiae utitur ad suam salutem absque actuali affectu ad venialia, illam displicentiam habet, sine qua nec venialia remittuntur.

5. De *confessione* venialium haec notanda sunt.

a. Licitum est confiteri aliqua venialia omissis aliis, et pari ratione licitum est dolere et propositum emendationis concipere solum de iis, quae accusantur, quin idem fiat circa ea, quae in confessione omittuntur: venialia enim non sunt materia necessaria confessionis; insuper unum sine altero remitti potest.

b. Qui confitetur sola venialia, sub gravi tenetur de aliquibus saltem dolere et propositum emendationis concipere: etenim si hoc omitteret, sacramentum frustraret effectu suo, quia sine dolore et proposito nullum est sacramentum.

c. Quamvis enixe commendandum sit, ut qui plura venialia confitetur, de omnibus etiam dolorem et propositum ea emendandi concipiat, tamen de aliquibus, quae accusat, non dolere, non est peccatum, modo de uno alterove sincere doleat, ut adeo adsit materia sufficiens absolutionis. Non decet quidem, ut materiae validae absolutionis sine iusta causa admisceatur alia inepta; potest tamen adesse multiplex ratio sufficiens, cur id permittatur. Qui ergo una cum peccato mortali confitetur plura venialia et de solo mortali dolet et emendationem proponit, valide et licite suscipit sacramentum: absolutio enim refertur ad peccatum mortale, quod sine venialibus remitti potest.

d. Qui confitetur venialia saepius iterata et dolet de ipsa frequentia peccati eamque minuere proponit, sed non dolet de singulis, quibus adhuc subinde, etsi non tam frequenter, indulgere intendit, adhuc valide et licite absolvitur. Idem dicendum est de eo, qui dolet et emendare proponit unum peccatum gravius unius speciei, quin dolorem et propositum extendat ad alia leviora eiusdem speciei; vel qui detestatur et emendare proponit venialia unius, non autem alterius etiam speciei.

c. Iis, qui ordinarie non confitentur nisi venialia, nunquam satis suaderi potest, ut circa unum alterumve, quod magis gravat, dolorem et firmum propositum concipiant, illudque serio deinceps emendare conentur: quo magis enim propositum circa venialia est universale, eo minus est efficax. A confessione autem eorum, circa quae nec dolor nec propositum adest, ordinarie melius erit abstinere.

Quaestio secunda.

De confessione.

Articulus primus.

De ipsa confessione.

114. *Confessio sacramentalis* est accusatio peccatorum facta sacerdoti ad eorum absolutionem obtinendam. Tria igitur adesse debent, ut confessio possit dici sacramentalis: *a.* fieri debet sacerdoti vero vel saltem existimato; quare confessio, quae scienter fit ei, qui non est sacerdos vel qui caret iurisdictione, sacramentalis non est; *b.* fieri debet cum intentione (saltem implicita) obtinendi absolutionem; ergo confessio, quae fit sacerdoti quidem, at mere solatii aut consilii causa, non est sacramentalis; qui autem scienter sine dispositione confitetur aut peccata de industria tacet, sacramentaliter confitetur: vult enim absolutionem licet invalidam; *c.* saltem unum peccatum verum aut existimatum serio (non ficte) manifestari debet; ergo etiam confessio inchoata, sed non completa est sacramentalis.

Inter varias, quae enumerari solent, confessionis sacramentalis *qualitates*[1]), quinque specialem considerationem merentur, scilicet confessio debet esse *sensibilis, vera, secreta, vocalis* et *integra.* Et de integritate quidem confessionis infra erit sermo, de aliis autem qualitatibus hoc loco, quae scitu necessaria sunt, indicantur.

---

[1]) Sexdecim omnino a magistris assignantur qualitates confessionis, quas confer apud s. Thomam Suppl. q. 9. a. 4.

1. Confessio debet esse *sensibilis,* quae quidem qualitas ad validam absolutionem obtinendam requiritur. Iuxta probabilem enim sententiam confessio est pars essentialis sacramenti; sed partes essentiales tum quoad materiam tum quoad formam debent esse aliquo modo sensibiles; ergo solus dolor internus et sola voluntas interna confitendi, quae nullo prorsus signo externo manifestentur, ad sacramentum valide suscipiendum probabiliter non sufficerent.

2. Confessio debet esse *vera* seu sine mendacio peracta.

a. Mentiri in confessione circa rem gravem et necessario in confessione aperiendam grave peccatum est mendacii sacrilegi contra veritatem et contra reverentiam sacramenti, quia eiusmodi mendacium iudicium sacramentale in re gravi alterat et ideo absolutionem reddit invalidam.

Qui ergo scienter negat peccatum mortale vel tegit, ut a confessario non intelligatur, vel data opera ita loquitur, ut confessarius culpam venialem apprehendat pro mortali aut vicissim, sacrilegium committit, nisi habeat iustam causam peccatum tacendi: tunc enim adhibita restrictione mentali illud negare potest. Pari ratione, qui scienter confitetur peccatum, quod non fecit aut plura quam fecit, graviter peccat et absolutionem reddit nullam, quia iudicium sacramentale alterat in re gravi. Idem dicendum est, si confessarius ad sacramentum rite administrandum iuste interroget de re gravi iam accusata et remissa e. g. ut de consuetudine peccandi iudicet, et poenitens mentiatur, obligationi veritatem manifestandi in re gravi deest et hac ratione absolutionem reddit invalidam.

b. Attamen per se veniale tantum est, mentiri in re levi vel in re gravi, sed ad confessionem non necessaria (e. g. de peccato gravi iam remisso), quia iudicium sacramentale non alteratur in re gravi, ideoque sacramentum non fit invalidum; et si confessarius sine iusta causa de his interroget, adhibita restrictione negari possunt.

c. Si quis in confessione mentitur circa rem, quae ad confessionem non pertinet, committit mendacium vel grave vel leve prout fert ipsa res, at sacrilegium non committit, qui e. g. in confessione de proximo calumniam diceret, quia iudicium sacramentale non variat, etsi absolutio reddatur nulla, attamen ex solo defectu dispositionis, non ex vitiato iudicio sacramentali.

3. Confessio debet esse *secreta* seu soli sacerdoti loco Dei facta, et id quidem non ex natura sacramenti, sed ex institutione Christi et ex usu ecclesiae[1]). Licet ergo confessio per se possit esse etiam publica, tamen ad satisfaciendum praecepto confessionis nemo tenetur unquam publice confiteri, quia id nullibi praescribitur. Quocirca si confessio, quae ex praescripto instituenda esset, solum publice fieri posset, nutibus aut signis confiteri sufficeret. Hinc

a. Ignarus idiomatis non tenetur confiteri per interpretem: nemo enim ad confessionem publicam obligatur; confessio autem, quae fit per interpretem, publica est, licet interpres teneatur servare secretum.

b. Mutus non tenetur scripto confiteri, etsi scribere possit: scriptura enim natura sua publica est; insuper ipsa per se occasionem praebet revelationis; atqui nemo tenetur confiteri cum periculo, ne revelentur peccata accusata; ergo nec tenetur ea scribere.

4. Confessio debet esse *vocalis* i. e. peccata verbis indicari debent. Ex ipsa sacramenti essentia confessio fieri posset quovis signo, quo peccata sufficienter manifestantur, attamen ex consuetudine ecclesiae, quae vim legis obtinuit, sub gravi fieri debet voce ab eo, qui loqui potest, nisi gravis causa ab hac obligatione excuset. Sed vero necesse non est, ut singulatim omnia peccata voce recenseantur: nam confessio, quantum satis est, vocalis dici debet, ubi poenitens de peccatis suis, quae confessario citra sacramentalem accusationem iam nota sunt, voce in genere tantum se accuset his vel similibus verbis: accuso me de peccatis tibi iam notis.

a. Hinc qui sine iusta causa confitetur nutibus aut signis vel scripto, ubi voce confiteri potest, valide quidem absolvi potest, attamen sine dubio graviter peccat, quia temere a perpetuo ecclesiae usu recedit. Ex iusta autem et rationabili causa licitum est, solis nutibus aut signis vel scripto confiteri.

b. In his et similibus adiunctis posset admitti confessio, quae scripto peragitur: 1. si quis ex nimia verecundia non posset voce explicare peccatum suum; 2. si aegrotus ex gutture laborans non posset sine magna difficultate ore confiteri; 3. si confessarius surdaster non intelligeret poe-

---

[1]) Conc. trid. sess. 14. can. 6. Conc. lat. c. *Omnis utriusque sexus* habet: Sua *solus* peccata confiteatur.

nitentem peccata sua accusantem, quin etiam adstantes illum audiant. 4. Si quis putat, se alias non posse integre confiteri sive propter scrupulos sive propter tentationem tacendi peccata. 5. Si mutus vellet scripto confiteri.

c. Ad confessionem quidem muti tenentur: nam ea, quae ad sacramenti essentiam requiruntur, praestare ipsi possunt, cum signis aliquo modo manifestare possint peccata sua vel saltem se esse peccatores; praeceptum confessionis autem obligat omnes, qui aliquo modo manifestare possunt peccata sua; ad adhibendum vero medium extraordinarium scripturae, etsi possent, non tenentur.

Articulus secundus.

De integritate confessionis.

115. Duplex distinguitur *integritas* confessionis, alia materialis, alia formalis. *Materialis* habetur, quando manifestantur omnia peccata mortalia, quae commissa et nondum directe remissa sunt; *formalis* autem habetur, quando explicantur omnia peccata mortalia, quae hic et nunc spectatis adiunctis accusari possunt et debent. Iam si reipsa omnia enumerentur, quae enumerari possunt et debent, habetur integritas formalis simul et materialis, si autem aliqua ex iusta causa omittuntur, confessio erit formaliter, sed non etiam materialiter integra.

1. *Integritas materialis* ad validam confessionem non semper requiritur: bonitati enim et sapientiae divinae repugnat, ad essentiam sacramenti, quod ad salutem adeo necessarium est, postulare aliquid, quod saepissime vel moraliter vel etiam physice est impossibile, cuiusmodi est integritas materialis.

2. *Integritas autem formalis* ad validam confessionem omnino requiritur: praeceptum enim divinum declarandi omnia peccata mortalia commissa certe ad ea saltem peccata refertur, quae poenitens hic et nunc declarare moraliter potest[1].

---

[1]) Conc. Trid. sess. 14. c. 5.

116. Ut confessio sit integra, declarari debent *omnia peccata mortalia* post baptismum commissa et nondum directe remissa *secundum speciem et numerum.*

1. *Peccata mortalia:* nullum enim exstat praeceptum divinum, quod obliget ad confessionem venialium: neque praeceptum ecclesiasticum confessionis annuae ad venialia se extendit. Quamvis ideo suadendum sit, ut qui peccati mortalis sibi conscii non sunt, tempore paschali confiteantur venialia ad suscipiendam tum gratiam sacramentalem tum etiam iustificationem, si forte peccati mortalis, quod obliti sunt, rei existant, nec sint sufficienter contriti; ad hoc tamen obligari non possunt.

Potest autem ecclesia in casu particulari praecipere confessionem etiam peccatorum venialium, imo eiusmodi praeceptum reipsa existit. In quibusdam enim ordinibus religiosis viget statutum, quod omnes sub gravi obligat, singulis mensibus vel etiam singulis quindenis confessionem peragendi; atqui hoc statutum non est de solis mortalibus, sed de mortalibus et venialibus: incredibile enim est, omnes religiosos toties labi in peccata mortalia. Et sane non apparet ratio, cur ecclesia vel superior regularis eiusmodi opus poenitentiae non possit praecipere.

2. *Secundum speciem:* declaranda est enim *species moralis infima* peccatorum mortalium [1]). Quocirca praecepto divino non satisfit per confessionem peccatorum in genere tantum (peccavi moraliter), nec per confessionem eorum in specie generica (ter peccavi contra iustitiam), sed declarandum est quodvis peccatum in sua specie infima (proximo furatus sum materiam gravem).

Qui tamen in specie infima peccatum declarare sive ex ignorantia sive ex oblivione non potest, aut hic et nunc declarare non tenetur, ideo non excusatur a manifestando peccato ipso in quantum illud manifestari potest. Qui ideo sciret, se commisisse peccatum mortale, sed quale fuerit prorsus ignoraret, teneretur saltem hoc dicere, se mortaliter peccasse; et qui sciret, se deliquisse contra iustitiam, sed qua ratione id acciderit, recordari amplius non posset, hoc saltem indicare deberet, se graviter peccasse contra iustitiam.

3. *Secundum numerum.* Integritas confessionis postulat, ut quantum fieri potest explicetur *numerus certus* pec-

---

[1]) Conc. trid. sess. 14. c. 5.

catorum mortalium; quocirca pari ratione delinquit tum ille, qui scienter vel ex culpabili negligentia exprimit numerum maiorem, tum ille, qui exprimit numerum minorem, tum denique etiam ille, qui sciens numerum praecisum indicat solum probabilem addita particula *circiter:* omnes enim in re gravi mentiuntur et iudicium sacramentale perturbant, nisi eos excuset scrupulositas, bona fides, vel studium maioris securitatis.

a. Quando post diligens examen conscientiae non potest deprehendi numerus peccatorum certus et exactus, exprimi debet numerus probabilis, qui nimirum magis ad veritatem accedat, addita particula *circiter.* Hac particula *circiter* non comprehenditur excessus vel defectus notabilis, sed modicus tantum, proportionatus tamen numero expresso iuxta hanc regulam: modicus defctus vel excessus erit, relative ad *quinque circiter* peccata, unitatem hinc inde addere vel demere, relative ad *circiter decem,* duas unitates; relative ad *viginti,* tres vel quatuor; relative ad *quadraginta,* quatuor vel quinque; relative ad *centum,* quinque vel sex; . . censebitur ergo in primo casu poenitens quater, quinquies vel sexies; in secundo vero octies, novies, decies, undecies vel duodecies peccasse, et similiter in aliis[1]).

b. Si poenitens postea inveniat numerum exactum peccatorum et peccata, quorum nunc recordatur, sunt certo plura, quam comprehendit numerus expressus in confessione simul cum particula *circiter,* excessum in confessione manifestare debet, quia haec peccata nullo modo fuerant exposita; ad nihil autem tenetur, ubi invenerit, se numerum notabiliter maiorem expressisse: nam in maiori numero indicato iam continetur et absolvitur iste minor, supposito quod poenitens non sit mentitus, sed bona fide numerum exaggeraverit.

c. Quodsi nullus neque prohabilis numerus haberi possit, ut fere accidit in consuetudinariis, haec notanda sunt:

α. Monet *S. Alphons.* (n. 466.), confessarium non debere esse nimis anxium in exquirendo numero peccatorum, qui impossibilis est; sufficit

---

[1]) *S. Alphons.* n. 466.

enim, ut poenitens aperiat consuetudinem peccandi et moram temporis, quo in statu peccandi perseveravit, et quoties in die, in hebdomada, in mense peccare consueverit. Ex his prudens confessarius statum et conscientiam peccatoris melius cognoscet, quam ex numero probabili, quem magis divinando quam serio expendendo ille proloquitur.

β. Si poenitens neque hoc scire et indicare possit, confessarius eum inducat, ut aperiat suum statum, modum vivendi, consuetudinem et occasiones peccandi, et hac ratione sufficienter manifestatur status conscientiae, ut possit absolvi. Quare si eiusmodi poenitens postea magis distincte recordetur suorum peccatorum, non tenetur accuratius ea confiteri: nam in illa confusa accusatione fuerant sufficienter cognita a confessario, ut poenitentem potuerit ab omnibus directe absolvere. Sufficit ergo si e. g. meretrix dicat: per biennium in meretricio permansi et quoties occasio fuit, etiam coniugatis etc. potestatem corporis feci: vel si concubinarius dicat: per tres annos in concubinatu vixi; vel alius: obvias quasque mulieres, etiam cognatas, coniugatas, sacras concupivi; vel: de rebus turpissimis quavis data occasione cum sociis quibusvis locutus sum etc. etc. [1].

An licitum sit confessionem dimidiare. — Integritas confessionis per se postulat, ut omnia peccata manifestentur eidem confessario nec fiat dimidiata confessio, qua alia peccata indicentur uni, alia vero alteri confessario: cum enim omnia peccata mortalia simul remittantur, omnia etiam simul eidem confessario manifestari debent. Insuper integritas formalis confessionis ad validam absolutionem obtinendam absolute necessaria est. Si autem dimidiando confessionem integritas formalis servatur, per se licitum est, eandem dimidiare.

Quocirca ex iusta causa fieri potest, ut quis venialia uni, mortalia vero alteri confessario confiteatur, si quis e. g. grave aliquod peccatum ignoto confessario manifestaret, et venialia deinde ordinario, ne ex verecundia, qua afficitur apud confessarium cognitum, se exponat periculo sacrilege confitendi. Pariter si quis hic et nunc non tenetur aliquod mortale (e. g. reservatum ei, qui non habet potestatem absolvendi) confiteri, potest illud apud unum tacere et alteri deinde manifestare.

117. Integritas confessionis omnino postulat, ut declaretur etiam *actus externus;* at per se non postulat, ut declaretur *effectus,* qui ex peccatis externis consequitur.

1. *Actus externus. a.* In confessione declarari debent omnia et sola peccata; actus autem externus vere et pro-

---

[1]) *Sporer* n. 451. ss.

prie peccatum est: licet enim actus externus propriam malitiam per se non habeat, ipse tamen participat malitiam actus interni et cum actu interno, quem natura sua perficit et complet, unum actum moralem constituit scilicet peccatum in sua specie completum et consummatum. *b*. Actu externo non declarato non intelligeretur gravitas iniuriae proximo illatae, nec obligatio restitutionis, censura, irregularitas etc. *c*. Tandem ecclesia praeceptum Domini de confessione peccatorum mortalium semper ita intellexit et interpretata est; quare non sufficit in confessione dicere: habui propositum furandi, sed dicendum est: furatus sum.

2. *Effectus peccati.* Scilicet sunt actiones externae peccaminosae, ex quibus alii quandoque effectus sequuntur, qui posita semel actione externa non amplius a voluntate agentis dependent: si quis e. g. intentione graviter mala proximo venenum propinat, puellae dat medium ad procurandum abortum, quandoque sequitur, velit nolit, mors et abortus. Porro hos effectus, ubi secuti fuerint, declarare non est necesse, ut confessio sit formaliter integra: ex praecepto enim divino sola peccata declarari debent, effectus vero isti non sunt peccata, cum nullatenus sint liberi; quare sufficit exponere pravam voluntatem et actionem efficacem ad illum effectum producendum. Expedit tamen et quandoque ex alia ratione prorsus necessarium est, ut effectus, qui ex peccato externo secutus est, exponatur, quando nimirum confessario opus est scire, an adsit obligatio restitutionis, irregularitas, censura aut reservatio: his enim poenis peccata externa plerumque non puniuntur, nisi secutus sit etiam effectus, ne poena tam gravis saepius, quam par est, irrogari debeat.

118. *De peccatis dubiis* quaeritur, an sint materia necessaria confessionis, ut adeo confessio non sit integra, si eadem non exponantur. Porro triplex dubium diversum distingui potest: 1. circa peccatum ipsum; 2. circa gravitatem peccati; 3. circa confessionem peccati. Supponitur dubium non esse mere negativum, sed positivum seu probabili fundamento innixum. Porro etsi consulendum sit,

ut poenitentes peccata dubia confiteantur, si tamen de stricta obligatione agitur, dicendum est, peccata dubia, qualecunque sit dubium, non esse necessario accusanda. Itaque

1. Qui dubitat, an peccatum reipsa commiserit, si post diligens examen dubium perseveret, non tenetur illud confiteri: nam non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet. Insuper ex Concilio trid. [1]) accusari debent peccata mortalia quorum habetur conscientia i. e. quorum habetur certa cognitio; atqui peccatorum dubiorum non habetur certa cognitio.

2. Qui dubitat, an peccatum, quod certo commisit, sive ex parte materiae sive ex parte assensus sit grave, ex iisdem rationibus non tenetur illud confiteri.

In praxi autem secundum *s. Alphonsum* (n. 476.) servandae sunt duae regulae sequentes.

a. In dubio an *materia peccati* sit gravis, poenitentes rudes ordinarie debent dubia accusare, tum quia per se ipsi non possunt conscientiam efformare, tum quia plerumque non norunt distinguere venialia a mortalibus. Excipiendi sunt tamen illi scrupulosi, qui mortalia committere non solent. Qui autem non rudes, sed sufficienter instructi sunt, ad peccata dubia accusanda ordinarie suaviter hortandi, non autem obligandi sunt.

b. In dubio de *pleno consensu:* 1. si poenitentes sunt timoratae conscientiae nec solent graviter peccare, nullo modo tenentur peccata dubia confiteri, quia ipsis favet praesumptio, quae ex ordinarie contingentibus habetur; imo ab hac accusatione sunt impediendi, si ad scrupulos propensi videantur. 2. Si poenitentes mediam viam servant inter timoratam et laxam conscientiam, non sunt quidem obligandi, sed inducendi ad consensum dubium declarandum, quia illud prodest ad conscientiae tranquillitatem. 3. Si poenitentes sunt laxae conscientiae, generatim peccata dubia declarare debent, quia ipsis praesumptio adversatur.

3. Qui dubitat, an peccatum certo commissum et certo etiam grave *iam confessus sit,* pariter ex iisdem rationibus non tenetur illud denuo confiteri: nam lex, cui probabiliter iam est satisfactum, non est amplius certa, proindeque certam obligationem parere nequit. In praxi quidem consulenda est confessio ad conscientiae tranquillitatem procurandam, attamen stricta obligatio nulla existit.

---

[1]) Sess. 13. c. 7.

An teneatur denuo ut certum confiteri, qui confessus est peccatum mortale tamquam dubium, quod postea comperit certo fuisse commissum. — Non tenetur denuo idem peccatum tamquam certum confiteri: nemo enim tenetur confiteri peccatum, a quo iam est directe absolutus; atqui a peccato, quod ut dubium accusavit, iam est directe absolutus: nam illud, ut supponitur, manifestavit secundum speciem et numerum prout tunc erat in conscientia. Insuper qui exposuit numerum peccatorum dubium cum particula *circiter*, non tenetur amplius in confessione declarare certum numerum, si illum postea invenerit, nisi excessus sit notabilis; ergo etiam in hoc casu non tenetur: nam etiam in numero probabili quaedam peccata ut dubia declarantur. Tandem si quis confitetur peccatum, quod nec ipse nec confessarius sciebat esse mortale et quod postea comperit certo esse mortale, non tenetur illud confiteri.

119. *De circumstantiis peccatorum.* Circumstantiae peccatorum aliae sunt *speciem mutantes*, quae actui addunt novam diversam malitiam specie distinctam ab ea, quam actus ratione sui obiecti habet, sic circumstantia loci sacri, ex quo res aliqua aufertur, furto addit malitiam sacrilegii contra virtutem religionis: aliae sunt *aggravantes* vel *imminuentes*, quae solum augent vel minuunt malitiam actus peccaminosi intra eandem speciem peccati sive ratione durationis, sive intensitatis, modi, temporis, personae, loci etc. Hae circumstantiae vel sunt *leviter* vel *notabiliter* aggravantes aut imminuentes prout leviter vel notabiliter malitiam actus augent vel minuunt.

1. *Circumstantiae speciem mutantes* necessario explicandae sunt in confessione[1]): nisi enim declarentur, non omnia peccata mortalia in propria sua specie accusantur, id quod ex praecepto divino requiritur. Qui ergo furatus est rem sacram, id declarare debet propter peccatum sacrilegii a furto specifice diversi, quod una cum furto com-

---

[1]) Conc. Trid. sess. 14. c. 5. can. 7.

misit. Vix moneri debet, novam malitiam actui peccaminoso additam debere esse *mortalem*, ut constituat materiam necessariam confessionis.

a. In peccatis *odii* fieri potest, ut *pietas* laesa addat malitiam diversam eamque mortalem, si nimirum odium referatur ad consanguineos in primo gradu; in aliis gradibus laeditur quidem etiam pietas, sed laesae pietatis malitia non est gravis.

b. In peccatis *scandali* circumstantia *superioritatis* vel *officii* quandoque novam malitiam addit contra iustitiam vel pietatem, ut si parochus suis parochianis, parentes filiis, magister alumno speciali eius curae commisso scandalo sit. Peccatum confessarii cum suo poenitente, quod relationem habet ad confessionem, induit malitiam sacrilegii; peccatum autem, quod ad confessionem non refertur, novam malitiam non induit. Aliae tandem superioritates vel dignitates ut magistratus, sacerdotis, heri etc., augere possunt malitiam peccati cum subdito, laico, famulo commissi, at speciem non mutant.

c. Ligatus voto castitatis, qui peccat cum alio, qui eodem voto ligatus est, utramque circumstantiam voti, et *coniugatus*, qui peccat cum coniugata utramque circumstantiam matrimonii in confessione declarare debet: ille enim duplex sacrilegium, hic duplex adulterium committit [1]).

2. *Circumstantiae aggravantes tantum* non debent necessario explicari in confessione. Haec sententia hodie merito fere communis evasit: nullum enim existit praeceptum, quod obliget declarare circumstantias tantum aggravantes. Sola enim peccata mortalia necessario in confessione declarari debent; atqui circumstantiae, quae speciem non mutant, non addunt actui peccaminoso novum peccatum mortale. Hinc Concilium trid., quod enumerat omnes conditiones ad integritatem confessionis requisitas, solum loquitur de circumstantiis, quae speciem mutant, nulla facta mentione circumstantiarum, quae solum aggravant [2]).

a. Et sane ex praecepto Christi sola peccata confiteri tenemur, quare Concil. trid. l. c. obligationem confitendi circumstantias aggravantes potius excludere videtur: nam ubi (l. c.) accurate declarat, quid ex praecepto Christi in confessione manifestari debeat, postquam docuerat manifestanda esse omnia et singula peccata mortalia et circumstantias, quae peccati speciem mutant, subiungit: „nihil aliud in ecclesia a poenitentibus exigi". Quod difficultatem attinet, quam in hac quaestione facessit Catechismus romanus [3]), non est improbabile, eius verba intelligenda esse de

---

[1]) Cf. *Lugo*, disp. 16. n. 258. [2]) Sess. 14. c. 5.

[3]) De poenitentia n. 47.

circumstantiis, quae speciem theologicam mutant, quae scilicet efficiunt, ut peccatum leve fiat grave et grave fiat leve[1]. — Nec valet ratio ex eo desumpta, ut aequa poenitentia possit imponi; siquidem non semper tam exacta aequalitas inter gravitatem peccati et poenitentiam requiritur: si enim exacta aequalitas requireretur, etiam circumstantiae notabiliter imminuentes in confessione declarari deberent, quod tamen nemo exigit[2]. Tandem si hae circumstantiae essent necessario declarandae, onus iniungeretur intolerabile tum confessariis tum poenitentibus atque inde orirentur anxietates et difficultates innumerae, cum valde difficile ne dicam impossibile sit, distinguere quaenam circumstantiae sint notabiliter, quaenam leviter aggravantes.

b. Ceterum solent fideles ordinarie declarare circumstantias saltem notabiliores, quod quidem eis suaderi potest, quia multum confert tum ad conscientiae tranquillitatem, tum ad uberiorem sacramenti fructum, tum ad directionem magis congruentem. Si tamen agatur de circumstantiis peccatorum contra sextum praeceptum, non solum de eis non sunt interrogandi poenitentes, sed neque permittendum ipsis est, ut easdem exponant propter periculum, quod tum confessario tum poenitenti inde crearetur.

c. Attamen si confessiarius de circumstantiis solum aggravantibus interrogat, candide aperienda est veritas. Confessarius enim ius habet interrogandi non solum ea, quae ad procurandam integritatem confessionis, sed etiam ea, quae ad cognoscendum statum poenitentis, eius dispositiones vel obligationes et ad censuras vel reservationes peccatis annexas scitu necessaria sunt. Atque id quidem de omnibus circumstantiis notabiliter aggravantibus ordinarie valet, maior autem est obligatio sincere respondendi, ubi agitur de consuetudine, de relapsu et de occasione proxima.

1. Non est necesse *moram temporis* indicare, quo quis in aliquo peccato interno vel externo perduravit, nisi per interruptionem diversa numero peccata existant e. g. in odio. inimicitia vel affectu libidinoso diu continuato.

2. Qui violat virtutem, ad quam *ex pluribus titulis* obligatur, non debet necessario varios titulos explicare; hinc sacerdos religiosus, qui contra votum castitatis peccavit, sufficienter se accusat, si dicat, se peccasse contra votum castitatis, sicut qui violat ieiunium quatuor temporum, quod incidit in quadragesimam, sufficienter se accusat dicendo, se violasse ieiunium praeceptum. Et quandoquidem votum simplex et solemne religionis et votum ordinis sacri specie non differunt (de voto castitatis in saeculo emisso disputant), non est necesse haec in confessione accuratius declarare, sufficit ergo dicere: peccavi contra votum castitatis.

3. Qui *cum pluribus diversis personis peccavit,* satisfacit declarando speciem et numerum peccati, quin declaret cum pluribus illud commissum

---

[1]) Cf. *Ballerini-Palmieri* n. 355.

[2]) Cf. *Lugo,* disp. 16. n. 120.

esse, e. g. qui cum tribus personis fornicatus est, satisfacit dicendo: ter peccatum fornicationis commisi, quin addat, an cum eadem vel cum diversis, quia non mutatur species peccati, eo quod cum diversis personis committitur.

4. Non est necesse, ut declaretur *quantitas furti* vel damni illati; qui ergo furatus est mille florenos (etiam diversis dominis) vel silvam proximi sui incendit, absolute satisfacit dicendo: commisi furtum mortale vel: intuli damnum notabile.

5. Circumstantia *consuetudinis* peccati non est necessario declaranda: si enim nomine consuetudinis intelligatur frequens relapsus in idem peccatum, haec circumstantia non efficit, ut peccatum nunc commissum sit aut gravius aut diversum; si autem nomine consuetudinis intelligatur pravus habitus ex peccatis repetitis inductus, iste habitus per se non est peccatum. Confessario autem de hac re interroganti aperienda est veritas.

6. Quoniam circumstantia *temporis* ad confessionem non pertinet, per se satisfacit, qui peccatum recens accusat tamquam olim commissum. Ideo obligationi integre confitendi satisfacit, qui nova peccata cum antiquis commiscet, vel qui in confessione generali ab aliis peccatis non distinguit peccata mortalia ab ultima confessione commissa, etsi de industria id faciat ad dissimulandum tempus, quo peccatum commisit. Quod si poenitens de tempore interrogatus mentiatur et peccatum hodie commissum declaret factum tempore remoto, leve mendacium committere videtur, nec probanda videtur sententia eorum, qui opinentur eiusmodi penitentem non satisfacere obligationi confitendi.

Articulus tertius.

De causis ab integritate excusantibus.

120. Admittendae sunt causae, quae a materiali integritate confessionis excusent, ut adeo sacramentum poenitentiae valide et licite suscipi possit, etsi confessio non sit materialiter integra. Praeceptum enim confessionis est positivum; ex generali autem principio leges positivae non obligant cum gravissimo incommodo, quod eis non per se et natura sua insitum est, sed per accidens externe adiungitur. Hinc ab integritate confessionis nunquam excusat difficultas ipsi confessioni interna et insita, quantumvis gravis ea sit, ut magna repugnantia vel verecundia aut amissio propriae famae penes confessarium: Christus enim instituendo confessionem voluit, ut fideles illa onera subirent, quae a confessione separari non possunt. Tres autem sunt

causae ab integritate confessionis materiali excusantes: *a.* impotentia physica; *b.* impotentia moralis; *c.* oblivio vel ignorantia inculpabilis.

Circa peccata autem in confessione licite omissa et ideo indirecte tantum remissa haec notanda sunt.

1. Manet obligatio confitendi peccata licite omissa; ideo si cesset causa ab integritate excusans, illa peccata in confessione declarari debent: ex praecepto enim divino omnia peccata mortalia post baptismum commissa, si fieri potest, in se clavibus subiici et directe remitti debent.

2. Nulla autem exstat obligatio haec peccata quam primum confitendi; ideo eorundem confessio differri potest usque ad sequentem confessionem, quae sive ex devotione sive ex praecepto instituatur.

3. Attamen in confessione proxime sequenti declarari omnino debent, nisi denuo adsit causa ab integritate excusans: confessio enim necessario debet esse formaliter integra; si ergo peccata antea licite omissa non declarentur in proxima confessione, haec erit ex defectu integritatis sacrilega, nisi iterum adsit causa legitime excusans.

121. *Impotentia physica:* nullum enim praeceptum obligat ad id, quod impossibile est. Exempla impotentiae physicae haec sunt:

1. *Infirmitas extrema,* ideo moribundi, qui integre confiteri nequeunt, valide et licite absolvi possunt, etsi eorum confessio non sit integra. Ceterum de absolutione moribundorum accuratius infra dicetur.

2. *Defectus loquelae.* *a. Muti* et impeditae linguae, qui signis integre confiteri non valent, exprimere debent, quod possunt, et urgente praecepto confessionis, si aliud non possunt, saltem signo ostendere debent, se peccasse, ut absolutio eis dari possit. *b. Surdi* (et idem dicendum de *surdastris*), qui usum loquelae habent, tenentur ex parte sua confiteri peccata, quae memoriae occurrunt, sed confessarius non tenetur eos interrogare ad procurandam confessionis integritatem, ob nimiam interrogandi difficultatem et periculum revelationis. *c. Ignarus idiomatis,* cum non teneatur confiteri per interpretem, urgente praecepto confessionis annuae et in periculo mortis solum tenetur confiteri eo modo, quo potest, scilicet signis vel nutibus saltem manifestare tenetur se esse peccatorem [1]).

---

[1]) Cum hac doctrina congruit decretum C. S. O. 28. febr. 1633, quod statuit, poenitentem, qui non vult uti interprete, posse et debere

3. *Defectus temporis.* Si milites imminente pugna, vel navigantes in naufragio, vel peste infecti in publico nosocomio omnes non possunt audiri, angustia temporis id non permittente, possunt omnes simul fateri se esse peccatores et dolere de peccatis suis et deinde absolvi unica forma dicendo: *ego vos absolvo* etc.

Nunquam autem excusat sola multitudo poenitentium, etsi de longinquo advenerint et omnes audiri non possint, si integre confiteantur. Quocirca damnata est ab Innocentio XI. propositio 59: „Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus poenitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnae alicuius festivitatis aut indulgentiae".

122. *Impossibilitas moralis:* Confessio censetur esse moraliter impossibilis, ubi sine gravi damno spirituali vel temporali sui vel proximi fieri non potest: in his autem adiunctis praeceptum positivum integre confitendi cedere debet legi naturali, qua famae vel saluti propriae vel aliorum consulere unusquisque debet. Ut tamen peccata propter impotentiam moralem licite omitti possint, hae conditiones requiruntur: *a.* ut ea tantum peccata omittantur, quae absque gravi incommodo declarari nequeunt; *b.* ut non possit inveniri alius confessarius, apud quem omnia peccata sine illo incommodo manifestari possint; *c.* ut confessio sit hic et nunc necessaria, nec in aliud tempus commode differri possit. Necessaria autem ex communi auctorum iudicio censetur esse confessio ob communionem paschalem vel confessionem annuam, ob necessitatem celebrandi vel communicandi, ne quis debeat diutius in statu peccati manere. Exempla sunt:

1. *Periculum famae ipsius poenitentis.* *a.* Si sacerdos mox celebraturus et longiori confessione indigens non posset integre confiteri, quin adstantes rem suspicarentur. *b.* Si sacerdos deferens viaticum ad aegrotum deprehendat, ipsum diu sacrilege esse confessum, potest eundem audito uno vel alio peccato interim absolvere et postea confessionem complere, ne ex longiori confessione apud adstantes huius rei suspicio oriatur. *c.* Ab integritate autem non excusatur poenitens, si ob prolixam eius confessionem alii suspicarentur, ipsum esse multis peccatis gravatum.

---

absolvi, etsi signis peccata in genere tantum manifestet. Cf. *Bucceroni*, Enchirid. p. 160.

2. *Periculum violationis sigilli.* Si confessarius nequeat integre confiteri, quin peccata in confessione audita manifestet. Si poenitens merito timeret, peccatum a confessario fore revelandum.

3. *Periculum scandali vel lapsus* tum ex parte poenitentis tum ex parte confessarii. Si poenitens propter cognitam confessarii maximam fragilitatem ex manifestato peccato periculum peccati timeret. Si poenitens própter fragilitatem sibi notam timet, ne diu cogitando in examine de quibusdam peccatis labatur, potest obiter tantum se examinare, quamvis ex defectu examinis quaedam omittantur. Idem valet de confessario, qui interrogando de rebus turpibus sibi vel poenitenti periculum peccandi creat.

4. *Grave damnum spirituale vel temporale* sive proprium sive alienum. Si poenitens ex manifestatione peccati rationabiliter timet iniustam persecutionem, officii vel sustentationis privationem, potest illud peccatum interim tacere. Scrupulosi merito prohibentur praeteritas confessiones repetere, etsi nonnulla peccata ex oblivione omisissent, item prohibentur diutius se examinare, etsi periculum sit, deficiendi in integritate: ne enim ex suis anxietatibus damnum capiant, integritatem confessionis negligere possunt.

123. *Ignorantia vel oblivio inculpabilis:* ubique enim ignorantia inculpabilis ab observatione legis excusat. *a.* Qui praemisso diligenti examine aliquod peccatum, quod reipsa commisit, in confessione ignorat, aut dum confitetur alicuius peccati non recordatur, valide et licite absolvitur. *b.* Qui ex levi negligentia in examine peccata ignorat et in confessione omittit, valide absolvitur: culpa enim venialis nec valorem nec fructum sacramenti impedit. *c.* Tandem si ignorantia hic et nunc quidem inculpabilis est, sed ex gravi culpa antea commissa oritur, confessio pariter valida est: qui e. g. nimis diu etiam cum transgressione praecepti ecclesiastici confessionem distulit, ideoque plurium peccatorum amplius recordari non potest, formaliter integre confitetur, si ea accusat, quae post diligens examen occurrunt.

124. *An sit obligatio confitendi peccatum, quod explicari nequit sine complicis manifestatione;* quaestio igitur haec est: an periculum diffamandi alium apud confessarium pari modo ab integritate confessionis excuset, sicut excusat periculum, quod incurrit ipse poenitens, amittendi famam apud alios.

a. Poenitens certo tenetur, si commode potest, quaerere alium confessarium, cui complex sit ignotus, ut integre confiteri et simul famam complicis servare possit; peccaret ergo contra caritatem et iustitiam, qui sine iusta causa confiteretur confessario, cui complex notus est, ubi sine magno incommodo alium habere posset, apud quem complex ignotus non diffametur.

Causae autem excusantes ab obligatione quaerendi alium confessarium, cui complex sit ignotus, fere sunt sequentes: 1. si urget periculum mortis vel praeceptum annuae confessionis; 2. si grave sit poenitenti omittere confessionem aut communionem; 3 si quis difficulter alteri confessario conscientiam aperiret; 4. si quis secus in peccato etiam per unum diem manere deberet; 5. si quis alias privaretur beneficio indulgentiae extraordinariae; 6. si apud confessarium, cui complex cognitus est, haberetur melior directio aut consolatio notabiliter maior. Gury n. 500.

b. Non licet confiteri peccatum, quod non est materia necessaria confessionis, si illud sine complicis diffamatione accusari non potest. Multo minus licitum est nominare complicem in confessione illorum peccatorum, quae sine complicis manifestatione sufficienter accusari possunt; hinc si confessarius animadverit, poenitentem velle complicem nominare, ubi nulla est nominandi necessitas, illum prohibere debet.

Quodsi tamen poenitens aut sine iusta causa confiteretur apud confessarium, cui notus est complex, aut sine necessitate in confessione manifestaret complicem, graviter quidem vix peccaret: nam crimen alterius uni viro prudenti revelare, ordinarie non est gravis diffamatio.

c. Iam si alius confessarius, cui complex ignotus est, sine incommodo adiri nequit, nec confessio commode differri potest, instituitur quaestio initio proposita. Atqui omnino praeferenda videtur sententia eorum, qui cum s. *Alphonso* (n. 489.) docent, periculum famae, quod complex patitur apud confessarium, non excusare poenitentem ab obligatione integre confitendi, qui proinde accusare debet peccatum, etiam cum complicis diffamatione. Pari ratione poenitens potest et debet integre confiteri peccatum, quod accusare non potest, quin simul etiam manifestet peccatum alienum.

Et sicut poenitens manifestare potest et debet suum peccatum non obstante diffamatione complicis, ita et confessarius libere et licite interrogare potest et debet poenitentem de iis, quae scitu ipsi necessaria sunt, ut de circumstantiis, quae speciem mutant (an complex in peccato turpi sit consanguineus vel affinis, an sit voto ligatus), vel de occasione proxima peccandi (an habitet in eadem domo etc.), quamvis ex responsis in cognitionem complicis deveniat.

Et sane sententia, quae in hoc casu ab integritate confessionis excusat, ut famae complicis parcatur, in hoc unico argumento fundatur: lex naturalis non laedendi famam proximi praeferenda est legi positivae integre confitendi. Attamen 1. lex naturalis solum vetat, ne fama proximi sine iusta causa laedatur; atqui praeceptum integre confitendi videtur esse satis iusta et gravis causa hanc laesionem permittendi. 2. Non est necesse, ut fama alterius servetur, praesertim ubi vix graviter laeditur, quando sine magno incommodo servari non potest; atqui grave incommodum est obligatio, quae cum hac sententia cohaeret, idem peccatum bis cofitendi: nam si peccatum accusari non potest sine complicis manifestatione, non licet tacere integrum peccatum, sed illam tantummodo circumstantiam, quae sine alterius diffamatione explicari non potest, si e. g. incestus tacetur, fornicatio declaranda est: quando ergo circumstantia reticita manifestatur, peccatum iam declaratum denuo explicari debet. 3. Accedit praxis communis nedum poenitentium, qui eiusmodi circumstantias passim accusant; verum etiam confessariorum, qui poenitentes libere interrogant de circumstantiis, ex quibus in complicis cognitionem devenire possunt.

d. Cum tamen sententia opposita, quae docet, tacendum esse peccatum, quod sine damno complicis manifestari nequit, probabilitate saltem externa non careat, potest confessarius in praxi eam sequi, et poenitens, qui de hac sententia eiusque probabilitate notitiam haberet et secundum eandem suam confessionem instituere vellet, non posset cogi, ut peccatum cum damno complicis aperiat.

125. *An liceat petere nomen complicis e. g. ad illum corrigendum.*

Nomen complicis non ille solum inquirit, qui expresse nomen complicis petit, sed ille etiam, qui temere et sine iusta causa sciscitatur adiuncta, quae complicis personam designant. De hac re exstant tres con-

stitutiones *Benedicti XIV.*[1]), quas s. pontifex edidit, tum ad protegendum ius, quod alii habent in propriam famam, tum ad servandam sacramenti sanctitatem; easdem Pius IX. confirmavit in constitutione *Apost. Sedis*[2]). Ex his autem pontificiis constitutionibus haec habentur.

a. Ordinarie graviter peccat, non solum qui ex curiositate, sed etiam qui ad bonum finem interrogat poenitentem de nomine complicis; non quidem quia sine iusta causa inducit alium ad detrahendum, sed quia sacramentum hoc reddit odiosum, et quia agit contra severam prohibitionem ecclesiae.

b. In constitutionibus Benedicti XIV. quatuor continentur: *α.* s. pontifex sub gravi damnat et prohibet praxim inquirendi nomen complicis; *β.* qui sub poena denegandae absolutionis praesumit petere nomen complicis, incurrit suspensionem ab audiendis confessionibus ferendae sententiae aliasque poenas ad arbitrium iudicis ecclesiatici; *γ.* qui ausus fuerit docere, hanc praxim esse licitam, incurrit excommunicationem pontifici reservatam; *δ.* non solum confessarii, qui hanc praxim ex adhaesione ad damnatam doctrinam (non ex simplicitate et ignorantia) sequuntur, sed etiam quicunque docent eandem licitam esse, infra mensem s. Officio denuntiandi sunt, non ab ipso poenitente, sed ab alio quovis, qui eiusmodi delinquentis notitiam habet. Horum decretorum primum et quartum adhuc vigent, poenae vero immutatae sunt.

c. Ex constitutione *Apost. Sedis* incurrunt excommunicationem latae sententiae romano pontifici simpliciter reservatam non quidem requirentes nomen complicis, sed temere docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi nomen complicis sub poena denegandae absolutionis. Qui ergo ex ignorantia (etiam crassa) prohibitionis vel poenae hanc praxim licitam esse doceret, poenam non incurreret.

d. Aliud est a poenitente nomen complicis requirere, et aliud est circumstantias inquirere, quae ad integritatem confessionis servandam vel ad conscientiam poenitentis opportunis remediis dirigendam scitu necessariae sunt, etsi confessarius hac ratione per accidens in cognitionem

---

[1]) Cf. *Lehmkuhl* n. 339.

[2]) Inter excommunicationes rom. pontifici simpliciter reservatas primo loco (II. 1.) haec habetur: *docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis prouti damnata est a Benedicto XIV.*

complicis deveniat; hoc alterum non prohibetur. Nihil autem refert, an confessarius expresse nomen complicis petat, vel an temere sciscitetur adiuncta, quae complicis personam designant.

e. Fieri tandem potest, ut confessarius iure postulet (etiam sub poena denegandae absolutionis), ut sibi vel superiori per poenitentem vel per alium complex manifestetur. Si nimirum bonum commune denuntiationem complicis exigit, confessarius poenitentem adigere debet, ut superiori communitatis denuntiationem faciat. Quod si poenitens potius confessario quam superiori nomen complicis manifestare vellet, nomen hoc licite sine dubio confessarius excipere potest. In hoc casu tamen expedit, ut extra confessionem denuntiatio fiat et excipiatur.

Articulus quartus.

De mediis procurandi integritatem.

126. *De examine conscientiae.* 1. Requiritur *per se* sub gravi examen conscientiae, ut confessio possit fieri integra: qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam adhibere media necessaria ad finem obtinendum[1]). *Per accidens* autem fieri potest, ut examen non sit necessarium, ut si quis morali certitudine sciat, se ab ultima confessione non commisisse peccatum mortale; vel si quis peccata quotidiana annotet; vel si quis statim post gravem lapsum ad confessionem recurrat.

Quando ergo ex negligentia graviter culpabili in examine aliquis unum vel plura peccata mortalia omittit, confessio est invalida et tota repetenda et simul sacrilegium gravis illius negligentiae accusandum; si autem negligentia fuerit levis et venialis tantum, confessio non est invalida. Ut autem discerni possit, an negligentia in examinando fuerit gravis vel levis, haec regula est attendenda: qui post institutam confessionem

---

[1]) Conc. Trid. sess. 14. c. 5. ait: oportere a poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum *post diligentem sui discussionem* conscientiam habent in confessione recenseri.

reperit, se plura peccata mortalia omisisse quam dixisse. gravis negligentiae reus habendus est: si multo plura confessus est quam omisit, non gravem negligentiam commisisse censendus est[1]).

2. Non requiritur tamen, ut diligentia in examinando sit summa, qualem cautissimus quisque in re summi momenti adhibere solet: hoc enim nimis difficile foret et sacramentum adeo necessarium redderet odiosum; sed sufficit, ut sit *mediocris*, qualem homines prudentes in re magni momenti adhibere solent: examen enim institui debet *humano* modo, ne sacramentum reddatur nimis grave et onerosum.

Qui ergo existimat, fore ut plura peccata mortalia sibi forte occurrant, si diutius et diligentius inquisierit, non tenetur amplius inquirere: si enim ad maiorem diligentiam teneretur, nunquam quietus esse posset et ad summam diligentiam adigeretur. Et si cui post confessionem occurrant peccata in confessione omissa, si tamen conscientia ipsum non remordet de culpabili negligentia, iudicare potest et debet, eadem esse inculpabiliter omissa; quare sufficit haec sola in proxima confessione accusare, quin integra confessio repetatur. Ex his etiam sequitur, nullam esse obligationem de anteacta vita ulterius cogitandi, sed conscientia non remordente quisque persuasum sibi habeat, se in confessione satisfecisse; et si peccatum occurrat, de quo dubitet, an fuerit in confessione expressum, praesumere potest et debet, iam fuisse cum aliis accusatum, et solum ubi certo constat, legi confessionis nondum esse satisfactum, illud accusare tenetur.

3. Diligentia in examine conscientiae requisita in diversis diversa est. Ad eandem diiudicandam attendendum est:

a. Ad statum conscientiae habitualem: qui raro peccatum grave comittit, praesertim si quotidie conscientiam suam nonnihil examinare solet, brevi examine quinque circiter minutorum contentus esse potest: eum enim, qui timoratae est conscientiae, non potest latere gravis culpa, si quam admiserit. Et licet, qui moraliter certi sunt, se graviter non peccasse, stricte ad examen non teneantur, breve tamen eiusmodi examen his quoque suadendum est, ut defectus suos veniales cognoscant. Pro eo autem, qui

[1]) *Stoz*, Instr. Conf. n. 320.

variis criminibus est implicitus, longius certe examen requiritur.

b. Ad diversitatem temporis, quod ex ultima confessione elapsum est: qui enim diu non est confessus, certe diutius se examinare debet, quam qui ante breve tempus est confessus.

Iis, qui a longiori tempore (a tribus vel etiam sex mensibus) non sunt confessi, et vitam potius uniformem degunt, hanc praxim examinis proponit *P. Gobat:* „Considerent tria tempora: 1. unum diem ferialem, quid in illo fecerint; 2. unum diem festum simili modo; tempora extraordinaria itinerum, negotiorum, nuptiarum, conviviorum, occasionum etc.“[1]). De examine militis, qui integro anno non est confessus, censet *Elbel* (n. 156): „debuisset ad minimum per horae spatium circiter huic operi vacare et se examinare per singula decalogi et ecclesiae praecepta, item praecipuas peccandi occasiones vitiosasque consuetudines diligentius revolvere“.

c. Ad diversam poenitentium instructionem: homines enim instructi et exculti ad accuratius examen tenentur, quam rudes et parum exculti.

Si poenitentes, qui satis instructi sunt, imparati ad confessionem accedant, possunt dimitti, ut examinata conscientia redeant, praesertim si de longiori confessione agatur; impossibile enim est, ut quis repente interrogatus de omnibus statim recordetur: nam ad examen conscientiae per se poenitentes tenentur; ad confessarium solum pertinet iudicium de examinis sufficientia. Si tamen adiuncta aliud suadent, praesertim si timendum est, ne dimissi ad confessarium non amplius redeant, praestat statim illos in examinanda conscientia iuvare. Quodsi poenitentes sint rudes, non facile dimittendi sunt, ut conscientiam suam ipsi examinent; sed confessarius onus examinandi in se suscipiat. Paucis enim interrogationibus ipse plus obtinebit, quam illi ipsi, si sibi sint relicti, longo examine praestare possunt. Advertat autem confessarius, se non teneri ad procurandam maiorem integritatem in rudibus, quam ipsi sese examinando obtinere possent.

127. *De repetitione confessionis.* Confessiones, in quibus aliquis defectus occurrit, possunt esse certo validae sed incompletae, quia peccatum vel ex ignorantia vel ex alia iusta causa omissum fuit, aut possunt esse invalidae.

1. Confessio *valida sed incompleta* non est necessario tota repetenda, sed solum supplendus est defectus: peccata

---

[1]) Exper. theol. tr. 6. n. 498.

enim in confessione exposita iam sunt directe remissa; ea autem, quae nondum accusata fuerant, clavibus subiici debent, ut vi absolutionis directe remittantur.

2. Confessio *certo invalida* semper tota repetenda est, quia peccata in confessione invalida declarata nondum rite per claves ecclesiae remissa sunt. Si autem confessio *probabiliter* tantum *invalida* fuit, repetitio suaderi, at stricte imponi non potest: non enim est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet; lex autem, cui probabiliter iam est satisfactum, non est amplius certa.

3. Quando repetitio confessionis invalidae fit apud alium confessarium, qui invalidam non audivit, sine dubio confessio tota repetenda est; si autem fit apud eundem confessarium, qui invalidam exceperat, attendendum est ad cognitionem praecedentis confessionis, quam confessarius adhuc habet.

a. Si peccatorum adhuc memor est, non est necesse omnia peccata singilatim repetere, sed sufficit in genere se accusare de omnibus, quae in alia vel in aliis confessionibus iam declarata sunt, additis in particulari iis, quae necessario addenda sunt.

b. Si confessarius in confuso tantum recordetur status poenitentis, non autem singulorum peccatorum in specie et numero et poenitens singula reiterare nolit, adhuc sufficit summaria illa repetitio: nam hinc quidem poenitens praecepto divino confitendi per accusationem, quae fuit sacramentalis licet invalida, iam satisfecit, ergo sufficit, ut suppleat defectum, ob quem confessio fuerat invalida, vel dolorem scilicet vel peccata omissa; inde vero confessarius ex hac generica accusatione ad illam causae cognitionem pervenire potest, quae hic et nunc ad conferendam sacramentalem absolutionem requiritur; de singulis autem peccatis iam sacramentaliter iudicavit.

c. Si confessarius ne in confuso quidem recordetur status poenitentis, et hic totum repetere nolit, requiritur et sufficit, ut confessarius ad confusam hanc notitiam de-

veniat e. g. ex poenitentia imposita vel ex remediis prae scriptis etc., quia poenitens singula in sacramentali con fessione iam declaravit et confessarius de singulis iam sacramentale iudicium tulit.

128. Ut facilius discerni possit, num confessio revera fuerit invalida adeoque repetenda, advertendum est, confessionem posse esse invalidam ex parte confessarii et ex parte poenitentis.

Ex parte quidem confessarii 1. si caret iurisdictione; 2. si formam substantialiter mutat; 3. si non intendit absolvere; 4. si nullum peccatum intelligit, quia non habet materiam, quam absolvat. Attamen defectus ex parte confessarii saluti poenitentis, qui defectum ignorat, raro obesse potest: in sequenti enim confessione indirecte remittuntur peccata, a quibus antea sine culpa non fuerat absolutus.

a. Confessio, quae bona fide fit confessario, qui inter mortale et veniale discernere non potest, vel qui aliquod peccatum mortale iudicat esse veniale, valida est, modo poenitens peccata sua fideliter exposuerit: nam poenitens ex parte sua omnia peccata reipsa clavibus subiecit; ex parte autem confessarii ad valorem sacramenti, et ad directam peccati remissionem non requiritur, ut vere iudicet hoc esse mortale. Qui autem de industria quaerit confessarium indoctum vel surdum aut surdastrum, ne ipsius peccata, ut par est, a confessario intelligantur, ex defectu dispositionis invalide confitetur.

b. Confessio, quae bona fide fit confessario, qui ob surditatem, somnum, distractionem aliqua peccata mortalia non intellexit, est valida ideoque non necessario repetenda, si poenitens id non certo sciat, aut sciat quidem, quaedam peccata in prolixa confessione non fuisse intellecta, sed nesciat quaenam illa sint, quia de singulis probabile est, ea fuisse intellecta, quare nulla existit obligatio illa denuo confitendi. Si tamen poenitens sciat, quaenam peccata non perceperit confessarius, ea in sequenti confessione explicare tenetur, quia illa peccata non percepta non sunt clavibus subiecta nec directe remissa.

Ex parte autem poenitentis confessio potest esse invalida 1. si vero dolore et proposito caruit; 2. si peccatum mortale scienter reticuit; 3. si in re gravi mentitus est, falso emendationem promisit, 4. si in examinanda conscientia ex negligentia graviter peccavit. Confessiones, in

quibus eiusmodi defectus occurrit, sine dubio invalidae sunt et repetendae.

a. De confessionum valore saepius dubitari potest ex defectu doloris et propositi ob frequentes relapsus in idem peccatum; verum de hac re inferius, ubi de recidivis.

b. Poenitentes, qui timent, ne diu invalide confessi sint, quin tamen certum timoris fundamentum sciant, nihil repetere debent, praesertim si sint timoratae conscientiae et diligentiam in confessionibus adhibere soleant.

c. Qui fatentur, se peccatum omisisse in iuventute vel pueritia patratum, interrogandi sunt, an tunc, quando patratum fuit, sciverint esse peccatum et quidem grave, an vero postea tandem id cognoverint: quod enim, quando patratum est, putarunt leve vel nullum peccatum esse, non debet postea necessario declarari, multo autem minus aliae confessiones iterandae sunt.

d. Qui fatetur, se peccatum, quod pro mortali habuit, scienter in confessione reticuisse, vel numerum vel circumstantiam necessario declarandum culpabiliter omisisse, non tenetur repetere confessiones intermedias bona fide et rite peractas, quia e. g. defectus ex oblivione vel ignorantia in sequentibus confessionibus inculpabiliter non fuit reparatus: confessiones enim intermediae omnes validae erant.

Articulus quintus.

De absolutione moribundorum.

129. In absolvendis moribundis, praesertim iis, qui sensibus destituti sunt, triplex difficultas attendenda est: defectus integritatis confessionis, defectus dispositionis et defectus doloris et accusationis sensibilis.

1. A *praecepto integritatis* moribundi excusantur propter impotentiam vel physicam vel moralem.

Hinc *a.* si moribundus dicto uno vel altero peccato deficiat vel sensibus destituatur, interim absolvendus est. *b.* Pariter si infirmus sine gravi detrimento sanitatis vel sine magna difficultate longiorem confessionem instituere nequit, auditis peccatis, quae sine nimia difficultate accusare potest, absolvendus est. *c.* Si infirmus ob capitis debilitatem accuratius examen conscientiae instituere nequit, auditis iis, quae sine examine declarare potest, absolvendus est. *d.* Imo si solum in genere aut verbis aut aliis signis declarare potest, se peccasse, absolvendus est, et quidem absolute, nisi ex alia ratione, addenda sit conditio; attamen in omnibus hisce casibus postea omissa suppleri debent, si id fieri potest.

2. Quod *dispositionem* attinet, haec in moribundis sensibus destitutis semper supponitur, nisi certo constet, eandem deesse. Ideo (sub conditione) absolvuntur *a.* non solum illi, qui christiane vixerunt, etsi antequam sensibus destituerentur, nullum signum poenitentiae dederint; sed *b.* etiam illi, qui parum christiane vixerunt; imo *c.* etiam illi, qui in ipso actu peccati e. g. in duello, in furto, ex suicidio etc. sensibus destituti sunt. Fieri enim potest, ut habeant lucida intervalla, in quibus suum statum cognoscunt et elicito actu doloris cum Deo reconciliari per absolutionem desiderant. Quodsi ergo sufficienter dispositi esse *possunt*, in hac extrema necessitate eos absolvere licet.

Illi ergo in morte absolvi non possunt, in quibus actus poenitentiae rationabiliter supponi nequit, vel ut Rituale romanum habet: „impoenitentes et qui in manifesto peccato mortali moriuntur"[1]). Huiusmodi autem sunt imprimis, qui usque ad illud tempus, quo sensibus destituuntur, ministrum ecclesiae eiusque sacramenta expresse reiecerunt; deinde etiam illi, qui impie vixerunt et scienter usque ad extrema vitae momenta in peccato et impoenitentia perseverant, licet sacramenta ecclesiae, quae ipsis oblata non sunt, non reiecerint.

3. Quod tandem *signa sensibilia* dolorem et confessionem manifestantia attinet, haec in moribundis non sunt anxie quaerenda: nam cum sententia scotistica, quae docet actus poenitentis non esse materiam proximam sacramenti, non careat probabilitate, in extrema necessitate etiam illi absolvi possunt, qui nullum signum doloris et confessionis dederint: in extrema enim necessitate sufficit quaevis probabilitas de valore sacramenti, ut licite administrari possit.

Ideo *a.* absolvendi sunt moribundi, non solum si signa doloris et confessionis manifestant coram confessario verbis (dicendo e. g. se dolere de peccatis vel se petere veniam) vel nutibus (tundendo pectus, cum suspiriis elevando oculos vel manus); sed *b.* etiam si signa doloris manifestarunt coram aliis (e. g. petendo confessarium), qui id confessario testentur. etsi coram confessario nullum amplius signum edere possint[2]); imo *c.* etiam

---

[1]) Cf. infra de extrema unctione n.

[2]) Sunt qui exigant, ut alii *saltem coram infirmo* dent testimonium de signis doloris, ne sacerdos videatur absolvere eum, qui absenti confessus est; verum etsi sacerdoti absenti detur testimonium de signis do-

si nec antea absente confessario absolutionem petierunt nec nunc praesente confessario signum ullum dederunt: in hoc enim casu vel pie praesumendum est, moribundum sensibus destitutum desiderium absolutionis interius conceptum exterius manifestare (cum aliter non possit) suspiriis, lacrimis, elevatione oculorum aliisque motibus, vel dicendum est, nullum signum externum requiri, ut licite absolvi possit. *d.* Si tandem moribundus nullum signum dedit, nec ullum praesumi potest, ex praxi ecclesiae adhuc licite absolvitur. Ideo quia homo post ultimam expirationem, post quam vulgo censetur mortuus, signa vitae per breve tempus plerumque adhuc exhibeat, licite (sub conditione: *si vivis*) intra quinque circiter minuta absolvi vel inungi potest, si sacramentum ipsi censeatur esse necessarium [1]).

Quaestio tertia.

De satisfactione.

Articulus primus.

De natura satisfactionis.

130. 1. Satisfactio generatim est compensatio iniuriae alteri illatae; satisfactio autem *sacramentalis* est opus poenale a confessario in sacramento poenitentiae in compensationem pro peccatis impositum.

Poenale: eo solum offensam et iniuriam Deo per peccatum illatam compensare et vindicare possumus, quod aliquod opus bonum Deo quidem gratum nobis autem molestum et afflictivum peragimus. Omne autem opus bonum naturae lapsae de facto est poenale et laboriosum. *A confessario impositum:* licet enim alia opera poenitentiae, quae propria voluntate assumuntur vel a Deo immittuntur, habeant meritum satisfactorium; non sunt tamen satisfactiones sacramentales, ideoque proprium ha-

---

loris, infirmus absolvi potest saltem conditionate: nam Rituale rom. (n. 24) haec habet: *si (infirmus) confitendi desiderium sive per se sive per alios ostenderit, absolvendus est.* Insuper non videtur esse prohibitum, ut absolvatur praesens, qui absens confessus est, saltem si agitur de moribundo. Cf. supra n. 104. 2.

[1]) Cf. P. *Villada*, Casus conscientiae p. 3. p. 235 ss.

rum effectum non producunt. Siquidem istae effectum suum, remissionem poenae temporalis pro peccatis remissis debitae, producunt ex opere operato, quia satisfactio est pars integralis sacramenti poenitentiae a Christo instituta, ut peccatum etiam quoad poenam plene remittatur et deleatur.

2. Satisfactio duplicem finem semper intendit: ipsa peccata punire eisque mederi debet; finis tamem eiusdem proprius et primarius prior est sc. expiatio peccatorum. Quia ergo satisfactio *vindicativa* est, aliquam saltem castigationem pro peccatis commissis, et quia *medicinalis* est, aptum remedium contra relapsus continere debet. Revera omne opus bonum, quod iniungitur, ad utrumque finem obtinendum aliquo modo conducit: nam omne opus bonum non solum poenale atque adeo vindicativum, verum etiam meritorium gratiarum ideoque medicinale est.

3. Hinc satisfactio sacramentalis, ut effectum suum producat, a poenitente peragenda est in statu gratiae: in statu enim peccati non potest compensari et remitti poena temporalis. Poenitens autem, qui satisfactionem a confessario sibi iniunctam implet in statu peccati, satisfacit quidem praecepto, quia totum opus sibi iniunctum ponit; eius finem autem non attingit. Si tamen postea statum gratiae recuperaverit, non improbabiliter effectum ipsum obice remoto obtinet, quia poenitentia sacramentalis effectum suum non producit ex meritis poenitentis, sed ex opere operato: etenim ipsa est pars integralis sacramenti. Poenitentiam implere in statu peccati, omnes concedunt, non esse grave peccatum; plerique autem affirmant, nullum esse peccatum, quia solum poenarum remissioni obicem ponere, culpa vacare videtur.

Articulus secundus.

De satisfactione imponenda.

131. 1. Confessarius per se sub gravi tenetur poenitenti *imponere satisfactionem:* nam tamquam minister sacramenti tenetur, quantum in se est, procurare non solum quae ad essentiam, sed etiam quae ad integritatem per-

tinent. Insuper concilium trid. id conceptis verbis praescribit[1]), ex quibus colligitur voluntas Dei exigentis, ut per sacramentales poenitentias peccata expientur. Hinc confessarius certe peccaret, si nullam prorsus poenitentiam imponeret, attamen leviter tantum, si pro venialibus aut pro mortalibus iam remissis nullam imponeret, quia officio suo in re levi deesset[2]).

2. Confessarius tenetur etiam per se sub gravi imponere *poenitentiam qualitati criminum convenientem;* cuius quidem obligationis ratio non est necessitas integrandi sacramentum, sed voluntas Dei, qui exigit, ut peccator debita sua erga divinam iustitiam etiam per sacramentalem satisfactionem exsolvat, nisi sufficiens causa excuset. Ideo confessarius, qui sine iusta causa pro gravibus delictis levissimam poenitentiam imponeret, certe peccaret.

3. Quantitas poenitentiae imponendae generali regula determinari non potest, sed relinquitur prudentiae et iudicio confessarii, qui in determinanda poenitentia iuxta concilium trid. ad haec tria attendere debet: *a.* Ut sit aliquo modo proportionata gravitati peccatorum; tenetur ergo ordinarie saltem pro gravibus gravem, pro venialibus levem poenitentiam imponere, et quo plura et graviora sunt peccata, eo gravior debet esse poenitentia. Attamen non requiritur, ut quantitas poenitentiae gravitati peccatorum mathematice commensurata sit, ut e. g. pro centum gravibus delictis poenitentia centuplo maior iniungatur, id quod est impossibile, sed sufficit, ut, quo graviora sunt delicta, moraliter etiam gravior poenitentia imponatur. *b.* Ut sit conveniens qualitati peccatorum; ergo contrarias peccatis poenitentias iniungat, avaris e. g. eleemosynam, libidinosis carnis afflictiones, desidiosis devotionis studia etc.[3]). Quod non ita intelligendum est, quasi pro singulis

---

[1]) Sess. 14. c. 8. haec leguntur: Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et ponitentium facultate salutares et convenientes satisfactiones iniungere.

[2]) Cf. *Lugo* disp. 25. n. 49.

[3]) *Rituale rom.* tit. 3. c. 2. n. 19.

peccatis alia poenitentia iniungenda sit, sed ut peccato, in quod poenitens saepius relabitur, quantum fieri potest, contraria poenitentia iniungatur. *c.* Ut sit conveniens qualitati (statui, aetati, sexui, conditioni et dispositioni) poenitentis. Ex hac ratione fit, ut poenitentiae plerumque non possint esse congruae qualitati peccatorum et de facto vix aliud iniungi possit, quam oratio. Ceterum, ut notat *Ballerini,* fervens oratio est medicina vel obtinet medicinam cuilibet malo morali [1]).

Ex hodierna praxi ecclesiae poenitentia gravis esse censetur, quae respondet operi, quod sub gravi ab ecclesia iniungitur, vel quod sub gravi obligaret, si praeciperetur. Hinc satisfactio gravis erit missam audire, ieiunare, recitare quinque decades rosarii, officium parvum b. Virginis, litanias sanctorum cum precibus, susceptio sacramentorum, eleemosyna pro conditione status non parva et similia; gravis autem non censetur, si psalmus *Miserere* vel sex Pater et Ave tantum imponantur.

4. Licet vix unquam concedi possit, ut nulla poenitentia iniungatur (neque moribundis nisi sint sensibus destituti), praesertim propter reverentiam sacramento debitam, quae postulat, ut eius integritas servetur; existunt tamen causae, propter quas modicam pro gravibus sacerdos imponere possit. Sunt fere sequentes:

a. Si poenitens sit infirmus corpore aut valde debilis mente, ut adeo iustam pro peccatis poenitentiam solum aegre et difficulter implere possit.

b. Si timendum sit, ne poenitens maiorem poenitentiam non adimpleat, vel ob graviorem a confessione avertatur. Hinc si quando gravior poenitentia imponenda esset, consultum erit poenitentem interrogare, an poenitentiam iniunctam implere possit, et si non potest, immutanda vel minuenda erit; praestat autem poenitenti indicare causam, ob quam levior poenitentia imponatur.

c. Si poenitens valde contritus videatur: vehemens enim contritio tantae virtutis est, ut poenam temporalem vel omnem vel magnam partem deleat; vel si poenitens aliunde sit bonis operibus intentus, quibus pro peccatis satisfaciat.

d. Si adsit occasio lucrandae indulgentiae extraordinariae; per hanc enim iam satisfit debitae poenae; vel si poenitens sit sedulus in lucrandis indulgentiis etiam non plenariis, ut fere contingit in iis, qui adscripti sunt confraternitatibus et diligenter perficiunt preces et opera praescripta.

e. Si confessarius partem poenitentiae in se suscipiat luendam.

---

[1]) *Ballerini-Palmieri* n. 540.

5. Poenitentia ordinarie *imponenda est ante absolutionem*, quia id multo convenientius est: sic enim servatur ordo iudicii, qui exigit, ut reus prius spondeat satisfactionem, antequam absolvatur. Cum tamen huius ordinis nulla sit necessitas, poenitentia iniungi potest etiam post absolutionem, et tum post absolutionem iniungi omnino debet, si confessarius antea nullam iniunxit.

6. *Poenitentiae incongruae* vel universim vel pro certis poenitentibus sunt exempli gratia sequentes:

a. Poenitentiae perpetuae vel ad tempus diuturnum: ad annum, ad quinque menses, quandoque etiam ad mensem propter periculum oblivionis. Item poenitentiae ex pluribus iisque diversis operibus compositae tum propter periculum oblivionis tum ne poenitens nimiis operibus gravetur, si forte a pluribus confessariis tales poenitentiae imponantur.

b. Poenitentiae publicae, praesertim vero poenitentiae, quae adimpleri nequeunt, quin confessionis revelatio sequatur. Etenim pro peccatis occultis non licet poenitentiam publicam imponere, et licet pro publicis publica poenitentia imponi posset, ex hodierna tamen praxi confessarius ab illa iniungenda abstinere debet, si non est necessaria; necessaria autem vix unquam erit: nam solum ad reparandum publicum scandalum necessaria esse posset; atqui publicum scandalum alia ratione reparari potest scilicet vita vere christiana et bono exemplo, quod aliis aedificationi sit.

c. Ieiunia pro pueris, rusticis, opificibus, qui continuo labore defatigati sunt, pro filiisfamilias, qui ieiunando admirationem, forte etiam offensionem parentum excitarent.

d. Prolixae preces, peregrinationes aut eleemosynae pro mulieribus, quae sub potestate viri constitutae sunt.

e. Poenitentiae naturae repugnantes, ut lingua signare crucem in terra, invisere inimicos. Imprudenter etiam imponitur pueris, ut veniam petant a parentibus vel ab aliis ob inobedientiam aut ob furtula, quia timendum est, ne opus iniunctum omittatur et confessio reddatur odiosa.

132. *Opera, quae pro poenitentia iniungi possunt:*

1. Quoniam homini in hoc statu naturae lapsae omne opus bonum, etiam *internum,* est poenale, pro poenitentia iniungi possunt etiam actus mere interni, ut actus fidei, spei et caritatis, meditationes, examina conscientiae, actus contritionis etc.; opera tamen externa, ut orationes vocales, visitationes templorum etc. illis praeferenda sunt, quia magis laboriosa ideoque ceteris paribus etiam magis satisfactoria sunt.

2. Iniungi potest opus iam *aliunde debitum:* eiusmodi enim opus ex se est satisfactorium et potest per claves ecclesiae ad meritum satisfactionis sacramentalis elevari.

Ordinarie quidem omnino convenit, ut imponantur opera supererogatoria, aliquando tamen ob fragilitatem poenitentis consultum est, imponere opus iam alias praeceptum; poenitenti e. g., qui praecepta ecclesiae non servat, utiliter potest iniungi, ut usque ad sequentem confessionem diebus festis missam audiat, abstinentiam et ieiunium observet etc. Quod si confessarius iniungat auditionem missae vel ieiunium, semper intelligitur opus non praeceptum, nisi ex verbis confessarii vel ex adiunctis aliud constet.

3. Potest confessarius *omnia opera bona poenitentis,* quae determinato tempore (hac hebdomada, hoc mense, hoc adventu, hac quadragesima) facturus est, in satisfactionem imponere e. g. totum ieiunium quadragesimale, divinum officium unius mensis, eleemosynas solitas etc., quod praesertim expedit in iis, quibus ob fragilitatem vel alias occupationes digna peccatis poenitentia imponi non potest.

4. Potest confessarius iniungere bona opera a poenitente *pro defunctis offerenda;* quod si fiat, defunctis applicatur fructus satisfactorius, quem opus iniunctum habet ex opere operantis; fructus autem, quem opus poenitentiae habet ex opere operato, manet poenitenti. Pari ratione si imponatur opus offerendum e. g. pro ecclesia, pro conversione peccatorum, pro agonziantibus etc., intentio est, ut impetratio operis alteri cedat, satisfactio autem tota poenitenti maneat.

5. Potest etiam imponi, saltem probabiliter, poenitentia aliqua *sub conditione relapsus,* e. g. si iterum te inebrias, ieiunabis. In hoc enim casu poenitentia esset veluti disiunctiva: vel adhibebis magnum omnino conatum ad resistendum tentationi, vel ieiunabis. Expedit tamen, ut modica saltem poenitentia absolute imponatur.

Articulus tertius.

De satisfactione implenda.

133. 1. Poenitens per se sub gravi tenetur acceptare et implere poenitentiam a confessario impositam, nisi sit irrationabilis. Confessarius enim tamquam iudex potestatem habet praecipiendi, cui potestati in poenitente respondet obligatio obtemperandi; et si ille rem gravem praecipit, hic sub gravi obtemperare debet. At non tenetur implere poenitentiam, quando invalida fuit absolutio: tunc enim sententia sacramentalis nulla fuit, ideoque nullum etiam sacramentum integrandum est; insuper pro iisdem peccatis bis satisfacere teneretur.

Nisi sit *irrationabilis:* poenitentiam non rationabilem i. e. iusto graviorem aut difficiliorem poenitens non tenetur acceptare nec implere; et si vere sit iniusta aut moraliter impossibilis (e. g. poenitentia publica, ingressus in religionem, ieiunium in pane et aqua, quod attenta praxi hodierna et fragilitate hominum irrationabile esset etc.) et confessarius eam nolit mitigare, licite potest sine absolutione recedere et alium confessarium adire.

Qui ergo poenitentiam gravem vel totam vel notabilem eius partem scienter omittit, graviter, et qui poenitentiam levem sive pro levibus sive pro gravibus impositam vel gravis poenitentiae partem non notabilem omittit, venialiter peccat. — Patet poenitentem, qui factus est impotens, non obligari ad implendam poenitentiam. — Qui poenitentiae impositae oblitus est et confessarium illius adhuc memorem commode consulere nequit, non tenetur quidquam praestare, nec confessionem repetere, ut aliam poenitentiam accipiat, sive culpabiliter sive inculpabiliter illius oblitus sit: sufficit, ut culpabilem oblivionem confiteatur.

2. *Quando persolvenda sit. a.* Si poenitentiae implendae a confessario praefixum fuit certum tempus, eodem etiam impleri debet. Qui tempore determinato poenitentiam non persolvit, non deobligatur, quia tempus non determinatur ad finiendam obligationem. Termini praefiniti dilatio tamen non est mortale peccatum, modo iniuncta poenitentia persolvatur; nam praeceptum confessarii primario rem ipsam

praestandam respicit et secundario tantum circumstantiam temporis.

b. Poenitentia iniuncta sine praefinito tempore impleri debet, quam primum fieri commode potest. Dilatio poenitentiae levis qualiscunque nunquam est grave peccatum; dilatio vero poenitentiae gravis grave peccatum est in duplici casu: si praevideatur impotentia eam postea implendi, et si existat periculum oblivionis; per dilationem autem duorum vel trium mensium facile huic periculo quis se exponit. Valde suadendum est omnibus, ut poenitentiam statim post peractam confessionem persolvere assuescant, quia poenitentia est pars integralis sacramenti, quae diutius differri non debet.

3. *Quomodo persolvenda sit.* *a.* Poenitentia eo modo persolvenda est, quo, ut persolvatur, a confessario impositum fuerat; si ergo quaedam adiuncta addita fuerint, e. g. ut flexis genibus vel in ecclesia oratio fiat, etiam haec adiuncta impleri debent. Quale peccatum sit eorum omissio, pendet ab eorundem gravitate.

b. Poenitentia non potest impleri per alium; licet pro alio quis satisfacere possit, non potest tamen pro alio poenitentiam sacramentalem persolvere: cum enim poenitentia sit pars integralis sacramenti, ab ipso suscipiente persolvi debet, ideo damnata est proposito 15. ab *Alexandro VII.*[1])

c. Poenitens iniunctam satisfactionem persolvere potest etiam dum aliud opus praeceptum implet, e. g. dum missam die festo audit, iniunctum rosarium recitare potest.

d. Preces, quae ex praxi ecclesiae alternatim recitantur ut psalmi et rosarium, cum socio recitari possunt.

e. Intentio persolvendi poenitentiam alia non requiritur, nisi illa, quam poenitens habuit acceptando poenitentiam; hinc qui opus a confessario impositum implet, etsi non cogitet de poenitentia persolvenda, suae obligationi satisfacit et nihil repetere tenetur, quia semper prius censetur velle opus debitum praestare quam supererogatorium.

---

[1]) „Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat.“

134. *De poenitentia commutanda.* Duo praenotanda sunt, primo quidem commutationem, ut videtur, non fieri per revocationem prioris sententiae, sed per novum iudicium sacramentale alterius confessarii, cuius tribunal poenitens semper licite adire potest[1]); deinde vero ad commutationem licite faciendam adesse debere iustam causam, cuiusmodi est quaelibet spiritualis utilitas poenitentis. Quoniam autem licita commutatio semper fit ex iusta ratione, poenitentia non solum in aliam aequalem, sed etiam in minorem converti potest.

1. Poenitentiam a confessario impositam commutare non potest ipse poenitens neque in evidenter meliorem: ipse enim poenitentiam elevare non potest ad meritum satisfactionis sacramentalis; eandem autem commutare potest tum confessarius, qui eam imposuit: qui enim poenitentiam imponere, eandem etiam immutare potest, tum quilibet alius confessarius, quia quilibet eandem potestatem habet ideoque eandem causam iudicare potest.

Nec excipienda videtur poenitentia, quae propter reservata fuit imposita: ablata enim reservatione per priorem absolutionem, quilibet confessarius de peccato iudicare et pro ipso poenitentiam iniungere potest; insuper iure merito praesumitur consensus superioris.

2. Confessarius, qui poenitentiam imposuit, illam commutare potest etiam extra sacramentum, et quidem non solum immediate post absolutionem, antequam poenitens discedat, sed etiam quamdiu mutatio cum sacramentali iudicio moraliter unitur et unum iudicium constituit, quod sine dubio obtinet post plures adhuc dies, atque id facere potest confessarius sive peccatorum adhuc memor sit sive non sit, modo status poenitentis in confuso adhuc recordetur vel saltem ex poenitentia imposita illius confusam cognitionem accipiat: commutatio enim est actus iudicialis, qui sine ulla cognitione causae exerceri nequit.

3. Alius autem confessarius poenitentiam commutare non potest extra sacramentum, quia nullam habet potestatem sacramentalem in poenitentem nisi in tribunali

---

[1]) Cf. *Suarez,* disp. 38. sect. 10. n. 7.

poenitentiae dum exercet potestatem clavium; illam autem mutare potest in sacramento, etiamsi poenitens non repetat confessionem peccatorum, pro quibus imposita fuit, modo confusam saltem cognitionem peccatorum acquirat, qualem vel ex generica accusatione vel ex gravitate poenitentiae ab alio confessario impositae haurire potest. Non enim iudicium ferre debet de singulis peccatis, utpote iam antea declaratis et remissis; et ideo sufficit imperfecta illa causae cognitio, sine qua sacramentale iudicium fieri nequit. Et haec quidem mutatio fieri potest etiam post longum tempus, cum novum instituatur iudicium sacramentale a priore independens.

Quaestio quarta.

De indulgentiis.

Medium efficacissimum Deo satisfaciendi pro peccatis iam remissis praeter poenitentiam sacramentalem constituunt *indulgentiae,* quae cum satisfactionem sacramentalem suo modo compleant, de illis tum in genere tum de aliquibus in specie hoc loco agendum est.

Articulus primus.

De natura indulgentiarum.

135. 1. *Definitio. Indulgentia* definitur remissio poenae temporalis Deo pro peccatis quoad culpam iam remissis debitae per potestatem ecclesiae extra sacramentum concessa.

a. Per indulgentias non culpa nec poena aeterna, sed *poena temporalis* tantum remittitur, remittitur autem poena, quae deleta culpa et poena aeterna vel in hac vel in altera vita divinae iustitiae adhuc exsolvenda restat. *b.* Ecclesia indulgentias concedit, eo quod vi potestatis clavium satisfactiones Christi et Sanctorum fidelibus applicat; concessio itaque in-

dulgentiae est actus iurisdictionis ecclesiasticae, ad quam tamen exercendam potestas ordinis non requiritur, ideo s. pontifex et episcopi iam ante consecrationem indulgentias concedere possunt.

2. *Natura.* Ecclesiam habere potestatem concedendi indulgentias tam vivis quam defunctis, docent dogmatici; alia est autem ratio concessionis, quae fit vivis, et alia, quae fit defunctis: vivis enim applicantur *per modum absolutionis,* defunctis vero *per modum suffragii.*

Quandoquidem in praesenti ordine salutis non datur remissio culpae aut poenae sine satisfactione, ideo indulgentiae concedi non possunt sine aequivalenti solutione, quae pro poena remissa Deo exhibeatur. Haec solutio autem fit per applicationem satisfactionum Christi et sanctorum, quarum thesaurus in ecclesia depositus et b. Petro eiusque successoribus, ut dispensetur inter fideles, commissus est. Quoties ergo s. pontifex indulgentiam concedit, satisfactiones Christi et sanctorum ex thesauro ecclesiae applicat fidelibus tum vivis tum defunctis; et vivis quidem *per modum absolutionis:* vivi enim pontificis iurisdictioni subsunt, illos proinde vi potestatis clavium a poenis absolvere potest, quos dum absolvit simul solutionem ex thesauro ecclesiae Deo exhibet. Quare indulgentia vivis concessa „essentialiter est absolutio habens annexam solutionem ex thesauro ecclesiae". Defunctis autem applicat indulgentias *per modum suffragii:* defuncti enim non sunt pontificis subditi, quare eisdem indulgentiam eo solum applicare potest, quod Deo exhibet satisfactionem Christi et sanctorum et rogat atque exspectat, fore ut easdem Deus pro sua misericordia et liberalitate acceptet.

3. *An indulgentiae vivis applicari possint.* — Defunctis indulgentias, s. pontifice id concedente, applicare possumus; pro vivis autem indulgentias lucrari non possumus. De iure quidem et ex natura rei nihil prohiberet, quominus non solum pro se, sed etiam pro alio vivente indulgentiam lucrari quis posset; attamen de facto id fieri nequit. Nam summus pontifex, a cuius voluntate res ista dependet, concedit quidem, ut defunctis, at nullibi concedit, ut aliis viventibus applicari possint indulgentiae.

Ratio *primi* est, quia effectus, quem opus producit ex opere operato, non pro arbitrio operantis, sed solum ex concessione illius, qui operi effectum adnectit, alteri donari potest. Ratio *secundi* est, quia non expedit succurrere eis, qui, cum ipsi possint, indulgentias pro se lucrandas non curant. Hinc fallitur *Gury,* qui (n. 871) docet, quemque posse lucrari indulgentias pro quolibet alio christiano vivente.

4. *Effectus.* Indulgentiae vivis concessae certum quidem et infallibilem effectum habent: illos enim auctoritate sua ecclesia absolvit; indulgentiae autem defunctis applicatae, etiam positis omnibus conditionibus requisitis, non sortiuntur infallibilem effectum: etsi enim certum sit, indulgentias pro defunctis concessas ipsis prodesse; applicatio tamen determinatae indulgentiae tum quoad animam, cui applicatur, tum quoad mensuram, qua indulgentia eidem applicatur, a beneplacito Dei dependet: nam hinc quidem nulla existit promissio, qua Deus indulgentias pro certis defunctis oblatas se acceptaturum affirmaverit, inde vero fieri potest, ut ordo divinae providentiae impediat, quominus indulgentia determinatis defunctis vel tota vel etiam solum ex parte applicetur. Pie tamen sperare licet, Deum indulgentias, quae pro defunctis offeruntur, nedum acceptaturum, verum etiam illis ipsis, pro quibus offeruntur, ordinarie saltem applicaturum esse [1]).

136. *Divisio.* 1. Indulgentia alia est *personalis,* quae immediate personae sive physicae sive morali ut confraternitati vel etiam universim fidelibus independenter a certo obiecto vel loco pro piis operibus conceditur; alia *realis,* quae immediate alicui rei portatili annectitur ut rosario, numismati; alia *localis,* quae immediate pio loco affixa est ut ecclesiae vel rei, quae in determinato loco posita est ut altari, cruci, imagini etc.

a. Fideles, qui confraternitati legitime adscripti sunt, non privantur indulgentiis eidem concessis, eo quod confraternitatis statuta sive ex parte sive ex toto non observant, modo adimpleant opera pro indulgentiis lucrandis iniuncta [2]).

b. Indulgentiae reales applicari possunt solummodo rebus solidis: ferro, ligno, plumbo, etiam coronis ex vitro solido confectis; non autem rebus, quae facile frangi aut lacerari possunt ut papyrus, vitrum insufflatum, non solidum [3]); licet haec benedici possint.

Numismata, ut eis applicari possint indulgentiae, referre debent imaginem alicuius Sancti, nec sufficit imago alicuius Beati aut venerabilis viri, nisi simul adsit imago Sancti [4]).

---

[1]) Zeitschrift f. k. Th. 1893. S. 297.

[2]) *Decreta authentica* S. C. Indulgentiarum (Pustet 1883) n. 298.

[3]) Decr. auth. n. 249. [4]) Decr. auth. n. 32.

Coronae α. indulgentias non amittunt, si chorda rumpitur et grana denuo nectuntur; subiectum enim indulgentiae sunt grana; β. easdem non amittunt, si pauca tantum grana (4 vel 5) amittuntur et alia substituuntur; γ. si alteri commodantur ad indulgentias lucrandas, hae amittuntur, non autem si alteri commodantur simpliciter ad coronam recitandam et globulos numerandos.

Cruci ferenti crucifixum si indulgentia applicatur, subiectum indulgentiae est crucifixus, qui proinde in aliam crucem transferri potest, quin indulgentia amittatur.

c. Indulgentias reales diversis obiectis applicatas illi solum lucrari possunt, qui primi sunt illorum domini illisque reipsa utuntur. Ideo α. si quis plures res indulgentiis ditatas sibi comparat easque aliis ante usum donat, non amittitur indulgentia; β. si quis eiusmodi rem sibi donatam ante usum alteri donat, pariter indulgentia non amittitur; γ. si quis autem eiusmodi rem post usum alteri donat vel alteri commodat, ut is indulgentiam inde lucrari possit, indulgentia amittitur; δ. si quis rem benedictam et indulgentia ditatam vendit emitve, agit contra prohibitionem ecclesiae et efficit, ut indulgentia pereat, etsi pretium propter indulgentiam nullatenus augeatur aut solum titulo eleemosynae accipiatur [1]).

d. Possunt *plura obiecta* simul benedici eisque indulgentiae applicari. — Eidem obiecto possunt *plures indulgentiae* applicari; ergo eidem coronae applicari possunt indulgentiae apostolicae, s. Brigittae, Praedicatorum et Crucigerorum, ad eas tamen lucrandas renovanda sunt opera iniuncta iterabilia.

2. Indulgentia alia est *plenaria*, qua ex intentione concedentis tota poena temporalis remittitur; alia *partialis*, qua tantum determinata pars illius poenae remittitur.

a. Licet omnis indulgentia plenaria, quantum est ex parte concedentis, totam poenam temporalem delere possit, non tamen omnes eandem plene, sed quamplures solum *ex parte lucrantur:* in illis enim, qui nullam culpam neque venialem habent, omnes poenae delentur; in illis autem, qui adhuc aliquod veniale peccatum habent, remittuntur quidem poenae debitae pro culpis iam deletis, non autem illae, quae debentur culpae adhuc remanenti. Neque audiendi sunt, qui docent, indulgentiae plenariae illos nihil lucrari, qui eandem plene non lucrantur: in hac enim re omnia pendent ex voluntate concedentis; voluntas autem concedentis haec esse censetur, ut indulgentia valeat ex parte, quae tota valere non potest.

[1]) S. C. I. 16. iul. 1887.

b. Partiales indulgentiae olim concedebantur hac formula: *remissio dimidiae vel tertiae partis peccatorum;* nomine autem *peccati* stilo curiae romanae tunc *poenam* pro peccatis debitam significabant. Nunc conceduntur indulgentiae tot *dierum, annorum, quadragenarum,* quae non ita accipienda sunt, quasi his indulgentiis tantundem poenae purgatorii relaxaretur, sed significant tantum remitti poenitentiae canonicae, quae antiquitus pro peccatis imponi solebat et proinde consequenter tantum remitti poenae Deo debitae seu purgatorii, quantum per illas poenitentias deleretur, si reipsa peragerentur. Ergo per indulgentiam centum annorum tanta poena Deo debita relaxatur, quanta aequivalet poenitentiae canonicae centum annorum. Huius remissionis mensura, sicut antiquitus dependebat ex fervore poenitentis, ita nunc dependet a maiori vel minori devotione, qua conditiones pro indulgentia praescriptae adimplentur.

3. Indulgentia alia est *temporalis*, quae ad certum tempus limitata est, alia *perpetua*, quae semper durat donec revocetur. Indulgentiae, quae *indefinite* conceduntur, censentur esse perpetuae, nisi adsit aliqua regula apostolica limitationem declarans.

An quis possit eadem die plures easque diversas aut saepius easdem indulgentias lucrari.

a. Si indulgentiae sunt *partiales*, possunt fideles diversas operibus diversis vel eidem operi, quod saepius in die iteratur, adnexas lucrari, easdem autem tum solum *pluries* lucrari possunt, si in concessione additur *toties quoties.*

b. Si indulgentiae sunt *plenariae,* possunt fideles plures easque diversas eodem die lucrari, modo opera iniuncta (exceptis iis, quae repeti non possunt ut communio aut repeti non solent ut confessio) toties repetant, quot indulgentias lucrari cupiunt. Eandem indulgentiam plenariam *pluries* lucrari non possunt, nisi id in concessione expresse declaretur. Indulgentia enim plenaria pro determinato opere

concessa semel tantum in die acquiri potest. Et haec quidem est regula, quam ecclesia in hac re servare solet[1]), ut adeo raro tantum exceptio fiat, ut pro indulgentia, quae dicitur *Portiunculae.* Patet autem, neminem indulgentiam plenariam sibi pluries lucrari posse; potest autem quisque plurium indulgentiarum, quas lucratur, unam sibi, alias defunctis applicare.

137. *Quis concedere possit.* 1. Indulgentias concedere potest, qui ad hoc ordinariam vel delegatam potestatem habet.

a. Summus pontifex isque solus iure ordinario concedere potest fidelibus totius orbis indulgentias tum plenarias tum partiales pro vivis et pro defunctis: ipsi enim soli concessae sunt claves thesauri ecclesiae cum plenissima potestate ex eodem fidelibus dispensandi.

b. Episcopi, qui iurisdictione potiuntur, iure quidem ordinario (ex Lateran. IV. can. 62. officio eorum annexo) suis subditis concedere possunt indulgentias easque perpetuas, at pro vivis tantum et solum partiales: scilicet in dedicatione alicuius ecclesiae unius anni, aliis autem temporibus 40 dierum. Insuper prohibetur, ne alia nova indulgentia eidem obiecto vel eidem actui pietatis per successorem episcopi adnectatur. Idem possunt etiam *Archiepiscopi* per provinciam suam.

c. Cardinales in ecclesiis sui tituli potestate delegata indulgentias 100 dierum concedere possunt.

d. Nuntii apostolici subditis legationis suae potestate delegata concedere possunt indulgentias 100 aut etiam plurium dierum, nunquam autem usque ad annum.

e. Praelati, Episcopi titulares, Vicarii capitulares sede vacante et alii episcopis inferiores nil possunt quoad indulgentias, nisi a summo pontifice vel ab episcopo delegatam potestatem habeant.

Articulus secundus.

De conditionibus indulgentiarum lucrandarum.

138. Conditiones universales, quae in omnibus indulgentiis lucrandis pro eo, qui easdem lucrari cupit, requiruntur, sunt quatuor:

---

[1]) S. C. I. 7. mart. 1678. Ideo sacerdotes binantes pro oratione *En ego* semel tantum indulgentiam lucrantur. 20. iun. 1892.

1. *Ut sit subditus concedentis:* nam concessio indulgentiae est actus iurisdictionis, quae exerceri non potest nisi in subditum; quare indulgentias, quae ab episcopis conceduntur, lucrari non potest, qui non est concedentis subditus. Excipiendae tamen sunt indulgentiae, quae ab episcopo generatim concessae sunt visitantibus ecclesiam, altare, imaginem etc.: has enim ex consuetudine a rom. pontifice probata etiam peregrini lucrari possunt[1]).

2. *Ut sit in statu gratiae,* et si ad lucrandam indulgentiam plura opera praescripta sunt, ut saltem ultimum in statu gratiae peragatur: poena enim temporalis remitti non potest, nondum remissa culpa et poena aeterna; et ratio secundi est, quia indulgentia acquiritur eo ipso instanti, quo opus a concedente praescriptum completur.

Hanc conditionem ecclesia indicat, dum indulgentias concedere solet *corde contritis* vel iis, qui *corde saltem contrito* determinatum opus fecerint: nam haec verba aliud non significant nisi: ad lucrandam indulgentiam requiri statum gratiae, et si non habetur, per contritionem comparari debere; quocirca qui in statu gratiae iam existit, non debet necessario actum contritionis elicere[2]).

3. *Ut habeat intentionem eas lucrandi:* beneficium enim non datur nisi volenti; sufficit autem intentio habitualis saltem implicita i. e. intentio sive expresse sive implicite habita et nunquam retractata; quare ad lucrandam indulgentiam non requiritur cognitio, tali operi, quod peragitur, adnexam esse indulgentiam. Hinc etsi valde suadendum sit, ut quotidie mane eliciatur intentio lucrandi omnes indulgentias, quae per opera interdiu facta obtineri possunt, id tamen necessarium non est.

4. *Ut adimpleat opera ab ecclesia praescripta:* haec enim opera rationem conditionis habent, sub qua indulgentiae conceduntur, ideo effectum suum non sortiuntur, nisi conditione eaque integre impleta, nec error nec ulla bona fides in hac re excusat. Quare si vel una pars no-

---

1) *Ballerini-Palmieri* n. 22.

2) Decr. auth. n. 427.

tabilis omissa fuerit ex quacunque etiam rationabili causa nihil de indulgentia obtinetur; effectui autem non obest, si exigua pars operis iniuncti omittitur e. g. in rosario unum Pater et Ave, quia opus quoad substantiam adhuc perficitur.

5. Ad valorem indulgentiarum requiritur in concedente *iusta et proportionata causa concedendi* praeter utilitatem fidelium, quae proinde eo maior esse debet, quo maior est indulgentia, quae conceditur: nam etiam summus pontifex non est dominus, sed solum dispensator thesauri ecclesiae.

a. Sunt, qui dicant, ad valorem indulgentiae sufficere illam causam, quam concedens iustam et proportionatam esse prudenter iudicaverit; haec tamem Suarii sententia valde probabilis, at omnino certa non est [1]). Ergo absolute fieri potest, ut indulgentia concessa (saltem ex parte) sit invalida, quia causa concedendi coram Deo non est sufficiens; attamen fideles semper supponere debent, concessae indulgentiae causam esse iustam.

b. Eiusmodi causa plerumque est opus, propter quod indulgentia conceditur, non tamen nude in se spectatum, sed illud opus quatenus in determinatis adiunctis in gloriam Dei et in aliorum aedificationem cedit. Inde est, ut vix unquam concedatur indulgentia, quin aliquod pium opus ad eam lucrandam praescribatur.

6. *Ad lurandam indulgentiam pro defunctis* requiritur *a.* concessio pontificis, ut possit defunctis applicari: propria enim voluntate nemo potest indulgentiam alteri applicare sive vivo sive defuncto; *b.* intentio saltem habitualis easdem applicandi defunctis: summus pontifex enim solum concedit, ut applicari *possint,* easdem vero defunctis non ipse applicat; applicari autem possunt vel singulari animae vel pluribus vel omnibus animabus fidelium in purgatorio existentium; *c.* an ille, qui indulgentiam defunctis applicat, in statu gratiae esse debeat, ut ipsis prosit, non constat; nec congregatio indulgentiarum de hac re interrogata controversiam definire voluit [2]).

Ad hanc quaestionem haec notanda sunt: *a.* Ex natura rei nihil obstat, quominus etiam ille, qui in statu peccati est, indulgentiam lucrari

---

[1]) *Lugo,* De poen. disp. 27. n. 139. ss.

[2]) S. C. I. 20. aug. 1822 respondit: Dilata; 22. febr. 1847 respondit: Consulat probatos auctores.

possit, non quidem sibi, sed defunctis: opera enim, quibus indulgentiam lucratur, valorem satisfactorium non habent ex dignitate operantis, sed ex concessione ecclesiae. *b.* Opera fidelium, quibus ex concessione ecclesiae indulgentias lucrantur, habent rationem conditionis; si ergo ecclesia statum gratiae tamquam conditionem non exigit, indulgentia pro defunctis etiam ab eo acquiri potest, qui non est in statu gratiae. *c.* Ideo falsum esse videtur adagium: nemo potest alteri applicare, quod prius non fecerit suum [1]).

139. Ad lucrandam *indulgentiam plenariam* ordinarie ab ecclesia haec tria praescribuntur: *a.* confessio; *b.* communio; *c.* certae preces ad intentionem pontificis dicendae, quibus quandoque accedit visitatio ecclesiae. Determinatus ordo, quo haec opera peragantur, non praecipitur, ideo visitatio ecclesiae cum precibus sacram communionem etiam praecedere potest, etsi in concessione indulgentiae dicatur: *qui confessi et s. communione refecti visitaverint* etc.

1. Si *confessio* in concessione indulgentiae non expresse requiritur ut pro indulgentiis *Viae Crucis,* ipsa non est necessaria, si autem in concessione iniungitur, confessio necessaria est etiam pro iis, qui mortalia non habent, etsi absolutio his non sit necessaria [2]).

Qui singulis hebdomadis i. e. quolibet decurrente spatio *septem,* non octo dierum confiteri solent, omnes indulgentias per hebdomadam occurrentes lucrari possunt, ad quas confessio requiritur, modo interim non amiserint statum gratiae nec agatur de indulgentia iubilaei [3]).

Confessio igitur *hebdomadaria* ex declaratione s. congregationis non est confessio, quae singulis octiduis, sed quae singulis septiduis peragitur: nam solum hac ratione cautum est, ne possit esse hebdomada, qua decurrente nulla fit confessio. Nihil autem refert, quo die singulis septiduis instituatur confessio, ut adeo inter unam alteramque confessionem octo, decem aut etiam plures dies intercedere possint, modo nullum septiduum sine confessione decurrat.

2. *Communio* semper (excepto iubilaeo) suscipi potest pridie illius diei, pro quo concessa est indulgentia, id quod a fortiori de confessione valet.

---

[1]) Cf. *Gury-Ballerini* ad n. 1049. q. 9.

[2]) Decr. auth. n. 295. 359.

[3]) Decr. auth. 439.

Si pro lucranda indulgentia praescripta est visitatio determinatae ecclesiae, s. communio non necessario ibi suscipienda est, si autem in illa ecclesia communio sumitur, non est necesse, ut alia insuper visitatio fiat, sed simul praescripto visitationis ecclesiae satisfieri potest, modo servetur tempus pro lucranda indulgentia determinatum.

Excepta indulgentia iubilaei valet etiam *communio paschalis* ad lucrandas indulgentias, quae s. communionem exigunt [1]. Insuper una eademque communio sufficit ad lucrandas plures indulgentias pro eadem die concessas, quarum singulae communionem exigunt, modo reliqua opera toties peragantur, quot sunt indulgentiae, quas eo die quis obtinere desiderat [2].

Ne aegroti aut alii, qui propter impedimentum physicum et permanens domo egredi non possunt, indulgentiis priventur, ad quas obtinendas s. communio et visitatio ecclesiae praescripta est, conceditur, ut confessarius pro ipsis s. communionem et visitationem ecclesiae in alia pia opera commutare possit.

3. Si *visitatio ecclesiae* indeterminate praescribitur, requiritur et sufficit visitatio alicuius ecclesiae aut oratorii *publici;* ubi notandum est, oratoria, quae vulgo semipublica dicuntur, reipsa esse oratoria privata, adeoque eorum visitationem ad lucrandas indulgentias absque speciali indulto non sufficere [3].

4. *Preces* (saltem aliquae) praescriptae sunt *vocales* et recitari debent ad intentionem summi pontificis. Cuius intentio est, ut dicantur pro exaltatione s. ecclesiae, pro exstirpatione haeresum et pro pace inter populos et principes christianos; sufficit autem intentio *confusa.* Preces recitandae non sunt determinatae; at minima quaedam oratio non videtur sufficere, certo autem sufficiunt quinque

---

[1]) Decr. auth. 327. [2]) Decr. auth. 291. 327. [3]) Decr. auth. n. 310.

vel sex Pater, Ave et Gloria Patri vel oratio his aequivalens.

Si ad lucrandam indulgentiam visitatio ecclesiae praescribitur, preces in visitatione ecclesiae recitari debent; alias ubique dici possunt.

Si determinatus *situs* inter orandum praescribitur ut in oratione *Sacrosanctae*, ad lucrandam indulgentiam necessario servandus est; communiter autem non praecipitur; quare non est necesse, ut flexis genibus preces recitentur.

Ut *surdo-muti* vel muti lucrari possint indulgentias, ad quas obtinendas praescribitur oratio vocalis, haec statuuntur: *a.* si praescripta est visitatio ecclesiae cum precibus, tenentur ecclesiam visitare et ibi mente orare; *b.* si publicae preces praescriptae sunt, debent populo se adiungere et mente orare; *c.* si preces privatim recitandae sunt, eorum confessarii possunt easdem in alia opera pia externe aliquo modo manifestata commutare [1]).

140. Ex iis, quae circa indulgentias a s. congregatione Indulgentiarum statuta sunt, haec notentur.

1. Licet indulgentiae partiales, quae ad numerum annorum extraordinarie magnum extenduntur, haberi debeant tamquam suspectae, eiusmodi tamen indulgentiae reipsa concessae fuerant et adhucdum (etsi paucissimae) vigent. Rescript. 40. 80.

2. Verba, quibus indulgentiae quandoque conceduntur: *in forma ecclesiae consueta,* significant easdem concedi vere contritis i. e. iis, qui a peccatis soluti in statu gratiae existunt; et si indulgentiae conceduntur: *sub consuetis conditionibus,* intelliguntur praeter statum gratiae et intentionem lucrandi indulgentiam confessio, communio et preces ad intentionem s. pontificis dicendae.

3. Indulgentia non amittitur, si preces, quibus eadem annexa est, in aliam linguam vertantur, *modo versio sit fidelis* [2]); versionem autem fidelem esse, declarare debet Ordinarius [3]).

4. Si indulgentia affixa est determinato diei, illam lucrari quis potest a media nocte usque ad mediam noctem; si autem conceditur intuitu alicuius festi, tempus lucrandae indulgentiae incipit a primis vesperis i. e. hora circiter secunda pomeridiana et durat usque ad occasum solis i. e. usque ad integrum ipsius diei crepusculum.

---

[1]) Decr. auth. 355. [2]) Decr. auth. n. 361. [3]) Decr. auth. n. 415.

5. Si facultas conceditur, certis obiectis indulgentias *applicandi in forma ecclesiae consueta,* haec verba significant, applicationem faciendam esse intentione et formando signum crucis super rem benedicendam, quin opus sit pronuntiare aliquam formulam aut rem aspergere aqua benedicta [1]).

6. Si festum, cui annexa est indulgentia, in alium diem transfertur, indulgentia non transfertur, sed manet proprio diei affixa, quando solum officium et missa transferuntur; quando autem simul solemnitas et exterior celebratio festi transfertur, etiam indulgentia transfertur [2]).

7. Commutationes, quae in re indulgentiaria occurrunt, fieri debent in actu sacramentalis confessionis, nisi expresse concedatur, ut extra confessionem fieri possint. Benedictus XIV. Const. *Convocatis* 25. nov. 1749.

8. Qui ab apostolicà sede diversas facultates obtinet e. g. altaris privilegiati personalis, erigendi stationes *Viae Crucis,* benedicendi cruces, numismata etc. facultatem erigendi Stationes exhibere debet Ordinario, etiamsi in concessione huius rei nulla mentio facta sit; alias autem facultates exhibere non debet, nisi in concessione praescribatur [3]).

Nota. Ad obtinendum fructum indulgentiarum conditiones, sub quibus eaedem conceduntur, integre ad amussim impleri debent; et pari modo in instituendis confraternitatibus vel congregrationibus formalitates praescriptae accurate servari debent, ut fideles indulgentas iisdem annexas obtinere possint, illarum autem cognitio absque difficultate hauriri potest ex opere praesertim pastori valde utili: *Beringer*, Die Ablässe, ihr Wesen und ihr Gebrauch. Paderborn u. Münster. Schöning.

Articulus tertius.

De indulgentia altaris privilegiati.

141. *Altare privilegiatum* illud dicitur, cui annexum est hoc speciale privilegium, ut sacerdos in eodem pro defuncto celebrans animae illius defuncti applicare possit indulgentiam plenariam. Privilegium igitur altaris seu *indulgentia altaris privilegiati in eo consistit,* quod summus pontifex vi potestatis clavium ex thesauro ecclesiae tot merita satisfactoria applicat alicui defuncto, quot requi-

---

[1]) S. C. I. ian. 1843. [2]) 2. aug. 1852. [3]) S. C. I. 6. febr. 1844.

runtur et sufficiunt ad eundem statim e poenis purgatorii liberandum.

Privilegium altaris *duplex* distinguitur, locale et personale. *Locale* affixum est loco determinato scilicet altari; hoc privilegio frui possunt omnes, qui in ipso altari celebrant; *personale* conceditur certis sacerdotibus privilegium petentibus, qui adeo indulgentiam altaris privilegiati applicare possunt, ubicunque celebrent.

Qui privilegium altaris personale obtinuit, uti potest etiam eodem privilegio, quod ex alio titulo possidet e. g. ut sodalis congregationis, confraternitatis, nisi in indulto expresse id prohibeatur.

2. *Effectus* autem applicatae huius indulgentiae *non est infallibilis.* Etenim s. pontifex offert quidem Deo ex thesauro ecclesiae quantum sufficit ad animam ab omnibus purgatorii poenis statim liberandam; quia tamen Deus illud pretium acceptare non tenetur, tum ipsa acceptatio tum acceptationis mensura a beneplacito divinae misericordiae dependet. Unde merito ecclesia anniversaria et legata perpetua in altari privilegiato persolvenda admittit, ideoque etiam usus invaluit, ut pro eodem defuncto plura sacra in altari privilegiato dicerentur.

3. Inter hanc indulgentiam et alias, quae pro defunctis applicantur, *aliud discrimen non existit,* praeterquam quod indulgentia altaris privilegiati securius applicatur et certius effectum suum sortitur. Nam hinc quidem indulgentia ista praeter sacrificii oblationem nullam aliam conditionem aut dispositionem supponit, inde vero sacrificium ipsum pro eodem defuncto oblatum vim habet placandi divinam iustitiam adeoque removendi impedimenta, si qua obsunt, quominus huic animae perfecte et plene applicetur.

Antiquitus privilegium altaris *raro admodum* et insignioribus tantum ecclesiis concedebatur; saeculo elapso tandem hac in re benignius agere coepit ecclesia.

Benedictus XIII. (a. 1724) omnibus ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis et cathedralibus totius orbis concessit altare privilegiatum quotidianum et perpetuum ab ordinario semel designandum.

Clemens XIII. (1759) deinde hanc eandem concessionem extendit ad omnes ecclesias parochiales et collegiatas totius orbis ad septennium, quo expleto episcopus recurrere debet pro confirmatione; ipse deinde concessam confirmationem cum parochis communicabit. Imo fieri potest, ut

in eadem ecclesia *plura sint altaria ex aliis titulis privilegiata* e. g. ratione confraternitatis aut congregationis.

Altari, cui conceditur privilegium, *debet esse fixum.* Nomine autem altaris fixi in hac quaestione intelligitur altare, quod a loco dimoveri non possit; etenim declaratum est (a. 1867), sufficere ad constituendam qualitatem altaris fixi, ut in medio altaris stabilis et inamovibilis, licet non consecrati, lapis consecratus etiam amovibilis ponatur.

Privilegium tamen non lapidi, „qui unus alteri suffici potest", sed altari inhaeret. Altari autem ita exclusive inhaeret, ut in aliud altare absque facultate privilegium transferri non possit.

142. *Conditiones* ad lucrandam hanc indulgentiam *necessariae.*

1. Indulgentia applicari debet *animae illius defuncti, pro quo offertur sacrificium,* non quidem ex rei natura, sed ex constanti ecclesiae praxi. Qui ergo pro vivis celebrat, indulgentiam altaris privilegiati applicare nequit.

2. Indulgentia altaris privilegiati (etiam in die commemorationis omnium fidelium defunctorum) applicari *non potest nisi uni defuncto;* qui ergo pro pluribus vel pro omnibus fidelibus defunctis offert, determinare debet animam, cui indulgentiam applicare intendit. Quod si pro uno tantum defuncto sacrificium offert, eidem etiam indulgentia applicatur, nec requiritur ad id necessario intentio celebrantis, quamvis consultum sit, ut sacerdos semper intendat, non solum sacrum sed etiam indulgentiam applicare.

3. Missa *de Requiem dici debet* quoties per rubricas id licet, quando autem missa de Requiem non permittitur, sufficit, ut applicetur missa de die.

Qui privilegium altaris personale pro tribus vel quatuor tantum missis in hebdomada habet, indulgentiam applicare debet illis diebus, quibus de Requiem dicere licet, aliis autem diebus solum si in eadem hebdomada non occurrant tot semiduplicia. Qui tamen *ratione expositionis* ss. sacramenti aut alterius solemnitatis dicere debet missam de die vel votivam, ubi per rubricas liceret missam dicere de Requiem, fruitur nihilominus previlegio altaris.

4. Indulgentia altaris privilegiati defunctis applicata non impedit, quominus *sacerdos per s. communionem,* quam in sacro suscipit, unam vel plures alias indulgentias lucrari et sibi vel defunctis applicare possit [1]).

5. Qui ex pluribus titulis privilegio altaris gaudet, non potest uno eodemque missae sacrificio plures pro numero titulorum, quibus gaudet, indulgentias plenarias applicare, sed unam tantum.

143. 1. Ab altari privilegiato distinguendum est *altare gregorianum ad instar* vel ut plenius vocatur: altare privilegiatum ad instar altaris s. Gregorii in monte coelio.

Scilicet ab antiquis temporibus ad haec usque tempora fideles postulant, ut in altari s. Gregorii in ecclesia eiusdem sancti in monte coelio missa sacrificium pro defunctis offeratur pie confidentes, fore ut quaevis missa in hoc altari oblata tantae sit efficaciae, ut anima, pro qua offertur, e poenis purgatorii illico liberetur. Fiduciam hanc S. C. Indulg. (a. 1884) declaravit „piam et in ecclesia probatam". Porro idem privilegium, quod convenit altari s. Gregorii in monte coelio, a s. pontifice quandoque conceditur etiam aliis per orbem altaribus, quae ideo dicuntur: *altaria gregoriana ad instar.* Altare ergo gregorianum est altare privilegiatum, ad quod praeter indulgentiam a s. pontifice concessam duo accedunt, quae efficiunt, ut indulgentia certius et securius applicetur scil. intercressio s. Gregorii et auctoritas ecclesiae, qua illud altare ad hoc specialiter deputatum est, ut per sacrificium in eo oblatum animae e purgatorii poenis liberentur.

2. Eodem decreto S. C. Indulg. approbavit etiam *missas,* quae *gregorianae* dicuntur seu *tricenarius gregorianus.* Hoc nomine significantur triginta missae, quae per triginta continenter dies ad exemplum s. Gregorii in quovis altari celebrantur. Fideles, qui ab antiquis temporibus celebrandas curant missas gregorianas, hac ducuntur fiducia, missas istas ex beneplacito et acceptatione divinae misericordiae ita fore efficaces, ut anima, pro qua applicantur, e poenis purgatorii liberetur.

Quodnam sit huius piae fiduciae fundamentum vel unde derivetur efficacia, quae tum tricenario s. Gregorii tum missae in altari gregoriano celebratae a fidelibus tribuitur, ecclesia nullibi declaravit. Probanda

---

[1]) Cf. *Beringer,* Die Ablässe p. 437 sqq. ubi egregiam de hac re dissertationem et plura decreta, quae huc referuntur, communicata reperies.

autem videtur sententia illorum theologorum, qui censent, s. Gregorium impetrasse a Deo hanc gratiam, ut anima illius, pro quo offeruntur sacra modo explicato, e purgatorio liberetur. Ratio autem propter quam pie creditur, s. Gregorio concessam fuisse a Deo hanc gratiam, est mirum quoddam factum, quod ipse sanctus in dialog. l. 4. c. 55. narrat [1]).

Articulus quartus.

De indulgentia in articulo mortis.

144. 1. Pia mater ecclesia moribundis indulgentiam plenariam in articulo mortis lucrandam concedit eo fine, *ne fideles* post mortalis vitae cursum a peccatorum suorum poenis impediantur, quominus ad aeternam beatitudinem illico admitti possint. Indulgentia haec *una* est eaque defunctis applicari nequit, varii autem existunt *tituli,* ex quibus ipsa obtineri potest; quorum quidem quatuor sunt *personales* et unus est *universalis.*

a. Sunt certae *orationes* et pia exercitia, quae in vita sub debitis conditionibus recitatae ius tribuunt fidelibus lucrandi in morte indulgentiam plenariam, sic qui saepe in vita recitant notam oratiunculam *Angele Dei,* vel qui frequenter in vita eliciunt actus virtutum theologicarum, lucrari possunt indulgentiam plenariam in articulo mortis.

b. Quaedam *res sacrae* (cruces, numismata, coronae etc.) indulgentiis, quae dicuntur papales, ditatae sunt; iam vero qui eiusmodi rem sacram possidet et in morte apud se retinet, lucratur indulgentiam plenariam in articulo mortis.

c. Sodales confraternitatum fere omnium et pari modo qui aliquod *scapulare* ab ecclesia approbatum gestant, in articulo mortis indulgentiam lucrantur.

d. Benedictio apostolica in articulo mortis est speciale privilegium, quo s. pontifex aut determinatae personae aut eius consanguineis pro articulo mortis indulgentiam plenariam concedit.

e. Ad haec accedit benedictio apostolica, quae nomine *Absolutionis generalis* circumfertur et cum praecedenti non est confundenda. Scilicet *Benedictus XIV.* per bullam *Pia Mater* (5. Apr. 1747) omnibus orbis episcopis facultatem concedit applicandi moribundis benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria et simul potestatem facit hanc facultatem

---

[1]) Cf. *C. Eberle,* Der Tricenarius des hl. Gregorius, Regensburg. Pustet 1890.

pluribus suae dioecesis sacerdotibus, praesertim parochis, subdelegandi. Porro quibus sacerdotibus ab episcopis haec facultas concedatur, ex statutis dioecesium intelligi debet.

2. Inter titulos personales et titulum universalem hoc intercedit discrimen, quod indulgentia ex titulo personali obtineri possit sine ministerio sacerdotis eandem applicantis: quilibet enim ipse sibi eandem applicare potest aut potius quilibet eandem in articulo mortis eo ipso sine applicatione lucratur, quod conditiones ad eandem obtinendam necessarias implevit; quare indulgentia *lata* vocari solet. Nihil tamen impedit, quominus etiam haec a sacerdote applicari possit. Econtra indulgentia ex privilegio Benedictino obtinenda per ministerium sacerdotis applicari debet, unde indulgentia *ferenda* appellatur.

3. Una igitur eademque indulgentia ex pluribus iisque diversis titulis obtineri potest; plures autem tituli existunt, quamvis una tantum sit indulgentia, ut fideles eam securius et facilius lucrentur: si nimirum unius saltem tituli conditiones exacte observent.

4. Applicari potest haec indulgentia omnibus, qui in periculo mortis constituti absolutionis sacramentalis aut extremae unctionis capaces sunt; unde ab eadem obtinenda excluduntur soli excommunicati et qui in manifesto peccato sine poenitentia decedunt. Applicari autem potest *a.* etiam iis, qui sensibus destituti sunt, etsi ultima sacramenta ex propria culpa non receperant; *b.* etiam pueris, qui peccati capaces sunt, etsi s. communionem suscipere non potuerint; *c.* capite damnatis, quos criminis sui poenitet, et militibus ante proelium; iis ergo, qui ex causa externa in mortis periculum adducuntur.

145. 1. Ut sacerdos valide hanc *indulgentiam applicare* possit, duo requiruntur:

a. Delegatio seu potestas eandem applicandi; delegatio ab episcopo conceditur sacerdotibus tum saecularibus tum regularibus. Porro delegatus indulgentiam solum applicare potest in dioecesi, pro qua ab episcopo iurisdictionem obtinuit, non autem extra dioecesim, etsi in moribundos

omnes ubique iurisdictionem habeat. Delegatio autem episcopis et subdelegatio sacerdotibus facta morte delegantis non expirat.

b. Formula a Benedicto XIV. praescripta, quae semper adhiberi debet idque sub poena nullitatis. Reperitur in rituali romano, in breviario, in horis diurnis etc.

2. Ut moribundus *lucrari possit* hanc indulgentiam, praeter conditiones universales (intentionem et statum gratiae) duae requiruntur:

a. ut mortem aequo ac libenti animo de manu Dei suscipiat;

b. ut ss. nomen Iesu ore, si possit, sin minus corde devote invocet [1]).

146. *Quando benedictio apostolica impertienda sit. a.* In quolibet mortis periculo, etsi mors nondum proxime instet, benedictio apostolica dari *potest. Solet* autem dari post sacramenta poenitentiae, eucharistiae et extremae unctionis, licet haec sacramenta benedictionem apostolicam praecedere non *debeant.* Indulgentiam autem moribundus lucratur in ipso articulo mortis.

b. Non licet benedictionem apostolicam in eadem infirmitate iterare, esti in morbo diuturno novum mortis periculum redeat, ut adeo extrema unctio iterari possit. Ex quolibet ergo titulo, ex quo infirmus ius ad indulgentiam plenariam in articulo mortis habet, semel tantum haec applicari potest. Quod valet etiam si aegrotus in statu peccati mortalis vel sensibus destitutus eam acceperit vel si postea in peccatum grave lapsus sit vel extremam unctionem denuo acceperit [2]). Iterata enim applicatio huius indulgentiae inutilis est, quia infirmus eandem semel tantum in ipso articulo mortis lucrari potest, ad quod applicatio semel facta sufficit.

---

[1]) Decr. auth. n. 237. S. C. Ind. 22. sept. 1892.

[2]) Decr. auth. u. 362. 257.

Caput tertium.

De ministro poenitentiae.

Quaestio prima.

De potestate ministri.

147. 1. Solus sacerdos est minister sacramenti poenitentiae: Christus enim solis apostolis eorumque in sacerdotio successoribus dixerat: *Accipite spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* [1]). Ideo concilium tridentinum anathemate eos damnat, qui dicunt sacerdotes non esse solos ministros absolutionis [2]).

Ex his sequitur: *a.* Qui invalide ordinatus est in sacerdotem, non potest absolvere a peccatis. *b.* Ecclesia non potest concedere potestatem absolvendi a peccatis ei, qui non est sacerdos, quia ecclesia mutare non potest, quae a Christo instituta sunt. *c.* Falsum est, diaconos unquam ex concessione ecclesiae habuisse potestatem absolvendi a peccatis. *d.* Peccator in nullo unquam casu tenetur confiteri peccata sua ei, qui non est sacerdos, quia ab hoc absolvi non potest.

2. Ad valide absolvendum duplex potestas in ministro poenitentiae requiritur: *potestas ordinis* et *potestas iurisdictionis* cum *approbatione episcopi.* Ad producendum igitur effectum sacramentalem in hoc sacramento duplex potestas concurrere debet, sacramentalis et iudicialis; *sacramentalis* quidem seu ordinis quia Christus sapienti consilio voluit, ut proprius huius sacramenti effectus, qui est remissio peccatorum per infusionem gratiae, per solos sacerdotes produceretur, *iudicialis* autem seu iurisdictionis, quia eadem remissio in hoc sacramento efficitur per sententiam iudicialem.

3. Potestatem *ordinis* sacerdos accipit in ipsa ordinatione, quae quidem potestas est vera potestas remittendi peccata per infusionem gratiae, sed a sacerdote nondum exerceri potest, nisi accedat iurisdictio. Potestas *iurisdic-*

---

[1]) Io. 20, 22. 33. [2]) Sess. 14. c. 6. can. 10.

tionis confertur extra sacramentum ordinis per externam concessionem ecclesiae, et consistit in potestate sententiam ferendi in alium tamquam subditum in foro sacramentali. Iurisdictio autem ex positiva voluntate ecclesiae supponit in sacerdote *approbationem* episcopi. Tria ergo ad valide absolvendum requiruntur: *potestas ordinis, potestas iurisdictionis* et *approbatio episcopi.*

Articulus primus.

De approbatione.

148. *Approbatio* est iudicium authenticum superioris ecclesiastici de idoneitate sacerdotis ad audiendas confessiones.

a. Iudicium intelligitur *externum,* quo episcopus sacerdotem declarat idoneum ad audiendas confessiones seu ad accipiendam iurisdictionem. Haec declaratio, ut rationabilis sit, supponit iudicium internum de vera idoneitate sacerdotis approbandi; quod quidem iudicium non solum examine, sed etiam aliis mediis comparari potest. Quare ad concedendam approbationem ordinarie quidem praemittitur examen, attamen essentialiter non requiritur, modo de idoneitate sacerdotis approbandi episcopo constet. Approbatio igitur a collatione iurisdictionis et multo magis ab ipsa iurisdictione differt; ex vigenti tamen ecclesiae disciplina iurisdictio simul cum approbatione plerumque confertur, unde factum est, ut nomine approbationis etiam iurisdictio comprehenderetur.

b. *Superioris ecclesiastici:* illi omnes et soli, qui iurisdictionem episcopalem vel quasi-episcopalem habent, approbare possunt: episcopus confessarios suorum subditorum et praelati regulares confessarios regularium sibi subditorum approbant, at non requiritur, ut iurisdictionem habeant in eum, quem approbant.

c. *Idoneitas* duo complectitur, doctrinam scilicet cum prudentia et morum sanctitatem, qualis in vicario Christi hoc sacramentum administrante requiritur. Ut licite dari possit approbatio, haec indoneitas adesse aut saltem prudenter existimari debet; si tamen non adsit, approbatio non est quidem invalida, superiori autem incumbit obligatio eandem revocandi. Imo ad validam approbationem sufficit externum iudicium, etsi episcopus interius dissentiat et approbatum non iudicet idoneum.

1. Approbatio non solum ad licite sed etiam *ad valide* saltem a mortalibus *absolvendum* et quidem pro omnibus omnino confessariis saecularium requiritur.

a. Concilium trident. sess. 23. de reform. c. 15. ait: nullum *posse* confessiones audire, nec ad id *idoneum* reputari, nisi approbationem obtineat.

b. Erat veterum communissima sententia, a venialibus (et a mortalibus iam remissis) posse quemque sacerdotem valide et licite absolvere sine approbatione, et potestatem hanc omnibus conferri in ordinatione ab ipso Christo Domino vel potius, ut alii volunt, ab ecclesia; verum post decretum Innocentii XI. (12. Febr. 1679) sine approbatione a venialibus absolvere certo prohibitum est; an eiusmodi absolutio etiam invalida sit, auctores in utramque partem disputant. Cum ambae sententiae solido fundamento nitantur, *probabile* est, a venialibus valide absolvi posse sine approbatione.

c. Quorundam pariter circumferebatur sententia, doctores et lectores s. theologiae non indigere approbatione episcopi; verum *Pius V.* in constitutione *Romani Pontificis* (1571) declaravit, approbationem episcopi omnibus omnino necessariam esse tum saecularibus tum regularibus (pro audiendis confessionibus saecularium) tum etiam doctoribus et lectoribus.

d. Cum Concilium quoad *confessiones regularium* nihil immutare voluerit, viget circa illas adhuc antiqua disciplina; pro confessionibus ergo regularium ex praescripto Tridentini non requiritur approbatio.

e. In concessione approbationis tota res committitur voluntati episcopi; potest igitur *a.* approbationem petitam omnino denegare; *b.* omnes confessarios approbatos (etiam parochos et regulares) ad examen vocare, si „vehemens de eorum imperitia adsit suspicio", *c.* approbationem iam datam revocare aut restringere, quin huius rei rationem reddere teneatur. Denegatio approbationis sicut etiam revocatio et restrictio facta sine iusta causa est quidem illicita, sed tamen valida.

2. Approbatio obtineri debet non ab episcopo poenitentis, nec ab episcopo confessarii, sed *ab episcopo loci,* in quo confessio excipitur. Ratio desumenda est ex positiva voluntate ecclesiae, pluries declarata [1]): ex rei enim natura non potest reperiri ratio, ob quam approbatio obtineri debeat ab episcopo loci.

a. Sapienter tamen ab ecclesia statutum est, ut approbatio ab episcopo loci, in quo excipitur confessio, concedi deberet: approbatio enim supponit cognitionem tum sacerdotis approbandi, tum fidelium, pro quibus ille approbatur, quam quidem cognitionem solus episcopus loci habere potest.

b. Ideo sacerdos in una dioecesi approbatus non potest poenitentes absolvere in alia, nisi huius dioecesis episcopi approbationem obtinuerit.

---

[1]) Constitutio *Cum sicut* Innocentii XII. a. 1700 et *Apostolica indulta* Benedict. XIV. a. 1744.

3. Ad confessiones valide audiendas requiritur approbatio *actu existens* signo aliquo declarata, non sufficit praesumta, etiamsi certo concedenda praevideatur, si peteretur. Ideo non licet incipere confessiones audire, antequam approbatio per litteras petita etiam vere data sit, quamvis certo obtinenda sciatur; ideo vel documentum ipsum iurisdictionis concessae vel saltem certus nuntius, documentum reipsa iam expeditum fuisse, adesse debet. Sufficit autem approbatio actualis *tacita*. Hinc valide absolvit, qui confessiones audit praesente vel sciente et non contradicente ordinario, cui constat eum non habere approbationem: censetur enim eandem actu dare.

4. Approbatio duplici modo concedi potest.

a. Implicite per collationem beneficii parochialis: ille enim, cui ex officio committitur cura animarum, eo ipso declaratur idoneus ad excipiendas confessiones eorum, qui suae curae sunt commissi, quamdiu suum officium retinet.

b. Explicite per expressam sententiam episcopi; et iste quidem est approbandi modus, quo post concilium trident. approbantur omnes, quibus non committitur officium pastorale.

Inter utrumque approbandi modum hoc discrimen intercedit, ut ille, qui explicite approbatus est, indigeat approbatione episcopi loci, ut fideles, pro quibus approbatus est, in alia dioecesi absolvere possit; qui autem vi muneris pastoralis approbatus est, ut episcopus et parochus, potest fideles sibi commissos ubique sine nova approbatione absolvere. Concilium enim tridentinum pro eo nullam ulterius approbationem exigit. Insuper ex pluribus declarationibus S. C. C. constat, parochum et episcopum non indigere approbatione episcopi loci, ut suos subditos extra dioecesim valide absolvat; eadem vero indigere, ut alienos subditos absolvere possit [1].

Articulus secundus.

De iurisdictione.

149. 1. *Iurisdictio* in genere definitur potestas moralis regendi subditos, quae potest esse civilis vel ecclesiastica.

---

[1]) S. C. C. 3. dec. 1707.

Ex his iam patet discrimen, quod intercedit hinc inter approbationem, inde vero tum inter collationem iurisdictionis tum inter ipsam iurisdictionem: *a.* approbatio est actus intellectus, collatio iurisdictionis est actus voluntatis; *b.* approbatio sacerdotem iudicat et efficit idoneum ad iurisdictionem accipiendam; iurisdictio est potestas moralis in subditum; *c.* approbatio ad absolvendum necessaria est ex institutione ecclesiae; iurisdictio necessaria est ex iure divino seu ex voluntate Christi instituentis hoc sacramentum ad modum iudicii.

a. Iurisdictio *ecclesiastica* duplex est: alia in *foro externo,* quae est potestas gubernandi ecclesiam, ad quam pertinet potestas ferendi leges, infligendi poenas etc. alia *in foro interno,* quae est potestas absolvendi et ligandi subditos in foro conscientiae, quae iterum duplex est: *sacramentalis* et *extrasacramentalis;* illa solum in sacramento poenitentiae exerceri potest ut potestas absolvendi a peccatis; haec etiam extra sacramentum exerceri potest ut potestas dispensandi. Ex quibus colligitur *α.* forum internum conscientiae latius patere quam forum internum poenitentiae; *β.* si cui confertur iurisdictio, potestas confertur et simul determinantur subditi, in quos illa potestas exerceri possit.

b. Iurisdictio deinde dividitur in ordinariam et delegatam: *ordinaria* dicitur, quae alicui competit ratione officii, ad quod assumitur: etenim si quis assumitur ad officium, cui annexa est cura animarum, eo ipso ei committitur iurisdictio; *delegata* dicitur, quae alicui competit ex commissione eius, qui ordinariam habet.

2. Iurisdictio igitur exerceri non potest nisi in subditum; porro si a summo pontifice praescindimus, cuius subditus fit, qui ecclesiam Christi ingreditur, solum duobus modis potest aliquis fieri alicuius superioris subditus:

a. Per domicilium vel quasi domicilium intra limites territorii, in quo superior ecclesiasticus iurisdictionem exercere potest; et iste quidem praecipuus est modus, quo subduntur fere omnes, quotquot habenti iurisdictionem ordinariam (parocho, episcopo) subsunt.

b. Per cooptationem in certam familiam; sic cardinales romae degentes, qui alia iurisdictione carent, habent

quasi ordinariam in eos, qui eorum familiam constituunt; regulares, novitii religiosi et famuli domestici monasteriorum subiiciuntur superioribus religiosis.

3. *Iurisdictio* ordinaria vel delegata omnino *requiritur ad confessiones valide excipiendas:* absolutio enim est actus iudicialis, qui natura sua requirit subditos et potestatem super illos. Id constat ex concilio trident. quod sess. 14. c. 7. hanc ipsam rationem assignat, ob quam ad absolvendum necessaria sit iurisdictio. Ipsa, aeque ac approbatio, adesse debet *actualis,* non sufficit praesumta, etsi certo obtinenda, si peteretur.

150. *De iurisdictione ordinaria.* 1. Iurisdictio ordinaria competit iis omnibus, qui habent officium, cui annexa est cura animarum, et una cum officio eisdem committitur. Itaque

a. Summo pontifici ea competit vi electionis in universam ecclesiam in utroque foro; ipse plenitudinem iurisdictionis immediate accipit a Christo Domino.

b. Episcopis ea competit vi electionis et confirmationis in suos dioecesanos pariter in utroque foro; ipsi eandem accipiunt immediate a summo pontifice. Eandem iurisdictionem scilicet ordinariam et eo ambitu, quo episcopis vi muneris sui competit, habent etiam *vicarii generales,* sed ab episcopis omnino dependentem, quare morte episcopi eadem expirat; et sede vacante eam habent *vicarii capitulares.*

c. Parochis ea competit vi legitimae institutionis in suos parochianos in foro interno; ipsi eandem accipiunt immediate ab episcopis, mediate a summo pontifice. Per se quidem parochi ex declaratione S. C. C. solum pro sua parochia approbati et iurisdictione ordinaria instructi sunt. Ad tollendas autem difficultates usus habet, ut parochi imo etiam capellani pro tota dioecesi approbationem et delegatam iurisdictionem accipiant, nisi contrarium alicubi expresse statuatur.

Ex quibus infertur, parochum posse quidem advocare parochum (capellanum) eiusdem dioecesis ad confessiones in sua parochia audiendas,

at non posse advocare parochum alienae dioecesis, nisi hic ab episcopo loci approbationem et iurisdictionem acceperit. Usus autem plerumque habet, ut episcopi approbationem impertiant sacerdotibus in confinibus dioecesium existentibus, ut adeo parochi confessarios vicinos finitimae dioecesis ad audiendas confessiones advocare possint. Quare in casu particulari ad statuta dioecesis attendendum est.

d. Praelatis regularibus competit iurisdictio quasi ordinaria, et quidem abbatibus, praepositis generalibus, provincialibus et superioribus localibus (prioribus, guardianis, rectoribus etc.) in suos cuique subditos: his enim omnibus incumbit cura animarum suorum subditorum. Et abbates quidem exemti et generales ordinum eandem accipiunt immediate a summo pontifice, alii vero superiores subalterni a suo quisque superiore.

2. Iurisdictio ordinaria a delegata eo potissimum differt, quod, qui ordinariam habent, suam iurisdictionem aliis *delegare* i. e. per alios eandem excercere possunt; iurisdictio delegata autem, saltem generatim loquendo, non potest subdelegari.

a. Aliud discrimen, quod auctores notant, iurisdictionem nempe ***ordinariam*** esse ***personalem***, ideoque ubique locorum exerceri posse; ***delegatam*** vero ***territorialem*** esse ideoque extra territorium exerceri non posse, non de ipsa iurisdictione, sed de iurisdictione ratione approbationis valet. Ipsa enim iurisdictio tum ordinaria tum delegata personalis est; ordinaria autem ubique locorum exerceri potest absque nova approbatione, delegata vero extra territorium sine approbatione episcopi loci exerceri non potest.

Hinc episcopi et parochi valide absolvunt fideles sibi commissos extra dioecesim, quin indigeant approbatione episcopi illius loci, ubi confessiones excipiunt, id quod de capellanis dici nequit.

b. Quandoquidem ante concilium trid. approbatio episcopi necessaria non erat, poterant parochi aliis sacerdotibus quibuscunque iurisdictionem in suos parochianos concedere, et si alicubi reperiretur sacerdos approbatus carens iurisdictione, eidem nunc quoque iurisdictionem conferre possent; quia vero ex usu hodierno episcopi una cum approbatione etiam iurisdictionem concedunt, nulla amplius relinquitur occasio, qua parochi suam potestatem aliis delegare possent.

3. *Iurisdictio ordinaria amittitur a.* per cessationem officii e. g. per demissionem, depositionem; *b.* per excommunicationem nominatim denuntiatam; *c.* per suspensio-

nem non quidem ab ordine tantum, sed ab omni officio seu a iurisdictione.

151. *De iurisdictione delegata.* 1. Ex definitione patet *a.* illum solum posse iurisdictionem alteri delegare, qui ordinariam habet, atque id quidem etsi ipse non sit sacerdos: delegatio enim non est actus ordinis sed iurisdictionis. Patet *b.* delegationem natura sua esse actum voluntatis, quo iurisdictio in alium transfertur; consensus iste voluntatis aliquo signo exterius manifestari debet. Hinc si iurisdictio delegari dicitur a iure vel a consuetudine, hoc ita accipiendum est, quod ius et consuetudo sit signum consensus a legitimo superiore praestiti: ius enim et consuetudo per se conferre non possunt iurisdictionem, quae solum a voluntate superioris oriri potest. *c.* Patet iurisdictionem delegari non posse nisi relate ad eum, qui est delegantis subditus: nemo enim delegare potest iurisdictionem, quam ipse non habet. Sed ut episcopus vel approbet sacerdotem vel iurisdictionem ei conferat, non est necesse, ut sacerdos eius subditus sit.

2. Iurisdictio delegari potest *expresse,* quando superior signo aliquo sensibili consensum voluntatis manifestat; *tacite,* quando superior cognoscit exerceri iurisdictionem et non contradicit, licet facile, si vellet, eius exercitium impedire posset: nam in eiusmodi adiunctis ipso suo silentio tamquam signo externo sufficienter consensum suum exprimit; *directe,* quando ipsi sacerdoti immediate committitur potestas absolvendi; *indirecte,* quando poenitenti conceditur facultas eligendi sibi sacerdotem in confessarium; sacerdoti hoc modo electo superior in ipsa electione confert iurisdictionem.

An, qui facultatem habent eligendi confessarium, debeant eligere approbatum. — *Regulares* supposita facultate quemlibet sacerdotem idoneum in confessarium sibi eligere possunt: nam concil. trid. approbationem solum pro confessionibus saecularium praescribit; *saeculares* autem solum approbatum sibi eligere possunt, quia post conc. trid. pro confessionibus saecularium absolute requiritur approbatio episcopi loci.

3. Iurisdictio *triplici modo directe delegari* dicitur: *a. ab homine,* quando habens iurisdictionem ordinariam

verbo vel scripto vel alio signo consensum manifestante alicui committit iurisdictionem; *b. a iure,* quando per constitutionem summi pontificis certis personis absolvendi potestas conceditur: talem ex privilegiis pontificiis habent regulares, dummodo ab episcopo loci sint approbati; *c. a consuetudine,* quando consuetudo seu exercitium iurisdictionis, quod a superiore non impeditur, est indicium taciti consensus a legitimo superiore praestiti: sic sacerdotes diversarum dioecesium, praesertim in confinibus habitantes, se mutuo in audiendis confessionibus iuvant.

4. Iurisdictio *triplici pariter modo indirecte delegari* dicitur, *a. ab homine,* si ex speciali concessione summi pontificis vel episcopi conceditur facultas eligendi confessarium, ut fieri solet tempore iubilaei, quo omnibus etiam regularibus conceditur haec facultas; *b. a iure,* si ex privilegio pontificio facultas eligendi sibi confessarium conceditur prout competit cardinalibus, episcopis sive exemti sint sive non, et praelatis exemtis [1]); *c. a consuetudine* facultatem sibi eligendi confessarium habent reges et principes et domestici romani pontificis, qui si aliquem elegerint, ubique ab eo absolvi possunt: electus enim fit quasi eorum parochus.

5. *Iurisdictio delegata cessat a.* per revocationem eamque notificatam superioris; *b.* per expirationem temporis praefiniti; *c.* per mortem delegantis vel per eius ab officio amotionem, si data fuerit pro aliquibus personis particularibus et confessio nondum incepta sit; non cessat autem morte delegantis, si illimitate data fuerit, quia habet rationem gratiae factae, quae non expirat morte concedentis.

Ergo *per mutationem domicilii* per se approbatio et iurisdictio sine limitatione concessa non amittitur; quandoque autem ab episcopis (e. g. in America) ita statutum est, ut concessae facultates revocatae censeantur, quando sacerdos ita e dioecesi discedit, ut ibi domicilium amplius non habeat.

---

[1]) C. *Ne pro* 16. de Poen. et Remiss.

6. *An legitime delegatus possit excipere confessiones fidelium absque venia parochi.* *a.* Sacerdos, qui iurisdictione delegata ab episcopo instructus est, potest absque licentia parochi confessiones fidelium *valide* quidem ubique excipere: quia porochus in usu potestatis eum impedire nequit, quem episcopus delegavit; *b.* attamen ut *licite* easdem excipiat in ecclesia parocho subiecta, venia parochi, rectoris scilicet ecclesiae requiritur; extra ecclesiam parochialem autem sufficit licentia rectoris illius ecclesiae; *c.* Ad confessiones autem *infirmorum* audiendas non requiritur specialis licentia parochi, attamen si opus fuerit, parochus ea de re certior est reddendus saltem per testimonium scriptum apud infirmum relinquendum.

152. *Investigandum est, qua potestate absolvantur peregrini, vagi et navigantes.*

1. *Peregrini* vel viatores dicuntur, qui determinatum domicilium habentes ad tempus extra illud morantur. Iam vero consuetudo invaluit, ut peregrini pro lubitu in aliena dioecesi confessionem peragerent et a confessariis passim absolverentur. Absolvuntur autem potestate a proprio peregrinorum episcopo iis confessariis, quibus illi confitentur, indirecte delegata. Et sane, confessarii peregrinos solum delegata potestate absolvunt; atqui iurisdictionem eis delegare alius non potest nisi ordinarius peregrinorum superior[1]); ordinarius autem peregrinorum superior solum est summus pontifex aut eorum episcopus; ad summum pontificem vero non est recurrendum, ut explicetur origo istius iurisdictionis, quamdiu ab immediato superiore eadem deri-

---

[1]) Capite enim *Omnis utriusque sexus* concilii lateran. IV. haec habentur: Si quis autem *alieno sacerdoti* voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat *a proprio sacerdote*, cum aliter ipse illum non possit absolvere vel ligare. Quibus addendum est c. *Si Episcopus* de Poen. et Remiss. in 6: ubi dicitur: „nulla potest consuetudine introduci, quod aliquis paeter sui superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere vel ligare". Ideo autem haec consuetudo introduci nequit, quia *de iure divino* poenitens solum a proprio sacerdote absolvi potest.

vari potest. Ergo episcopi peregrinorum tacito consensu, cuius signum est universalis consuetudo, indirecte confessariis iurisdictionem conferunt [1]).

2. *Vagi* dicuntur, qui proprium domicilium non habent. Cum solum ratione domicilii aliquis constituatur subditus sacerdotis ordinariam iurisdictionem habentis, vagi neque parocho neque ulli episcopo proprie subiiciuntur; quam ob rem vagorum „proprius sacerdos" seu superior spiritualis est summus pontifex. Hinc confiteri ex consuetudine confessariis approbatis ubique possunt, qui eos absolvunt potestate tacito consensu summi pontificis indirecte delegata, qui eandem aliis ab episcopo loci non approbatis conferre non censetur.

3. *Navigantes* extra mortis periculum in navi absolvi non posse a simplici sacerdote, certum est: hic enim indiget approbatione episcopi. Ex declaratione ecclesiae sufficit approbatio episcopi loci, a quo suscipitur navigatio pro omnibus sacerdotibus navigantibus, et quidem pro toto tempore navigationis „usquedum perveniant ad locum, ubi alius superior ecclesiasticus iurisdictione pollens constitutus est" [2]). Ex his ergo navis tamdiu censetur subesse episcopo illius loci, a quo suscipitur navigatio, donec ad terminum itineris pervenerit; sacerdos autem ab episcopo illius loci approbatus censendus est veluti parochus navigantium.

a. Si durante itinere in alia statione navim conscendit sacerdos approbatus ab episcopo illius stationis, audire potest confessiones navigantium: nam approbatio episcopi cuiuslibet loci, unde navis sive primum sive postea denuo solvit, ad valide et licite absolvendos navigantes sufficit.

b. Sacerdotes sic approbati audire possunt navigantes in navi et in portu, ubi navis durante itinere consistit; at non possunt eos audire in civitatibus, ad quas durante itinere appellunt.

c. Sacerdos, qui a nullo ordinario illorum locorum, unde navis solvit, approbatus sit, non potest navigantes absolvere, etsi alias approbatus sit, quia caret approbatione episcopi loci.

---

[1]) Cf. Zeitschrift f. k. Th. 1881. S. 453. ff.

[2]) S. Offfcium 20. mart. 1869, quod quidem decretum ad episcopum nannetensem a Pio IX. approbatum et confirmatum est.

d. Fideles, qui durante navigatione in diversis stationibus navim conscendant, considerandi sunt veluti peregrini, qui a confessariis pro tempore navigationis constitutis absolvi possunt potestate ab horum „peregrinorum“ episcopis tacite collata [1]).

Articulus tertius.

De iurisdictione, quam supplet ecclesia.

153. Iurisdictio, quam supplet ecclesia, definitur iurisdictio, quam ecclesia extraordinarie propter bonum commune in ipso actu suppeditat [2]).

a. Iurisdictio ista est ergo iurisdictio delegata ab ecclesia seu a summo pontifice, et a iurisdictione sive ordinaria sive ordinarie delegata in eo differt, quod haec iam ante confessionem adest et absoluta confessione habitualiter manet; illa vero in ipso tandem actu confessionis conceditur, ut haec valide perfici possit, et post actionem iterum extinguitur.

b. Ubi ecclesia defectum supplere dicitur, ad duo attendendum est, an defectum supplere possit et an eundem supplere velit: non enim omnes defectus in re sacramentaria ecclesia supplere potest e. g. in materia vel forma, sed solum defectus potestatis, quae ab ipsa dependet. Sed neque in omnibus casibus, in quibus supplere potest, ecclesia de facto etiam supplet, sed ibi tantum, ubi bonum universale id postulat: sapientis enim gubernatoris est solum bonum societatis universale attendere, bonum autem privatum curae privatorum relinquere.

c. Tres sunt casus, in quibus ecclesia iurisdictionem de facto supplet *α.* in articulo mortis; *β.* in errore communi cum titulo colorato; *γ.* in casu iurisdictionis speculative probabilis; et tum quidem supplet, sive sacerdos absolvens ordinariam sive delegatam iurisdictionem habeat, sive sciat sive nesciat, se nullam iurisdictionem habere.

---

[1]) Cf. *Villada,* Casus conscientiae III. 127. ss.

[2]) *Lessius,* De iust. et iure l. 2. c. 29. n. 68.

154. *In articulo mortis* potest omnis sacerdos quoscunque poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere[1]).

1. *Articulus* et periculum mortis in iure pro eodem accipiuntur. Periculum autem mortis, in quo omnis sacerdos potestate absolvendi pollet, adesse censetur non solum in gravi morbo, sed etiam ubi periculum mortis a causa externa inducitur ut in proelio, in periculosa navigatione, in partu difficili etc.

2. *Omnis sacerdos,* ergo etiam non approbatus, irregularis, suspensus, imo etiam excommunicatus vitandus, schismaticus, haereticus vel apostata; et hi quidem non solum valide, sed etiam licite absolvunt in defectu sacerdotis, qui sit ab omni impedimento et censura immunis.

Utrum autem sacerdos simplex valide absolvere possit moribundum, si adsit vel vocari possit confessarius approbatus, controversum est. Qui id *affirmant,* provocant ad verba concilii. trid., quod sine limitatione dicit: in articulo mortis omnem sacerdotem quemlibet poenitentem a quibusvis peccatis et censuris absolvere posse. Insuper huius concessionis universalissima ratio assignatur: *ne aliquis pereat,* quae quidem ratio postulare videtur, ut universim omnibus sine discrimine detur potestas absolvendi. Tandem cum ecclesia velit. ut in articulo mortis antiquum ius servetur, quod in ecclesia Dei custoditum semper fuit, et antiquitus nulla approbatio requireretur, ablata reservatione iam quilibet sacerdos, approbatus aeque ac non approbatus, absolvere potest. Qui id *negant,* in hunc modum argumentantur: ecclesia non concedit hanc facultatem, nisi ratione extremae necessitatis: „ne aliquis pereat;" atqui haec ratio cessat, quando adest approbatus. Insuper illa verba: „ut nulla sit reservatio in articulo mortis" indicant, concilium loqui de sacerdote approbato, quia solam reservationem aufert; ergo mens concilii est: omnem sacerdotem etiam non approbatum posse moribundum absolvere, nisi adsit approbatus, cui facile et sine periculo moribundus confiteri potest. Tandem addunt verba *Ritualis rom.* dicentis: „Sed si periculum mortis immineat, approbatusque desit confessarius, quilibet sacerdos potest . . absolvere" [2]). Verum Rituale agit de licita administratione sacramenti, quae sine admiratione populi fieri possit. [3]) Sententia affirmans dicenda est vere probabilis, quam sequi

---

[1]) Concil. trident. sess. 14. c. 7. haec habet: „Pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt."

[2]) Tit. 3. c. 1. a. 1. [3]) *Ballerini-Palmieri* n. 597.

licet in praxi; negans propter auctoritatem. *s. Alphonsi* qui illam (n. 562.) dicit communissimam, a qua recedendum non sit ob auctoritatem ritualis romani, nunc est communis.

Omnes tamen concedunt, sacerdotem simplicem posse absolvere etiam praesente approbato, si confessio apud approbatum physice vel moraliter impossibilis est, id quod accidit in sequentibus casibus: *a.* si hic nollet aut non posset audire confessionem; *b.* si periculum sit, ne moribundus sacrilege confiteatur; *c.* si hic non posset confiteri approbato sine magna difficultate; *d.* si approbatus sit alienae dioecesis; *e.* si approbatus superveniat iam coepta confessione cum sacerdote simplici.

In hac quaestione notandum est sequens decretum s. Officii (29. iul. 1891): „Non sunt inquietandi, qui tenent validam esse absolutionem in articulo mortis a sacordote *non approbato,* etiam quando facile advocari seu adesse potuisset sacerdos approbatus; nec qui tenent validam esse absolutionem in eadem articulo mortis concessam a peccatis reservatis, sive simpliciter sive cum censura, per sacerdotem non habentem iurisdictionem in reservata, etiamsi advocari seu adesse facile potuisset sacerdos habens praedictam iurisdictionem.“ Etsi hoc decreto controversia nondum sit diremta; sententia tamen affirmans vere dicenda est probabilis, quia s. officium docet, non esse inquietandos, qui eam tenent et in praxi sequuntur.

3. *A quibusvis censuris et peccatis:* nam in articulo mortis nulla est reservatio. Hoc tamen notandum est discrimen inter casum reservatum et censuram. Absolutus a casu reservato absque censura, si postea convalescat, non tenetur amplius se sistere superiori, quia iam est directe absolutus; sed si peccato annexa sit censura papae speciali modo reservata, absolutus, qui postea convalescat, debet comparere coram superiore, idque sub poena reincidentiae, non ut iterum absolvatur, cum iam sit directe absolutus; sed ut poenitentiam et remedium ab ipso accipiat, nisi absolutus fuerit ab habente potestatem absolvendi a censuris.

155. *In errore communi cum titulo colorato.*

a. Error dicitur *communis,* si omnes vel fere omnes illius loci fideles existimant, confessarium iurisdictione reipsa instructum esse; dicitur *privatus,* si error iste unius vel paucorum est. Error censetur esse communis, modo in loco, in quo sacerdos excipit confessiones, ignotus sit defectus iurisdictionis, etsi in alio loco ille defectus notus

esset. Error potest esse cum titulo colorato vel sine titulo colorato.

b. Distinguitur *titulus verus* et fictus seu *apparens;* apparens vel est coloratus vel existimatus. *Coloratus* dicitur, si revera existit, sed propter occultum defectum invalidus est i. e. si sacerdos iurisdictionem revera accepit ab eo, qui illam dare potest, sed invalide propter occultum defectum, ut si collatio beneficii parochialis vel iurisdictionis delegatae revera contigit, sed illa propter simoniam, haec propter defectum approbationis nulla est. *Existimatus* dicitur, si nullus titulus neque invalidus existit i. e. si sacerdos nullam unquam iurisdictionem ab eo accepit, qui illam conferre potest, ut si parochus per fraudem irrepsit in officium vel ab eo institutus est, qui eum instituere non potest. Iam si eiusmodi parochus communi errore pro vero habetur, adest error communis sine titulo colorato.

1. Certum est, ecclesiam supplere iurisdictionem in errore communi cum titulo colorato; est communis sententia auctorum, qui hac ratione ducuntur: cum ecclesia iurisdictionem, quae confessario deest, supplere potest, iure merito etiam supplere censetur, ubi bonum commune id postulat; atqui in hoc casu bonum commune id postulat, quia si non suppleret, multae animae perirent.

Consensus unaminis auctorum hoc argumento firmatus potissimum fundatur in lege, quae ex codice iuris romani inserta reperitur in corpore iuris ecclesiastici; et licet de iurisdictione ordinaria et contentiosa agat [1]), nihilominus auctores eandem tranferunt ad iurisdictionem qualemcumque. Ex hac autem potissimum lege colligitur certa voluntas ecclesiae supplendi iurisdictionem [2]).

2. Certum est, ecclesiam non supplere iurisdictionem, si error sit privatus: non enim censetur supplere nisi ratione boni communis.

3. Probabile est, ecclesiam supplere iurisdictionem in solo errore communi sine titulo colorato: nam eadem ratio boni communis existit etiam pro solo errore sine titulo.

---

[1]) L. Barbarius 1. tit. 14. [2]) *S. Alphons* n. 572. Cf. Zeitschrift f. k. Th. 1882. p. 659. ss.

Nihilominus in hoc casu non habetur ille consensus auctorum, qui in praecedenti revera adest *a.* quia nulla existit lex, quae declaret, ecclesiam velle supplere iurisdictionem in solo errore communi; *b.* quia rectus ordo in ecclesia constitutus postulare videtur, ne quis publice officio fungatur, qui nullam ad id delegationem a superiore acceperit; quocirca si fideles rescirent, se absolutos fuisse ab intruso, absolutionem vix pro valida haberent; *c.* quia S. C. C. (11. dec. 1683. in causa PP. Capucinorum, qui sine approbatione episcopi absolverant) supponere videtur ecclesiam in hoc casu non supplere.

156. *In casu iurisdictionis speculative probabilis.* A iurisdictione probabili distinguenda est iurisdictio dubia. Iurisdictio dicitur dubia, quando agitur de dubio facti sive dubium sit negativum sive positivum et probabile; et dicitur probabilis, quando agitur de dubio iuris seu de dubio theoretico et speculativo, quod dignoscitur ex dissensu auctorum in definienda aliqua lege. Itaque iurisdictio *probabilis* habetur, quando iurisdictio reipsa adest, sed dubium est, an etiam ad hunc particularem casum extendatur, ratio autem vel auctoritas probabilis suadet, extendi iurisdictionem. Casus frequentiores iurisdictionis probabilis occurrunt in peccatis et censuris reservatis, ubi scilicet auctores dubitant, an aliquod peccatum, in determinatis adiunctis commissum, sit vel non sit reservatum; aliud exemplum supra (n. 154.2) exponitur. Iurisdictio autem *dubia* habetur, quando dubium circa ipsam existentiam iurisdictionis versatur, non circa extensionem iurisdictionis certo existentis e. g. an tempus iurisdictionis iam expiraverit; an aliquis casus sit reservatus etc.

1. In casu iurisdictionis probabilis certo supplet ecclesia: viget enim in ecclesia universalis consuetudo (fere) omnium confessariorum absolvendi cum iurisdictione probabili; atqui universalis consuetudo certo dat iurisdictionem seu potius universalis consuetudo signum est, ecclesiam certo in hoc casu concedere iurisdictionem, qua confessarii ipsa sciente et non reclamante passim utuntur. Patet in casu iurisdictionis probabilis ecclesiam hypothetice tantum debere iurisdictionem supplere: si nimirum

confessarius iurisdictione, de cuius extensione dubitatur, reipsa careat.

2. In casu iurisdictionis dubiae ecclesia non supplet nisi forte ratione erroris, in quo fideles circa defectum iurisdictionis versantur: si ergo error est privatus, certe non supplet, si error est communis, probabile est ipsam supplere iurisdictionem. Ex his iam colligitur, quid respondendum sit ad quaestionem:

An liceat uti iurisdictione dubia vel probabili. 1. Non licet absolvere *cum iurisdictione dubia* nisi in casu necessitatis et sub conditione: *si possum:* nam in casu iurisdictionis dubiae ecclesia per se non supplet; quare sacramentum periculo nullitatis et poenitens periculo gravis damni exponitur, quod non licet nisi necessitas cogat.

a. In casu necessitatis licet uti iurisdictione dubia, quia cum sacramenta sint propter homines, in necessitate licet proximo subvenire meliori, quo fieri potest, modo. Duo autem observanda sunt, ubi aliquis utitur iurisdictione dubia, primo quidem, ut sub conditione absolvat; deinde vero, ut poenitentem moneat, ne ad s. communionem accedat, nisi actum contritionis perfectae elicuerit, et (si expedire videbitur) ut postea alteri confessario, qui certa iurisdictione instructus est, eadem peccata exponat.

b. Necessitas autem universim adesse censetur, quando melius est aliquem dubie absolvi, quam nullo modo absolvi; in specie vero: *a.* si urgeat praeceptum annuae confessionis; *b.* si poenitens notam infamiae incurreret, nisi celebret vel communicet; *c.* si sacerdos eo die ex obligatione celebrare debeat.

3. Licitum est absolvere *cum iurisdictione probabili:* cum enim in hoc casu ecclesia volens et lubens certo suppleat, absolutio est certo licita et valida. Quod si *s. Alphonsus* (n. 573) nihilominus iustam et gravem causam exposcit, ut confessarius cum iurisdictione probabili licite absolvere possit, dicendum videtur, aut nullam eiusmodi causam requiri, aut causam iustam semper adesse, quoties poenitens rationabiliter absolvi petit.

Articulus quartus.

De iurisdictione regularium.

157. *De iurisdictione regularium relate ad saeculares.*

1. Ex constitutionibus pontificiis regulares iurisdictionem ad audiendas confessiones tum suorum tum saecularium accipiunt immediate a summo pontifice[1]).

Nomine regularium veniunt regulares proprie dicti, qui scilicet vota solemnia nuncupant et qui privilegio exemtionis donati episcoporum iurisdictioni subtrahuntur, non autem religiosi congregationum, quae stricte non sunt ordines religiosi, nisi speciale privilegium acceperint. Iurisdictio autem a summo pontifice immediate confertur solis ordinum superioribus, et per superiores deinde in subditos derivatur, quibus eo ipso communicatur, quod ad confessiones audiendas sive suorum sive saecularium deputantur.

2. Ad excipiendas confessiones *saecularium* regulares indigent approbatione episcopi loci, ubi confessiones excipiunter; quoniam autem episcopi una cum approbatione plerumque etiam iurisdictionem conferunt, regulares iurisdictionem plerumque habent ex duplici fonte, a summo pontifice et ab episcopo.

3. Quoad approbationem igitur regularium tota res committitur voluntati episcoporum nonnullis tamen limitibus a s. sede (Const. Clementis X. *Superna*) adiectis:

a. Possunt episcopi approbationem concedere sine restrictione vel (saltem si regulares sine examine approbantur vel in examine non reperti fuerint omnino idonei) cum restrictione quoad tempus, loca et personas.

b. Possunt aut sine praevio examine aut ab antecessore approbatos etiam sine iusta causa ad examen vocare, a se ipsis approbatos autem solum iusta interveniente causa.

c. Possunt approbationem *singulis* regularibus iusta de causa confessionem concernente revocare, at approbationem omnibus regularibus eiusdem communitatis revocare inconsulta congregatione Ep. et Reg. non possunt.

d. Non possunt licite sine causa regularibus approbationem denegare, quia irrogaretur iniuria romano pontifici: iurisdictionem enim accipiunt a summo pontifice et approbatio requiritur solum tamquam conditio, ut iurisdictio excerceri possit.

---

[1]) Clem, *Dudum* De Sepulturis. — Const. *Superna* Clementis X.

4. Ad diiudicandum ambitum facultatis ab episcopo concessae haec notanda sunt:

a. Si episcopus vel superior regularis ex episcopi delegatione approbationem concedat pro determinata poenitentium classe (pro monialibus) vel pro determinato fine (pro exercitiis spiritualibus), facultas concessa ulterius extendi non potest.

b. Si autem postulata et pariter concessa fuerit facultas generalis, haec non restringitur ad opus, quod petitionis occasio fuit; si e. g. occasione tradendi exercitia spiritualia monialibus petita et obtenta fuerit facultas generalis, licet audire etiam confessiones aliorum fidelium, quia „continetur in concessione, quidquid non excipitur."

c. In facultate tamen generali ab episcopo concessa nunquam censetur comprehendi facultas absolvendi a reservatis.

d. Si religiosus advocatur ab episcopo vel a parocho ex licentia episcopi ad missionem peragendam, eo ipso accipit approbationem tacitam ad confessiones audiendas tempore missionis; iurisdictionem tamen pro solis casibus ordinariis habere censetur.

5. Si igitur sacerdos regularis a superiore suo ad confessiones audiendas deputatur, accipit quidem iurisdictionem, sed haec ad saeculares absolvendos ligata manet, quia ad validitatem absolutionis adhuc approbatio episcopi tamquam conditio sine qua non requiritur; et si sacerdos regularis ab episcopo approbationem accepit, potestas eius ab intentione episcopi approbantis dependet, prout scilicet aut solam approbationem aut cum approbatione etiam iurisdictionem conferre intenderit, quam quidem episcopus in suos subditos sine dubio etiam regulari conferre potest.

Hinc si religiosus *invito superiore* suo ex sola delegatione episcopi saeculares absolvat, peccat quidem contra obedientiam, quia praeceptum sui superioris transgreditur; absolutio autem est valida, si episcopus cum approbatione etiam iurisdictionem dederit, et est invalida, si solam approbationem dederit et superior ita sit invitus, ut iurisdictionem auferre censeatur: tunc enim religiosus nullam iurisdictionem habet.

6. Ex iis, quae supra de cessatione approbationis et iurisdictionis dicta sunt, patet, approbatum aut iurisdictione delegata instructum per *mutationem habitationis* et domicilii approbationem aut iurisdictionem, quae sine limita-

tione data fuerit, non amittere: qui enim semel illimitate approbatus est, manet approbatus usque ad revocationem approbationis saltem implicitam. Ideo regularis semel sine limitatione approbatus in aliqua dioecesi non indiget nova approbatione; sed si in eandem revertitur vel casu per eam transit, potest fidelium confessiones excipere.

158. *De iurisdictione regularium relate ad suos.*

1. Facultas absolvendi, quam regulares a summo pontifice habent, immediate conceditur ordinum religiosorum superioribus; hi autem subditos (exceptis paucis casibus) cogere nequeunt, ut apud se ipsos confiteantur, sed constituere debent idoneos confessarios et ordinarie quidem plures, pro maiori vel minori numero subditorum, ut his praesto sit copia eligendi; solum si subditi sponte petunt, licet superioribus subditorum suorum confessiones audire[1]).

2. Qui a superioribus regularibus constituuntur confessarii, possunt esse sacerdotes tum regulares tum saeculares, a superioribus regularibus tum iurisdictionem tum (quoad opus est) approbationem accipiunt, nec indigent approbatione episcopi, sive regulares sunt sive saeculares, et eos, in quos potestate pollent, tum domi tum extra domum absolvere possunt, quin alicubi indigeant approbatione episcopi loci, ubi confessiones excipiuntur.

3. Regulares *domi* confiteri non possunt nisi confessario a superiore designato, et *extra domum* confiteri non possunt nisi de licentia superioris. Regulares *in itinere constituti,* si habent socium eiusdem ordinis idoneum (i. e. qui capax sit), illi confiteri debent; si non habent, confiteri possunt ei, quem elegerint sive sacerdotem saecularem sive regularem sive approbatum sive non approbatum (exceptis PP. Capucinis, qui ex speciali decreto Benedicti XIV. solum approbatis confiteri possunt). Electo a superiore religiosi confitentis indirecte confertur potestas absolvendi: si tamen casum in ordine reservatum habet,

[1]) Clemens VIII. 25. mai 1594.

ab illo indirecte tantum absolvi potest; manet ergo onus eundem casum domi confitendi.

4. Confessarii a superioribus regularibus constituti sola potestate ab his collata absolvere possunt:

a. Ipsos religiosos proprii ordinis, non autem aliorum ordinum religiosos: per decreta enim pontificia cautum est, ne religiosi possint extra proprium ordinem absolvi nisi de licentia sui superioris.

b. Novitios, qui pariter ab aliis confessariis per episcopum approbatis absolvi non possunt, quamdiu ipsis in animo est manendi in religione, nisi superior regularis expresso vel tacito consensu fucultatem absolvendi dederit.

c. Famulos aliosque saeculares, „qui vere sunt de familia et continui commensales"; non autem eos, „qui tantum religiosis deserviunt", sed victum ab ipsis non percipiunt[1]. Et famuli quidem non solum intra monasterium, sed quamdiu manent sub obedientia regularium etiam extra monasterium ab ipsis absolvi possunt. Qui tamen sunt de religiosorum familia (famuli et alumni), tum a confessariis regularibus tum etiam a saecularibus ab episcopo approbatis absolvi possunt.

d. Alumnos convictores, qui pariter tum a confessariis regularium (et quamdiu sub eorum disciplina sunt etiam extra domum) tum a confessariis ab episcopo approbatis absolvi possunt. Non omnes quidem concedunt, alumnos convictores vere esse de familia regularium ut famuli; quin autem valide et licite absolvi possint sola potestate a superioribus regularibus concessa, non est dubium, modo sub regularium disciplina sint et habitationem et victum ab ipsis percipiant.

Et sane *a.* famuli sunt de familia regularium; ergo etiam alumni: siquidem maior est dependentia alumnorum, qui ratione educationis sub regularium disciplina degunt, quam famulorum, qui solum ratione famulatus ab ipsis dependent. Insuper ut censeantur esse de familia religiosorum, haec tria requiruntur et sufficiunt: ut diu noctuque in domo religiosorum habitent, ut ibi victum accipiant, ut sub eorum obedientia vivant,

---

[1]) Constit. *Superna* Clementis X.

quae quidem in alumnis convictoribus verificantur. *b.* Nonnullis ordinibus e. g. Benedictinis concessum est privilegium familiaritatis pro suis alumnis; ergo eadem familiaritas competit etiam ordinibus, qui cum illis communicationem privilegiorum habent. *c.* Cum saltem probabile sit, alumnos esse de familia religiosorum, hi in eosdem iurisdictionem habent speculative probabilem; sed in casu iurisdictionis probabilis certo supplet ecclesia; ergo regulares tuto alumnos suos absolvere possunt [1]).

Articulus quintus.

De iurisdictione respectu monialium.

159. Sunt moniales, quae solemnia vota nuncupant et clausuram papalem habent, et moniales, quae solum vota simplicia emittunt et clausuram papalem non servant; illae moniales *claustrales* dicuntur, hae *non claustrales.* Porro claustralium aliae iurisdictioni episcopi subsunt, aliae a iurisdictione episcopi exemtae iurisdictioni superiorum proprii ordinis subiacent. Quae ab ecclesia seu a constitutionibus pontificiis circa confessarios monialium statuta sunt, ad claustrales tantum referuntur.

1. Moniales non possunt absolvi nisi a sacerdote specialiter pro ipsis approbato ab episcopo loci, in quo situm est monasterium, etsi moniales sint ab eius iurisdictione exemtae et confessarius regularis a praelato regulari deputatus sit.

2. Pro monialibus non exemtis confessarius eligitur ab episcopo sacerdos saecularis; pro exemtis ab eorum superiore regulari sacerdos regularis eiusdem ordinis. Confessarius autem hoc modo deputatus ad audiendas confessiones monialium accedere debet, quoties vocatur; s. congregatio abusum esse declaravit, si moniales nonnisi statis temporibus confessarium adire permittantur.

3. Moniales, quae ad tempus, non pro schola aut infirmorum cura, sed ex motivo sanitatis vel ex alia causa extra monasterium morantur, possunt confiteri cuilibet

[1]) Cf. *Lehmkuhl* n. 396.

confessario ab episcopo approbato, nisi specialiter pro ipsis provisum fuerit.

4. Confessarius approbatus pro uno monasterio non potest valide confessiones excipere in alio monasterio, neque eiusdem ordinis, nisi sit in genere pro omnibus monialibus approbatus.

5. Confessarius ordinarius monialium *unus* tantum pro quolibet monasterio deputandus est, qui debet esse *annorum 40*, nec potest approbari nisi ad *triennium*, quo elapso mutandus est. Ut idem denuo confirmari possit, requiritur indultum S. C. Ep. et Reg., quae illud sub certis conditionibus concedere solet; et quidem pro secundo triennio, si consensus concurrat duarum ex tribus partibus monialium, et pro tertio, si omnium earum consensus accedat. Sed haec dispositio, confessarium ordinarium singulis trienniis mutandi, in multis locis praesertim ob penuriam confessariorum idoneorum servari non potest, quare approbatio semel data valere dicenda est donec revocetur.

6. Monialibus et ipsis etiam novitiis ab eodem, qui ordinarium constituit i. e. ab episcopo vel, si exemtae sint, a superiore regulari concedi debet bis terve in anno *confessarius extraordinarius*, cui etsi non teneantur confiteri, tenentur tamen se sistere ad audienda monita salutaria[1]). Quod quidem statutum est, ut omnes moniales liberius et sine difficultate ad confessarium extraordinarium accedere possint. Hinc etiam prohibetur, ne eo tempore, quo extraordinarius suo munere fungitur, ordinarius ullius, neque abbatissae, confessionem audiat aut in monasterio versetur.

7. Confessarius extraordinarius a superioribus regularibus designatus pro monialibus saltem semel in anno debet esse saecularis aut alterius ordinis regularis, et si praelatus regularis id facere omittat, episcopus illum de-

---

[1]) Conc. trid. sess. 25. de regul. c. 10. Benedict. XIV. *Pastoralis cura* (1748).

putare potest; et pariter si praelatus regularis extraordinarium deputare omittit, episcopus defectum supplere potest, et si episcopus id facere omittit, moniales ad maiorem poenitentiarium recurrere possunt.

8. Benedictus XIV. in bulla *Pastoralis cura* hortatur episcopos et superiores regulares, ne sint difficiles in concedendo confessario *particulari*, si quando moniales eundum petant. Moniali autem particularem confessarium petenti is concedi omnino debet *a.* in periculo mortis; *b.* si quae renuat confiteri confessario ordinario. Et si praelatus regularis nolit in periculo mortis concedere confessarium peculiarem, episcopus aliquem designabit et si neque episcopus concedit, recurrendum est ad poenitentiarium; et si non suppetit tempus recurrendi, quilibet sacerdos monialem moribundam absolvere potest.

9. Pro monialibus *non claustralibus* seu pro diversis religiosis mulierum congregationibus dispositiones istae vi iuris communis quidem non obligant, at ex mente ecclesiae eaedem etiam respectu harum monialium tum quoad confessarium ordinarium tum quoad extraordinarium servandae sunt, et s. sedes in approbandis regulis illarum congregationum reipsa easdem dispositiones servari voluit.

Sorores tamen congregationum, quae extra clausuram vivunt et in parochiali templo sacramenta suscipiunt, possunt ibidem confiteri cuilibet confessario approbato [1]).

10. Per decretum *Quemadmodum* iterum cautum est, ne monialibus negaretur facultas recurrendi ad confessarium extraordinarium, „quoties ut propriae conscientiae consulant, ad id adiguntur, quin superiores ullo modo petitionis rationem inquirant aut aegre id ferre demonstrent.“ Et ut copia confessariorum adsit, monentur ordinarii, ut in locis, in quibus mulierum communitates existunt, idoneos sacerdotes designent, ad quos illae recurrere possint.

---

1) S. C. Ep. et Reg. 22. april. 1872.

Ne tamen hac facultate ita abutantur moniales, ut confessarium ordinarium non amplius adeant, eadem s. congregatio postea declaravit, illam facultatem exceptionem tantum a lege communi constituere pro casibus verae et absolutae necessitatis [1]).

Quaestio secunda.

De casibus reservatis.

Articulus primus.

De reservatione casuum.

160. *Reservatio* in iudiciis est revocatio alicuius causae ab inferiore iudice ad superiorem, qua revocatione inferiori iudici ademta est potestas illam causam iudicandi. *Reservatio casuum* est negatio potestatis absolvendi a certis peccatis, concessa potestate absolvendi a ceteris; et *casus reservatus* est peccatum, a quo confessarius absolvere nequit ob defectum potestatis in illud, concessa potestate absolvendi a ceteris.

Ex his definitionibus tria colliguntur: *a.* neminem posse reservare nisi peccata eorum, qui sui subditi sunt in foro poenitentiae; *b.* reservationem directe non afficere poenitentem sed confessarium, cuius potestatem restringit; *c.* si ergo confessarius simplex sive bona sive mala fide poenitentem a peccato reservato absolvit, hoc solum indirecte remittitur.

1. Est in ecclesia potestas reservandi quaedam peccata, a quibus inferiores confessarii absque speciali facultate extra articulum mortis absolvere non possunt. Constat ex concilio trident.[2]) et ex natura sacramenti poenitentiae, quod exercetur per modum iudicii; in iudiciis autem causae graviores ad superiores iudices remittuntur.

---

[1]) S. C. Ep. et Reg. 1. febr. 1892.

[2]) Sess. 14. c. 7. can. 11.

2. Etsi, considerata sola potestate reservandi, omnia peccata: mortalia et venialia, externa et interna reservari possunt; considerato tamen fine reservationis sola peccata externa eaque atrociora et graviora reservantur: potestas enim reservandi data est in utilitatem disciplinae ecclesiasticae, quocirca ea tantum peccata reservari solent, quae turbant disciplinam qualia sunt gravia et externa. Prorsus autem inutile esset reservare venialia, quippe quae non sint materia necessaria confessionis.

3. Finis, propter quem casus reservantur, duplex esse potest: imprimis ut delinquentes puniantur, dum ipsis imponitur onus comparendi coram superiore aut eius delegato, deinde ut fideles a peccatis absterreantur, quorum absolutionem vident esse tam difficilem, tertio ut causa accuratius diiudicetur et crimini vonvenientius remedium adhibeatur. Ex priori fine reservatio dicitur *poenalis*, ex utroque posteriori *medicinalis*. De facto ergo omnis reservatio est poenalis et simul medicinalis; de iure autem seu ex intentione reservantis aliae sunt non poenales seu pure medicinales, aliae poenales et medicinales simul. Utrum in casu particulari reservatio sit potius poenalis, an medicinalis, ex verbis decreti reservantis desumendum est.

4. Peccata duplici modo reservari possunt: vel *cum censura* vel *sine censura*. Scilicet quandoque superior ecclesiasticus simpliciter aliquod crimen sibi reservat, quandoque autem crimen addita poena seu censura speciali modo prohibet et sibi reservat. Iam peccata quae censura afficiuntur, iterum duplici modo reservari possunt: vel ideo reservantur, quia censuram adnexam habent, ut adeo potius censura reservata sit quam peccatum; vel peccatum reservatur non tam quia censura affectum est, quam quia crimen est. In priori casu immediate censura et *peccatum propter censuram*, in posteriori vero immediate reservatur peccatum et *censura propter peccatum*. Discrimen inter utrumque modum reservandi hoc est: si reservatur immediate censura et mediate peccatum, sublata censura, quia e. g. aliquis ex gravi metu vel cum igno-

rantia censurae peccavit, non manet reservatum peccatum; e contra si immediate peccatum reservatur, sublata censura manet reservatum peccatum.

161. *Quinam peccata reservare possint.* Potestas reservandi peccata residet in omnibus, qui iurisdictione ordinaria pollent: qui enim iurisdictionem aliis conferre possunt, eandem etiam limitare possunt. Itaque

a. Summus pontifex casus reservare potest pro tota ecclesia; omnes alii superiores ecclesiastici, tum episcopi tum praelati regulares, quippe qui iurisdictionem a summo pontifice accipiant, in reservandis peccatis ab ipso dependent, ut adeo reservationibus eorum modum et limites praescibere possit.

b. Episcopi reservare possunt pro suis dioecesibus; episcopi igitur parochorum quoque iurisdictionem, utpote ipsis subiectam, hac ratione restringere possunt. Monentur tamen, ut solum atrociora et graviora crimina, nec nimis multa, scilicet non plura quam decem aut duodecim, nec ea, quae a romano pontifice iam fuerint reservata, nec ea, quae frequentius occurrunt, sibi reservent.

c. Superiores regulares casus reservare possunt respectu suorum subditorum; istorum tamen potestas reservandi ita limitibus circumscripta est, ut si velint, undecim tantum casus reservare possint, nec alios nec plures nisi cum consensu capituli generalis pro toto ordine vel provincialis pro certa provincia [1]).

---

[1]) Casus, quos regulares reservare possunt ex constit. Clementis VIII. *Sanctissimus:* 1. Apostasia a religione, etiam retento habitu. 2. Nocturna ac furtiva e monasterio egressio. 3. Veneficia, incantationes et sortilegia. 4. Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale. 5. Furtum mortale de rebus monasterii. 6. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. 7. Iuramentum falsum in iudicio legitimo. 8. Procuratio, consilium, vel auxilium ad abortum foetus animati, etiam effectu non secuto. 9. Occisio, vel vulneratio, seu gravis percussio cuiuscumque personae. 10. Falsificatio manus, vel sigilli officialium monasterii. 11. Malitiosum impedimentum, retardatio, aut apertio litterarum a superioribus ad inferiores, vel contra.

d. Parochi pro sua parochia per se casus reservare possunt; cum tamen ex hodierna disciplina episcopi sacerdotibus delegent iurisdictionem, parochi autem potestatem ab episcopo delegatam restringere non possint, ademta est eis occasio reservandi peccata.

162. *Divisio.* Ratione auctoris, a quo reservatio procedit, casus reservati dividuntur in *casus papales,* quos summus pontifex pro universa ecclesia sibi reservat, et in *casus episcopales,* quos episcopus pro sua dioecesi sibi reservat.

1. *Casus papales* (exceptis duobus) omnes sunt reservati cum censura et quidem propter censuram. Casus igitur papales proprie sunt *censurae reservatae,* quarum aliae ordinario modo seu simpliciter, aliae speciali modo, aliae specialissime reservatae sunt.

A casibus, qui simpliciter reservati sunt, absolvere potest, qui generalem facultatem habet absolvendi a casibus papalibus; a casibus autem speciali modo reservatis, solum absolvere potest, cui peculiaris ad hoc potestas conceditur, in potestate tandem absolvendi a casibus speciali modo reservatis non continetur potestas absolvendi a peccatis specialissime reservatis.

2. Casus papae reservati per se seu *sine censura* sunt: *1. falsa denuntiatio confessarii* de crimine sollicitationis apud iudices ecclesiasticos; qui quidem casus specialissime reservatus est. 2. *Acceptatio munerum a regularibus* utriusque sexus. Iste casus in eo consistit, ut qui accepit munera (in materia gravi) [1]) a regularibus (votis solemnibus obstrictis), absolvi non possit, nisi accepta restituantur. Quocirca si quis iam restituerit, aut restituere velit, cessat reservatio.

3. *Casus episcopales* sunt duplicis generis, alii quos episcopi sibi reservant; et hi quidem pro diversitate locorum diversi sunt, ordinarie sine censura reservantur, et

---

[1]) Gravem materiam in hac re constituit valor, qui excedit decem scutata monetae romanae = c. 43 marc. = c. 53 frc.

si quandoque reservantur cum censura iuxta sententiam probabilem etiam in casibus episcopalibus immediate reservatur censura et propter censuram peccatum [1]); alii qui episcopis a iure communi reservantur: tres in const. *Apostolicae sedis* numerantur, et hi quidem cum censura et ratione censurae reservantur et ab omnibus indiscriminatim fidelibus contrahuntur, qui cum contumacia peccant [2]).

163. Ex consuetudine ecclesiae quinque *conditiones* requiruntur, ut peccatum censeri possit reservatum.

1. Ut sit *formale* in ea malitiae specie, ob quam reservatur, seu ut illa malitiae species fuerit cognita: si enim haec malitiae species prorsus incognita fuit, peccatum *sub hac ratione* mere materiale est.

Hinc si quis confitetur, se cum consanguinea (in secundo gradu) peccasse, quin sciret incestum specie differre a fornicatione, peccatum reservatum non incurrit. In praxi seu in concreto tamen haec ignorantia non est facile admittenda: nam etiam rudes saltem in confuso apprehendunt, non idem esse fornicari cum consanguinea et cum extranea; confusa autem cognitio ad incurrendum casum sufficit.

2. *Ut sit mortale* non solum ratione obiecti, sed etiam interne ratione actus, ideoque ut sit peccatum commissum in re gravi cum perfecta advertentia et pleno consensu; quocirca cessat reservatio, si peccatum vel ob parvitatem materiae vel ob imperfectionem actus redditur veniale.

3. *Ut sit externum,* etsi occultum, et etiam quoad actum externum grave, quia reservatio praecipue cadit in actum externum malum, qui proinde debet esse *graviter* malus. Si ergo actus externus esset levis, peccatum non esset reservatum, etsi actus internus esset gravis, ut si quis intentione graviter percutiendi clericum eum leviter tantum tangeret.

4. *Ut sit opere consummatum,* non solum attentatum, si e. g. reservatum sit homicidium, non sufficit inflixisse

---

[1]) Cf. *D'Annibale,* Summula I. n. 340. *Ballerini-Palmieri* V. n. 725.

[2]) 1. Clericos in sacris constitutos, vel regulares aut moniales post votum solemne castitatis matrimoniun contrahere praesumentes, necnon omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes. 2. Procurantes abortum, effectu secuto. 3. Literis apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini in ea re cooperantes.

vulnus aut dedisse venenum, sed requiritur, ut ipsa mors secuta sit, nisi ipsa lex reservans etiam actum imperfectum vel etiam attentationem seu machinationem reservatam velit.

5. *Ut sit certum,* non solum dubium; dubium autem intelligitur tum dubium *iuris:* an lex reservans se extendat etiam ad hunc casum; tum dubium *facti:* an peccatum revera commissum sit vel an commissum sit cum conditionibus, sub quibus reservatum est. Quodsi confessarius postea cognoscat peccatum certo fuisse reservatum, non debet denuo accusari, quia iam fuit directe absolutum. — Horum omnium ratio est, quia reservatio est res odiosa tum confessariis, quorum iurisdictionem restringit, tum poenitentibus, quibus confessionem reddit difficiliorem, ideoque est strictae interpretationis, quae non est extendenda ad actus dubios et imperfectos.

164. *An incurratur reservatio ab eo, qui reservationem ignorat i. e. an reservatum sit peccatum cum ignorantia reservationis commissum.*

Si reservatio est poenalis, non incurritur ab eo, qui reservationem ignorat, quia poena contumacibus infligitur; sine cognitione autem poenae non habetur contumacia; si autem reservatio est pure medicinalis, incurritur etiam ab ignorante reservationem. Hinc

a. In peccatis, quae *propter censuram* reservantur, in quibus ergo immediate censura et mediate peccatum reservatum est, ignorantia ab incurrenda reservatione excusat: reservationes enim, quae propter censuram fiunt, omnes poenales sunt. Insuper censura suapte natura poena est, quae ab ignorante non incurritur; deficiente autem censura cessat reservatio. Si autem cognoscatur quidem censura, sed ignoretur reservatio, haec ignorantia ab incurrenda reservatione non excusat, et pariter non excusat confusa tantum cognitio, qua cognoscitur quidem iniunctam esse aliquam poenam, quin determinate sciatur, quaenam sit.

b. Cum in casu romano pontifici sine censura reservato *de falsa accusatione sollicitationis* reservatio pariter sit etiam poenalis, ignorantia reservationis ab ea incurrenda probabiliter excusat [1]); quare ignorantes hanc reservationem prima vice absolvi possunt.

c. Utrum in casibus *ab episcopis* sine censura reservatis reservatio sit poenalis, an pure medicinalis, inter auctores non constat.

a. Ballerini cum pluribus antiquioribus censet, reservationes omnes esse poenales ideoque ignorantiam ab iis incurrendis excusare [2]). Censent nimirum patroni huius sententiae omnes reservationes non solum de facto, sed etiam de iure esse poenas medicinales. Deinde addunt, etiamsi reservationes mere medicinales essent, tamen ignorantia excusaret quia, reservatio ignorantibus neque medicina esse posset: qui enim reservationem ignorat, per eam a peccato non retrahitur. *S. Alphonsus* econtra (n. 581) cum multis antiquioribus et plerisque recentioribus putat, reservationes omnes vel saltem plerasque esse pure medicinales ideoque incurri etiam ab ignorantibus. Patroni huius sententiae ita argumentantur: reservatio immediate afficit confessarium, cuius iurisdictionem restringit; ergo sive poenitens reservationem ignorat sive non, potestas confessarii semper manet restricta. Verum illi opponunt: hoc ipsum est in quaestione, an potestas confessarii relate ad peccatum cum ignorantia reservationis commissum sit vel non sit restricta. At merito hi ulterius observant, adversarios in primo argumento gratis asserere, reservationes esse poenales: et concesso secundo argumento semper vigere illam rationem reservationis, quae etiam ignorantes afficit, desumtam scilicet ex prudenti gubernatione ecclesiae, quae postulat, ut maiores causae ad superiorem iudicem remittantur.

b. Pro praxi notandum est, episcopum sine dubio casus ita sibi reservare posse, ut incurrantur etiam ab ignorantibus reservationem. Quare si vel ex declaratione expressa vel ex alio signo de intentione episcopi reservantis constat, profecto incurritur etiam ab ignorantibus [3]). Quodsi

---

[1]) In Constitutione Benedicti XIV. *Sacramentum poenitentiae*, quae hoc „atrox peccatum" rom. pontifici reservat, intentio reservantis his verbis significatur: „ut tam detestabile facinus metu magnitudinis poenae coërceatur". Cum ex his verbis non constet, reservationem hanc *primario* poenalem et secundario medicinalem esse, saltem affirmari potest, ignorantes probabiliter eam non incurrere, quia haec sententia non contradicente ecclesia ab auctoribus traditur.

[2]) Cf. *Gury-Ballerini* ad n. 571.

[3]) Celsissimus Brixinensis expresse declaravit, ignorantiam non excusare a reservatione, econtra episcopus Sedunensis declaravit, eandem excusare.

neque explicite neque implicite voluntas episcopi manifestatur, dico probabile esse, ignorantiam a reservatione excusare et ideo eum, qui reservationem ignorat, tuto prima vice absolvi posse[1]): si enim peccatum reipsa reservatum est, ecclesia supplet iurisdictionem. Qui tamen prima vice propter ignorantiam reservationis absolutus est, de eadem moneri et instrui debet.

Articulus secundus.

De absolutione a casibus reservatis.

165. *Quinam absolvere possint.* 1. Potestate *ordinaria* a casibus reservatis absolvere possunt reservans, eius in munere successor et reservantis superior; itaque *a. Summus pontifex* et poenitentiarius maior in tota ecclesia ab omnibus casibus reservatis; *b. Episcopi* et eorum vicarii generales a casibus episcopalibus in sua quisque dioecesi; *c. Superiores regulares* a casibus reservatis regularium in suo quisque ordine.

2. Potestate *delegata* a casibus reservatis absolvere possunt, qui a legitimo superiore specialem facultatem absolvendi obtinuerunt.

a. Episcopi ex capite *Liceat*[2]) potestatem habent absolvendi ab omnibus casibus occultis papae simpliciter (non autem speciali modo) reservatis, et hanc quidem potestatem aliis quoque delegare possunt. Ampliores, quas plerique episcopi habent, facultates (quinquennales, triennales) ex specialibus indultis a s. sede concessis derivantur.

b. Regulares α. non possunt *nec suos nec externos* absolvere a casibus papalibus neque simpliciter tantum reservatis; *β.* non possunt *externos* absolvere a casibus episcopo reservatis, nisi ab ipso specialem facultatem acceperint; imo delegati ad casus papales absolvere non possunt a casibus ab ipsis episcopis reservatis, a casibus tamen a iure episcopis reservatis absolvere possunt, nisi

[1]) *Ballerini-Palmieri* Vol. V. Append. pars 2.

[2]) Conc. trid. sess. 24. de reform. 6.

eos episcopi specialiter sibi reservaverint. γ. *Peregrinos* ex const. *Superna* a casibus episcopalibus absolvere possunt, nisi casus utrobique (in dioecesi peregrini et in dioecesi, ubi confitetur) reservatus sit et nisi confessarii noverint, poenitentes in aliam dioecesim in fraudem reservationis migrasse. δ. *Suos* et qui de ipsorum familia sunt, a casibus episcopalibus absolvere possunt, quia regulares eorumque familiares reservationes episcopales non incurrunt.

c. *Confessarii* omnes, qui specialem facultatem acceperunt absolvendi a reservatis. Et monentur episcopi, ne sint difficiles in concedenda hac potestate praesertim in locis, qui a sede episcopali longius remoti sunt, ne nimirum suis subditis usum sacramentorum nimis onerosum et difficilem reddant [1]). Quoad *regulares* autem a Clemente VIII. statutum est, ut confessarius subditum absolvere possit, si superior rogatus nollet concedere facultatem absolvendi ab aliquo casu reservato. Quod valet etiam pro confessariis monialium sive earum superior sit regularis sive sit loci episcopus.

166. *De absolutione a reservatis.* 1. Si poenitens affert casum reservatum, statim antequam ulteriora accusat, examinandus est, an satis deliberate adeoque mortaliter peccaverit et an sciverit peccatum esse reservatum. Quodsi adsunt conditiones, quae ad reservationem incurrendam requiruntur, poenitenti dicendum est, ut superiorem vel confessarium privilegiatum adeat, aut post paucos dies redeat ad obtinendam absolutionem, ad quam conferendam confessarius interim potestatem necessariam sibi procurabit.

2. Ordinarie consultum est, ut confessarius ipse a legitimo superiore facultatem absolvendi sibi procuret et poenitentem ab onere aut adeundi habentem potestatem aut scribendi ad superiorem liberet.

3. Confessarius, qui sine necessaria facultate a casu reservato absolvit, absolutionem indirecte quidem validam etiam quoad hoc peccatum impertit, sed si scienter id

[1]) S. C. Ep et Reg. 26. nov. 1602.

facit, graviter peccat, et si a censura speciali modo romano pontifici reservata absolvere praesumit, insuper excommunicationem simpliciter reservatam incurrit [1]). Sunt tamen casus, in quibus etiam confessarius simplex a casibus tum papalibus tum episcopalibus valide et licite absolvere potest.

4. Quoad *casus papales* prorsus novum ius constituit decretum s. Officii 23. iun. 1886 [2]), ex quo iste modus agendi servandus est, et quidem in omnibus casibus papalibus etiam speciali et specialissimo modo et sine censura reservatis [3]).

a. Si poenitens affert casum papalem et ad confessarium privilegiatum pro absolutione dirigi nequit, ipsi iniungendum est, ut alio die redeat et interim potestatem absolvendi confessarius sibi procuret. In casibus vero urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae, quilibet confessarius a casu reservato absolvere potest idque *directe* [4]).

b. De casu urgentiori iudicare debet confessarius; quod si eius iudicium vel ex imprudentia vel ex levitate erraret, absolutio quidem valida esset, ipse autem graviter peccare potest: eius namque conscientia in hac re oneratur.

---

[1]) Constit. *Apostol. Sedis. I.* in fine.

[2]) 1°. „Utrum tuto adhuc teneri possit sententia docens, ad episcopum aut ad quemlibet alium sacerdotem approbatum devolvi absolutionem casuum et censurarum etiam speciali modo papae reservatarum, quando poenitens versatur in impossibilitate adeundi s. sedem. 2° Quatenus negative, utrum recurrendum sit saltem per litteras ad em. s. poenitentiariae praefectum pro omnibus casibus papae reservatis, nisi episcopus habeat speciale indultum (praeterquam in articulo mortis) ad obtinendam absolvendi facultatem.“ — „Ad 1m, attenta praxi s. poenitentiariae, praesertim ab edita const. Pii IX. Apostolicae sedis, *negative*. Ad 2m *affirmative*. At in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae, super quo confessariorum conscientia oneratur, dari posse absolutionem, iniunctis de iure iniungendis, a censuris etiam speciali modo summo pontifici reservatis, sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi, saltem infra mensem, per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrat ad s. sedem.“ Ad hoc declarandum plura alia decreta inferius citanda edita sunt.

[3]) S. Poenit. 7. nov. 1888.

[4]) S. Offic. 19. aug. 1891.

c. Casus eiusmodi vere urgentiores, in quibus scilicet poenitenti grave damnum ex dilata absolutione imminet, diversi esse possunt e. g. aliorum scandalum, poenitentis diffamatio, necessitas celebrandi vel communicandi, praeceptum annuae confessionis, diuturna permanentia in peccato etc.

d. Absoluto autem iniungenda est obligatio, *infra mensem* vel per se vel per confessarium recurrendi ad s. sedem eiusque mandatis obediendi, vel a confessario privilegiato novam absolutionem petendi idque *sub poena reincidentiae* in eandem censuram. Quae quidem obligatio iniungenda est in omnibus casibus tum speciali modo tum simpliciter reservatis [1]). Ad evitandam tamen reincidentiam sufficit, ut ultimo die mensis ab accepta absolutione litterae supplices exarentur.

e. Cum episcopi a censuris rom. pontifici simpliciter reservatis, si casus sint occulti, ex c. *Liceat* semper absolvere possint, et cum ipsi insuper nunc plerumque particulares facultates accipiant absolvendi ab omnibus casibus papalibus etiam speciali modo reservatis tum occultis tum publicis, duobus tantum exceptis (falsa denuntiatione sollicitationis et absolutione complicis); recursus fieri potest etiam, si lubet, ad episcopum [2]).

5. Quoad *casus episcopales*, sive cum censura sive absque censura reservati sint, decretum hoc s. Officii nihil immutavit; simplex igitur confessarius, non habens potestatem in reservata, a casibus episcopalibus absolvere potest, quoties facultas peti nequit et urget necessitas absolvendi. Casus autem, in quibus urget ista necessitas, sunt iidem supra nominati. Duo tamen notanda sunt:

---

[1]) S. O. 17. iun. 1891.

[2]) „Sufficit, posito casu urgentiori absolutionis, exigere a poenitente promissionem scribendi, tacito si vult nomine, ad s. poenitentiariam infra mensem et standi illius mandatis, quin confessarius ipse scribat.“ *S. Poen.* 7. nov. 1888. „Poenitens non tenetur per eundem confessarium, qui eum absolvit, recurrere, sed potest id praestare per alium confessarium et etiam per se ipsum directe, quando intercedit rationabilis causa mentito nomine.“ *S. Poen.* 28. mai. 1888.

a. Absolutio haec est *indirecta* tantum, cum confessarius non habeat potestatem in reservata, quocirca remanet pro poenitente obligatio peccatum denuo subiiciendi clavibus, ut ab habente potestatem directe absolvatur.

b. Si poenitens habeat solum peccata reservata, absolvi non potest, nisi confiteatur aliquod veniale aut mortale iam remissum, quia alias non adesset materia directe remittenda [1]).

167. *An habens reservata in necessitate celebrandi aut communicandi teneatur confiteri confessario simplici alio deficiente.*

In hac quaestione aliud statuendum est de *reservatis papalibus* et aliud de reservatis episcopalibus. Cum enim per decretum 23. iun. 1886 omnibus confessariis facta sit potestas in casibus urgentioribus directe absolvendi ab omnibus peccatis et censuris romano pontifici quomodocunque reservatis, nulla amplius existit causa excusans a confessione ante sacrum vel communionem simplici confessario integre facienda. Quod si de casibus *episcopalibus* agitur, haec notanda sunt.

a. Si non habeat nisi reservata, non tenetur confiteri, quia directe remitti nequeunt; potest igitur urgente necessitate cum sola contritione celebrare aut communicare. Si tamen advertat, se habere solam attritionem, confiteri tenetur aliquod veniale aut mortale iam remissum, ut saltem indirecte a reservatis absolvatur. Atque hoc idem facere potest, etiamsi contritionem habeat, ut securius statum gratiae sibi procuret.

---

[1]) *Forma scribendi, qua petitur facultas absolvendi a casu reservato.* Reverendissime ac Illustrissime Domine. — Titius incidit in casum in nostra dioecesi reservatum sub n. IV. (vel: in excommunicationem papae speciali modo reservatam sub n. 2.). Cum ipsum facti poeniteat, humiliter petit absolutionem.

Rescriptum benigne dirigatur ad me confessarium infrascriptum, servum humillimum N. N. in N. N.

Existente autem periculo violandi sigillum, petenda esset facultas absolvendi a reservatis in genere.

b. Si habet reservata, et mortalia non reservata, confiteri tenetur, quia urget praeceptum praemittendi confessionem ante communionem nec ulla existit legitima ab eodem excusatio. Non tenetur tamen confiteri etiam peccata reservata, sed sufficit, ut non reservata declaret, tum quia per se nulla est obligatio confitendi peccata, a quibus directe non potest absolvi, tum quia alias teneretur bis confiteri eadem peccata.

168. *Quando cesset reservatio. 1. In articulo mortis cessat omnis reservatio;* potest ergo quilibet confessarius moribundum absolvere a quibusvis censuris et peccatis sive a morbo sive a causa externa ortum sit mortis periculum. Hoc tamen notandum est:

a. Si peccatum est reservatum *sine censura,* nulla restat obligatio postea se sistendi superiori; si autem peccatum reservatum est *cum censura speciali modo* summo pontifici reservata, poenitens promittere debet, ut si convaluerit, se sistat superiori, non ut iterum absolvatur, sed ut debitam admonitionem et poenitentiam accipiat; et si censura sit *publica,* haec promissio se sistendi superiori coram testibus fieri debet.

Obligatio recurrendi incipit a tempore convalescentiae et impleri debet cum primum fieri poterit [1]). Certe sufficit, si intra mensem fiat.

b. Licet simplex confessarius etiam praesente eo, qui potestatem habet in reservata, absolvere possit a peccatis etiam cum censura reservatis, consultius tamen est adhibere confessarium habentem potestatem in censuras reservatas, ne, si convalescat infirmus, cogatur adire superiorem.

2. *Reservatio cessat per absolutionem* validam ab eo datam, qui ordinariam vel delegatam potestatem habet absolvendi a peccatis reservatis. Cessat insuper in sequentibus casibus.

a. Per confessionem etiam *invalidam* aut sacrilegam apud confessarium habentem potestatem in reservata, *in qua accusatur reservatum:* legitimus enim superior de pec-

---

[1]) Cf. Rituale rom. t. III. c. 1. n. 23.

cato reservato iam iudicavit et poenitens congruam poenitentiam iam accepit, quam quidem in hoc casu adimplere tenetur, etsi confessio fuerit nulla.

b. Per confessionem *validam* apud confessarium habentem potestatem in reservata, in qua reservatum ex oblivione *non accusatur:* haec sententia propter auctoritatem *s. Alphonsi,* qui eandem (n. 597.) dicit probabilem, practice tuta est. Illius hanc ipse rationem assignat: confessarius censetur poenitentem rite dispositum ab omni vinculo liberare velle, dicit enim: in quantum possum et tu indiges; cum igitur a peccato eum liberare non possit, saltem a *reservatione* liberat. Quapropter poenitens postea ab illo peccato a simplici confessario rite absolvi potest.

c. Per confessionem peccati *dubie reservati* apud simplicem confessarium, etiamsi postea cognoscat certe reservatum esse; hoc enim peccatum iam directe absolutum est ecclesia iurisdictionem supplente.

Per confessionem factam *simplici confessario,* qui rite dispositum ex inadvertentia a peccato reservato absolvit, in hac nostra dioecesi brixinensi ex voluntate Celsissimi tollitur reservatio per directam absolutionem. Ubi vero episcopus reservans hanc specialem facultatem non dederit, poenitens in hoc casu indirecte tantum absolvitur, modo simul confiteatur peccatum non reservatum.

169. *De peregrinis quoad casus reservatos.* 1. Confessarii *regulares* peregrinos *vi privilegii* pontificii a casibus in propria poenitentis dioecesi reservatos absolvere possunt, nisi peccatum sit utrobique reservatum et nisi *alio migraverint in fraudem reservationis,* atque id quidem etiamsi bona fide id facerent putantes, id non esse prohibitum. Quando autem quis dicendus sit alio migrare in fraudem reservationis, non una est omnium sententia. Post *s. Alphonsum* communiter ita explicant: quando scilicet quis alienam dioecesim petit ob principalem finem non solum confitendi, sed etiam declinandi iudicium proprii pastoris ideoque petendi absolutionem a reservatis. Quare non migrat in fraudem reservationis ideoque valide et licite absolvi potest peregrinus, qui abierit in aliam dioecesim ob aliquem honestum finem, puta negotii agendi vel lucrandae indul-

gentiae causa, vel etiam ut confessarium incognitum vel prudentiorem inveniat, vel ob alia similia motiva. Nihil autem impedit, quominus etiam confessarii regulares utantur ampliori facultate, quam consuetudo concedit confessariis saecularibus.

2. Confessarii *saeculares* peregrinos *vi consuetudinis* simpliciter absolvere possunt a casibus in propria peregrinorum dioecesi reservatis, nisi cognoscant eos in fraudem reservationis alio migrasse. Absolvuntur enim peregrini potestate confessariis a proprio peregrinorum episcopo indirecte collata; iam si superior aut expresse aut tacite alieno facultatem concedit suum subditum absolvendi, per se quidem non intelligitur data facultas absolvendi etiam a reservatis; at considerata hinc quidem facilitate et frequenter etiam necessitate, quae nunc est, huc illuc migrandi, inde vero impossibilitate cognoscendi ac memoria retinendi diversarum dioecesium peccata reservata, consuetudo iam pridem invaluit absolvendi peregrinos etiam a casibus reservatis, quam consuetudinem episcopi tacito consensu approbantes concedunt absolvendi facultatem.

3. A peccatis reservatis in dioecesi, in qua confitentur, peregrini absolvi possunt, tum quia non sunt subditi episcopi loci; episcopus autem non potest reservare peccata eorum, qui sibi non subiiciuntur; tum quia potestas sacerdotis absolventis non est restricta: non enim episcopus loci, sed episcopus peregrini facultatem absolvendi concedit; episcopus autem peregrini haec peccata non reservavit.

Articulus tertius.

De absolutione proprii complicis.

170. Celebris est constitutio Benedicti XIV. *Sacramentum poenitentiae* (1. iun. 1741), ad quam declarandam idem pontifex postea (8. febr. 1745) edidit novam constitutionem *Apostolici muneris* et a. 1749 tertiam *Inter praeteritos*. Tria potissimum constitutio illa continet: de sollicitatione in confessione, de calumniosa denuntiatione confessarii sollicitantis et de absolutione complicis. Finis autem eorum, quae in his con-

stitutionibus statuuntur, non est solum punire delinquentem, sed potissimum procurare dignam sacramenti poenitentiae administrationem: summa enim indecentia in eo continetur, ut sacerdos excipiat confessionem personae, cum qua turpe peccatum commisit, et ita iudicem agat in crimine, cuius ipse est particeps; et summa pariter in eo continetur indecentia, ut ulterius confessiones excipiat sacerdos in confessione sollicitans, quippe qui in ruinam spiritualem coniiciat, quem a peccato absolvere et praeservare deberet. Tandem s. pontifex intendit etiam removere peccandi pericula: nova enim tentatio et iteratum delictum semper timeri debet.

De absolutione proprii complicis.

Confessarius non solum prohibetur absolvere proprium complicem in peccato turpi, sed insuper iurisdictione in eum privatur, et quidem in perpetuum quoad peccatum complicitatis, quoad alia autem peccata quamdiu illud peccatum est materia necessaria confessionis et simul directae absolutionis i. e. si peccatum complicitatis simul cum aliis in confessione declaratur.

1. Si ergo confessarius proprium complicem absolvit, absolutio non solum illicita, sed etiam invalida est, ut adeo poenitens ceteroquin rite dispositus nec a peccato complicitatis nec ab aliis peccatis absolvatur.

2. Si tamen poenitens turpe complicitatis peccatum non declarat, sive ex oblivione sive de industria id fiat, valida est absolutio, modo poenitens in bona fide sit: nam summus pontifex *directam* absolutionem prohibet et irritat; peccatum autem non accusatum non exigit nec potest directe absolvi.

3. Monendus est confessarius complex, ne unquam ultra necessitaten sui complicis confessionem excipiat; si tamen hic ei confiteatur, postquam ab alio a complicitatis peccato iam fuerat directe absolutus, licite et valide absolvitur, si praeter complicitatis peccatum aliud clavibus subiiciat, at invalida est absolutio, si illud solum confitetur, quia ex voluntate summi pontificis omni iurisdictione, idque in perpetuum, in illud peccatum privatur.

4. Sunt tamen pauci casus, in quibus sacerdos proprium complicem valide et licite absolvere potest:

a. In articulo vel periculo mortis, ubi nullus alius adest vel vocari potest sacerdos neque simplex[1]), vel si merito timetur infirmi, qui alteri confiteri recusat, sacrilega confessio, vel si vocari quidem possit alius sacerdos, at non sine gravi scandalo vel infamia sacerdotis complicis. Tenetur tamen in hoc casu periculum scandali vel infamiae praecavere, si possit, e. g. sub aliquo praetextu abscedendo; quod si facere omittit, etsi possit, vel si periculum scandali et infamiae confingit, ubi non est, valide quidem absolvit, at illicite agit et censuram incurrit.

b. In gravissima necessitate, si e. g. non adsit alius confessarius nec spes sit habendi alium nisi post diuturnum tempus, ut in missionibus accidere potest, praesertim si accedat periculum scandali et infamiae, eo quod poenitens per longius tempus a sacramentis abstineat. Vix enim credibile est, summum pontificem voluisse, ut lex ista, licet prohibens et irritans, etiam in eiusmodi adiunctis obliget; quam ob rem in eiusmodi casibus gravissimae necessitatis lex exceptionem pati videtur[2]).

c. Si confessarius dubitet, an poenitens sit proprius complex: prudenter enim praesumi potest, pontificem non voluisse privationem iurisdictionis ad hunc quoque casum extendere, cum durissimum sit, sacerdotem cogere, ut ipse turpitudinem suam alteri manifestet.

171. *Declarationes.* 1. Complex dicitur, qui cum alio in idem peccatum (turpe) externum consentit, sive uterque operetur ut in mutuis tactibus, colloquiis sive unus tan-

---

[1]) Sunt qui dicant, etiam sacerdotem suspensum et excommunicatum sacerdoti complici praeferendum esse, quia in bulla dicitur: „deficiente tunc *quocunque alio sacerdote,* qui confessarii munus obire possit"; alii autem ex eadem bulla colligunt, solum non approbatum complici in absolvendo moribundo praeferri debere.

[2]) Ceterum in casu gravissimae necessitatis confessarius potest petere facultatem absolvendi complicem, neque necesse est, ut se prodat: potest enim facultatem tecto nomine (Titius) petere et obtenta facultate ipse uti. *Berardi,* Examen I. n. 130. *Bucceroni* n. 49.

tum operetur e. g. alium tangat, et hic consentiat et consensum exterius manifestet. Consensum autem exterius iam manifestare censetur, qui externe non resistit.

2. Nomine *complicis* intelligitur quaelibet persona, cum qua sacerdos peccatum turpe commisit; ergo non solum femina, sed etiam vir aut puer, licet nondum puber, imo etiam persona, quacum sacerdos ante susceptum sacerdotium peccavit [1]).

3. Nomine *peccati turpis* comprehenditur quodvis peccatum contra sextum praeceptum, etsi non sit copula consummatum, imo licet sit solus tactus turpis aut aspectus aut colloquium inhonestum [2]). Requiritur autem, ut peccatum sit ex *utraque parte certum*, *externum* et *grave* tum ratione actus interni tum ratione externi.

Hinc non habetur illa complicitas, de qua loquitur constitutio pontificia,

a. si commissa sint solum *peccata venialia* sive ex parvitate materiae sive ex imperfectione actus;

b. si peccata commissa quoad *actum externum* sint tantum *venialia* e. g. contrectatio manus, etsi interne pravo affectu gravia;

c. si peccata commissa sint *mere interna* exterius non manifestata;

d. si peccata sint *dubia* sive dubio facti circa gravitatem, advertentiam, consensum; sive dubio iuris, si nimirum est controversia, an talis species peccati cadat sub bulla;

e. si non constet, ipsum quoque poenitentem graviter peccasse. Hinc non esset proprie complex sacerdos, qui peccaret cum dormiente, ebria, amente, vel qui persuaderet feminae, non esse peccatum, si permittat se turpiter tangi.

4. Non prodest error aut bona fides poenitentis; unde si poenitens a sacerdote complice absolvitur, etsi in bona fide sit, remanet obligatio idem peccatum postea confitendi; de qua obligatione opportune monendus est.

5. Nec potest sacerdos complex suum complicem absolvere vi iubilaei aut cuiuscunque privilegii sive ipsi sive poenitenti concessi.

---

[1]) S. Poenitent. 22. ian. 1879.

[2]) S. Off. 28. mai. 1873.

6. Si bona fide absolvit, sive quia ignorat se carere iurisdictione, sive quia non advertit, poenitentem esse suum complicem, controvertitur.

Alii absolutionem dicunt invalidam, quia s. pontifex non sacerdotem, qui suum complicem absolvere *ausus fuerit,* sed sacerdotem complicem simpliciter et absque ulla distinctione iurisdictione privat. *Alii* validam dicunt, quia iurisdictionis privatio habet rationem poenae, poena autem ab ignorantibus non incurritur.

172. *Poena in absolventes complicem.* Sedulo distingui debet ablatio iurisdictionis in proprium complicem et poena excommunicationis in absolventem proprium complicem lata: fieri enim potest, ut invalida sit absolutio, quin incurratur excommunicatio et econtra, ut incurratur excommunicatio, ubi valida est absolutio.

1. Confessarius, qui proprium complicem in peccato turpi absolvit, incurrit excommunicationem romano pontifici speciali imo specialissimo modo reservatum [1]). Ex declaratione s. sedis hanc poenam ille quoque incurrit, qui complicem quidem non absolvit, sed absolutionem aut simulat aut dissimulat [2]); quare contraria *s. Alphonsi* sententia nequit amplius tuto doceri.

2. Ut incurratur censura requiritur, ut sacerdos absolvens sciat, se absolvere suum complicem et pariter ut poenitens sciat, se cum hoc sacerdote peccasse, licet in actu confessionis eum non agnoscat: complicitas enim *formalis* esse debet, ut incurratur censura. Ipse autem poenitens complex nullam poenam incurrit.

Excommunicationem igitur non incurrit:

a. Qui complicem solum audit in confessione, sed non absolvit;

b. Qui absolvit quidem, sed cum ignorantia censurae vel sine advertentia ad complicitatem poenitentis [3]);

---

[1]) Ex Const. *Apost. Sedis* et ex decr. s. Offic. 17. ian. 1866.

[2]) S. Poenitent. 1. mart. 1878 et s. Officii 10. decembr. 1883.

[3]) Antiquiores quidem a censura illum quoque excusant, qui complicem cum *ignorantia crassa* absolvit, quia constitutio benedictina censuram in eum fert, qui *ausus fuerit* absolvere; cum tamen Constitutio

c. Ex eadem ratione et ex declaratione s. Poenitent. 16. mai 1877. neque ille, ut videtur, qui urgente confessionis praecepto complicem, qui alteri sine gravi scandalo vel infamia confiteri non potest, indirecte tantum absolvit et monet, ipsum debere postea alium confessarium adire;

d. Qui absolvit complicem, qui complicitatis peccatum non declarat, vel quem confessarius non cognoscit esse suum complicem.

Articulus quartus.

De sollicitatione in confessione.

173. 1. Huc pertinet imprimis bulla Gregorii XV. *Universi gregis* (a. 1622), quae leges particulares iam antea hac de re pro hispaniis latas ad universum orbem extendit. Postea (11. febr. 1661) edita sunt sexdecim decreta s. Officii [1]), quibus constitutiones pontificiae declarantur; his decretis accedunt duae propositiones (6. 7.) ab Alexandro VII. damnatae; haec omnia confirmavit Benedictus XIV. constitutione *Sacramentum poenitentiae*; tandem 20. febr. 1867 s. Officium instructionem dedit ad omnes archiepiscopos et episcopos circa observationem constitutionis benedictinae.

2. Sacerdotes ad turpia sollicitantes in confessione denuntiandi sunt iudicibus ecclesiasticis; cuius quidem praecepti ratio est, quia sacerdos, qui sacramento poenitentiae abuti ad tantum crimen non veretur, est suspectus de haeresi; qui autem de haeresi suspectus est, ex antiquis legibus denuntiari debebat Inquisitoribus et haeresim abiurare cogebatur.

174. *De ipsa sollicitatione.* Crimen, propter quod denuntiandus est confessarius, est *sollicitatio ad turpia* seu ad peccatum contra sextum decalogi praeceptum. Sollicitare ad turpia autem dicitur, qui alium directe ad turpia inducere conatur. Qui ergo aliqua qualicunque actione sive per se inhonesta sive per se indifferenti, sed turpem affectum ostendente in altero turpem affectum excitare intendit, ad turpia sollicitare dicitur.

1. Si igitur sollicitatio fit per verba, advertendum est, an verba vel per se vel ex adiunctis turpem affectum significent et ad turpem affectum provocent.

Apost. sedis excommunicatione feriat simpliciter eum, qui *absolvit,* merito recentiores absolventem cum ignorantia crassa non excusant eorumque doctrinam confirmat responsum *s. Officii* 13. ian. 1892.

[1]) Conferri possunt apud *Lehmkuhl* n. 975.

Ideo *a.* ex sententia *s. Alphonsi* sollicitationem continent haec verba: tecum nuberem, si essem saecularis; econtra haec verba: memento mei, quia te ex corde diligo, aut haec alia: veniam in domum et promitte mihi facere, quod voluero, turpem vel etiam alium indifferentem sensum habere possunt; quare ex adiunctis de illis iudicium ferendum est; si ergo postea in domum veniens mulierem sollicitaret, pravo affectu prolata censentur.

b. Si confessarius poenitenti iniungat, ut ipsum domi expectet, vel si eam interroget, ubi habitet, vel si invitet, ut sola in domum confessarii veniat, verba per se sunt indifferentia; si autem postea ex adiunctis cognoscantur dicta ex prava intentione, sollicitationem continent. Tum autem et tum solum eiusmodi verba damnanda essent de turpi sollicitatione, si praeter inhonestam nulla alia prudenter fingi posset causa, propter quam a confessario dicta sint.

c. Si confessarius mulierem in confessione *laudat de pulchritudine* et venustate, verba serio et prudenter possunt esse prolata e. g. ad monendam poenitentem de periculo peccandi, vel ex imprudentia et levitate, vel tandem ex prava intentione prolata esse possunt; patet solum si affectum libidinosum redolent, verba continere sollicitationem.

d. Si confessarius audiens famulae confessionem coram ipsa *laudat dominae pulchritudinem* commendans, ut haec dominae referat, de his aeque ac in priori casu iudicandum est; merito tamen addit *s. Alphonsus* (n. 703), facilius hanc laudem accipiendam esse in pravum sensum, quia prudenter vix potest fingi huius rei alia ratio.

2. Si confessarius poenitenti in confessione largitur *donum magni valoris,* res secundum eandem normam diiudicanda est: cum enim per se sit aliquid indifferens, ex adiunctis desumi debet, an prava sollicitandi intentione id factum sit.

3. Si confessarius poenitenti in confessione vel in iis adiunctis, in quibus habetur sollicitatio denuntianda, tradit *chartam domi legendam,* in qua illum ad turpia excitat, denuntiandus est.

4. Sollicitationi proprie dictae in constitutione benedictina additur aliud peccatum, propter quod confessarius denuntiandus est scilicet *turpes sermones aut tractatus* in confessione habiti, qui quidem solum late et improprie sollicitatio vocari possunt. Nomine autem *tractatus* non tam inhonesti sermones, quam turpes actiones ut tactus intelliguntur.

175. *Conditiones, sub quibus sollicitatio denuntianda est.* Ut existat obligatio denuntiandi, quatuor conditiones requiruntur:

1. Debet esse sollicitatio *ad peccatum turpe,* non ad aliud quodpiam peccatum; nihil tamen refert sive marem sollicitaverit sive feminam, sive sollicitaverit ad peccandum secum ipso sive cum alio, sive demum poenitentem immediate sollicitaverit sive mediante poenitente aliam quamcunque personam ad peccatum secum committendum induxerit.

2. Crimen sollicitationis debet esse *certum;* quare non solum de dicto vel facto confessarii certo constare debet poenitenti, sed insuper certum esse debet, illud veram sollicitationem continere: cum enim confessarius sit in certa possessione suae famae, non potest ea sine iniuria per denuntiationem privari, nisi de sollicitatione certo constet.

3. Crimen sollicitationis debet esse *graviter culpabile;* ubi notandum est, actus leves vel indifferentes, per quos confessarius sollicitat, graves esse posse vel ex affectu libidinoso, vel ex prava intentione, qua alium ad grave peccatum pertrahere conatur; si autem poenitentem solum *ad actus leves* inducere intendit, non committit peccatum sollicitationis denuntiandum.

4. Crimen sollicitationis debet esse commissum *in confessione* seu *cum relatione ad confessionem;* quare non est denuntianda sollicitatio commissa in administratione aliorum sacramentorum. Quando autem censeri debeat facta cum relatione ad confessionem, constitutio benedictina sic explicat: *qui aliquem poenitentem vel in actu sacramentalis confessionis vel ante vel immediate post confessionem vel occasione aut praetextu confessionis vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo cum simulatione audiendi ibidem confessionem ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare sive verbis sive signis sive nutibus sive tactu sive per scripturam aut tunc aut postea legendam ten-*

taverint aut cum eo illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint. Itaque

a. In actu sacramentalis confessionis sollicitat, qui inter initium confessionis (cum sacerdos poenitenti benedicit) et absolutionem sollicitat. In actu autem confessionis sollicitare sacerdos censetur, modo coepta sit confessio, etsi non fuerit completa vel poenitens quacunque de causa non sit absolutus.

b. Immediate ante vel immediate post; haec verba stricte accipienda sunt, ita scilicet ut inter sollicitationem et sacramentalem confessionem nullum intervallum seu nulla alia actio intervenerit, quae non referatur ut medium ad sollicitationem; fieri autem potest, ut, qui denuntiandus non est ex hoc capite, denuntiari debeat ex alia clausula.

Ergo denuntiandus est. qui mulierem in loco confessionis ad instituendam confessionem iam genuflexam sollicitat, vel qui mulierem sollicitat, quae post confessionem ad deosculandam manum confessarii accedit, vel qui puerum statim post confessionem ducit in cubiculum eumque ibi sollicitat. At vero sollicitatio facta altero die post confessionem, imo etiam sollicitatio facta postquam poenitens a conspectu confessarii iam discessit, non censetur facta immediate post confessionem, modo in confessione pravum suum animum non manifestaverit.

c. Occasione confessionis: etiam haec verba stricte interpretanda esse videntur, ut adeo significent, si poenitens accesserit ad confessionem faciendam, etsi confessio ipsa propter sollicitationem a confessario factam reipsa secuta non fuerit. At non videtur dici posse, sollicitationem accidisse occasione confessionis, si confessarius occasione alicuius notitiae ex confessione haustae, vel occasione petitionis postea audiendi confessionem, vel invitationis ad confessionem faciendam, vel promissionis audiendi postea confessionem sollicitaverit.

Ergo probabiliter denuntiandus non est confessarius, qui *a.* rogatus a poenitente extra locum confessionis, ut mox eius confessionem audire velit, eam sollicitat, sive dein sequatur confessio sive non, quia non occasione confessionis, sed *occasione petitionis confessionis* sollicitavit; a fortiori denuntiandus non est, qui rogatus a poenitente, ut cras eius confessionem excipere velit, eam sollicitat; qui *b.* ex confessione cognoscens poenitentis

animum proclivem ad turpia, inde ansam sumit eum postea sollicitandi, quia non tam confessio, quam *notitia ex confessione* hausta occasionem sollicitationis suppeditavit.

d. Praetextus confessionis est falsa allegatio confessionis ex parte confessarii, qua ille abutitur ad sollicitandum; habetur ergo vera sollicitatio, si confessarius extra locum confessionis sub praetextu confessionis poenitentem sollicitat, si e. g. invisens aegrotam dicat, se velle eius confessionem audire, ut alii recedant, et ipse dein aegrotam sollicitat.

e. Extra occasionem confessionis. Sollicitatio ergo denuntianda etiam tum habetur, cum poenitens ex fine qualicunque sive bono sive malo e. g. ad consilium petendum ad confessarium venerit, modo sollicitatio acciderit in uno ex tribus locis indicatis scilicet vel in confessionali, vel in loco ad confessiones audiendas destinato vel hic et nunc ad id electo cum simulatione confessionis.

f. Cum simulatione audiendi confessionem: obligatio denuntiandi ex sollicitatione extra occasionem confessionis facta in confessionali proprie dicto, vel in loco ex consuetudine ad excipiendas confessiones destinato, vel hic et nunc ad id specialiter electo solum habetur, si intercedat confessionis simulatio. Haec verba *cum simulatione confessionis* non solum ad ultimum, sed ad omnia tria membra referenda sunt; et in confessionali quidem et in loco pro confessionibus destinato ordinarie eo ipso habetur simulatio confessionis, quod confessarius et poenitens sunt in hoc loco; quoad tertium autem non sufficit, ut confessarius et poenitens sint in loco hic et nunc ad confessionem excipiendam electo et secum colloquantur, sed exterius ita se gerere debent, ut censeantur confessionem instituere. Hinc non est denuntiandus confessarius, qui sedens in confessionali sollicitat mulierem stantem ante illud.

176. *Quinam denuntiandi sint.* Denuntiandi sunt omnes *sacerdotes* cuiuscunque dignitatis tum saeculares tum regulares, modo sollicitationis crimen vere et certe commise-

rint[1]). Ex fontibus autem supra allegatis constat, quousque se extendat obligatio denuntiandi, scilicet denuntiandus est etiam

a. qui iurisdictione carebat (e. g. propter reservationem, complicitatem), modo sollicitaverit in confessione;

b. qui sollicitationi a poenitente factae solum consensit; ergo non solum propter ipsam sollicitationem, sed etiam propter consensum in sollicitationem a poenitente factam eumque exterius manifestatum confessarius denuntiandus est[2]);

c. qui iam ante longum tempus sollicitavit, cuius crimen mansit omnino occultum, qui iam emendatus est, quia ecclesia primario punitionem, non emendationem delinquentis intendit;

d. qui sollicitavit poenitentem non advertentem malitiam peccati, ad quod sollicitata fuerat;

e. etsi sollicitationis factae statim ipsum poenituit vel si coepta sollicitatione statim destitit;

f. etiamsi sollicitatio inter confessarium et poenitentem mutua fuit, vel si poenitens in sollicitationem consensit.

177. *Quinam denuntiare debeant confessarios sollicitantes:*

1. Ipsi poenitentes sollicitati, atque id quidem etsi alius iam denuntiaverit vel etsi in sollicitationem consenserint, quia nullum existit periculum seipsum diffamandi, siquidem sollicitati de consensu praestito non interrogantur, et si imprudenter interrogarentur, illum negare possent.

2. Omnes (etiam impuberes), qui delictum certo cognoverunt, etiamsi illud iuridice probare non possint; igitur tum testes immediati, qui scilicet sollicitationem factam

---

[1]) An denuntiandi sint etiam *episcopi* sollicitantes, non constat, et quod attinet *laicos* vel *clericos* nondum sacerdotes, qui se fingunt confessarios et in confessione sollicitant, denuntiandi sunt, non quidem ex constitutione benedictina propter sollicitationem, quippe quae de solis sacerdotibus loquatur, sed ex constitutione *Officii nostri* Gregorii XIII. propter suspicionem haeresis ex arrogato ministerio sacro ortam.

[2]) S. Offic. 20. febr. 1867.

suis ipsi sensibus perceperunt, tum qui alia via et ratione crimen cognoverunt, sive immediate a confessario aut a persona sollicitata, sive mediate ab alia persona, modo haec sit fide digna. Nec refert, si denuntiandus sit consanguineus vel si crimen sciatur sub secreto etiam cum iuramento promisso; qui tamen sub secreto consilii id novit, ad denuntiandum non tenetur, quia bonum commune exigit, ut hoc secretum sancte servetur.

178. *De poenitente sollicitato.* Ipsi ex gravi praecepto ecclesiae incumbit *obligatio sub poena excommunicationis intra mensem a cognita obligatione denuntiandi* ordinario confessarium sollicitantem.

1. Si de sollicitatione constat, confessarius poenitentem sollicitatum *de obligatione denuntiandi monere debet.* Quam quidem monitionem confessarius ex lege positiva ecclesiae sub gravi facere tenetur, etiamsi poenitens in bona fide sit et praevideatur obligationi suae non satisfacturus, excepto solum mortis casu, ne poenitens in periculum damnationis coniiciatur [1]). Quodsi hic et nunc ob iustum impedimentum denuntiare non posset, eum monere debet, obligationem cessante impedimento urgere.

Alios autem, qui sollicitati non fuerant, monere ex praecepto positivo non tenetur; pariter non tenetur suos poenitentes interrogare, an sollicitati fuerint, nisi ex eorum accusatione prudens suspicio factae sollicitationis ingeratur. Confessarii vero sollicitantes nunquam tenentur ipsi monere personam sollicitatam de obligatione denuntiandi, etsi postea ad sollicitantem confessionem peractura redeat.

2. Obligatio denuntiandi est *onus personale* ideoque ab ipsa persona sollicitata adimplendum, atque id quidem in forma iudiciali; quare poenitens obligationi non satisfacit per litteras privatas ad episcopum datas. Insuper haec obligatio *nunquam extinguitur* nisi morte sacerdotis sollicitantis; hinc si denuntiatio propter aliquod impedimentum fieri non potest, sublato postea impedimento iterum urget obligatio.

---

[1]) In utraque constitutione supra citata hoc praeceptum confessariis imponitur; poenae autem in confessarios non monentes sunt ferendae, non latae sententiae.

3. Poenitentes sollicitati *non possunt absolvi* nisi prius obligationi denuntiandi satisfecerint, vel nisi saltem promiserint, se intra mensem, si possunt, satisfacturos esse obligationi suae. Quare si poenitens ad denuntiandum sese ostendit paratum et de seria eius voluntate non ingeritur prudens dubium, statim concedi potest absolutio, praesertim si urget communicandi necessitas; si autem timeri debet, ne omittatur denuntiatio, differenda est absolutio, donec reapse facta sit denuntiatio.

4. Qui autem intra mensem a cognita obligatione sine ratione excusante seu culpabiliter non denuntiat, incurrit *excommunicationem nemini reservatam* [1], a qua ergo poenitentem dispositum quilibet confessarius absolvere potest.

a. Ut autem elapso mense excommunicationem incurrat, qui denuntiationem intra mensem non fecerit, requiritur *α.* ut sciverit obligationem denuntiandi eamque intra mensem faciendam esse; *β.* ut sciverit omissioni excommunicationem adnexam esse.

b. Excommunicationem incurrunt solum sollicitati; qui vero ipsi sollicitati non fuerint, propter omissam denuntiationem excommunicationem non incurrunt; si tamen a confessario moniti obligationi suae satisfacere renuunt, utpote indispositi absolvi non possunt.

5. Ex *iusta causa* sollicitatus a denuntiatione facienda *excusatur:* praeceptum enim istud, licet gravissimum, est praeceptum positivum ecclesiae, quod cum gravissimo incommodo non obligat. Eiusmodi causa excusans praeter impossibilitatem fere solum est probabile periculum gravis damni in bonis aut famae aut fortunae aut corporis; ergo non excusat timor incurrendi indignationem aut increpationem denuntiati, nec obligatio gratitudinis, qua sollicitatus erga sollicitantem devincitur, nec verecundia, quam denuntians subire debet.

Fieri potest, ut denuntiatio facienda sit etiam ex lege naturae, non solum ex lege positiva ecclesiae. Scilicet non quodvis factum sollicitationis inducit periculum damni publici, licet nonnullae ex praescriptionibus positivis ecclesiae eae sint, quae alias solum in casibus damni publici obligent; quare poenitentes ab obligatione denuntiandi ex gravissimo incommodo quandoque excusari possunt. Quodsi in aliquo casu sollicitationis

---

[1]) Const. *Sedis Apost.* IV. 4.

vere imminet damnum publicum aut communitatis, qui sollicitationis notitiam habent, iure naturae ad denuntiandum tenentur; ideo in hoc casu quamprimum facienda esset denuntiatio (non infra mensem), nec ab ea facienda incommodum etiam gravissimum deobligaret.

6. Falsa et *calumniosa denuntiatio* confessarii innocentis de crimine sollicitationis est *peccatum rom. pontifici specialissime reservatum* [1]), sed sine censura. Peccatum reservatum falsae denuntiationis est denuntiatio *iuridica*, non privata. Poenitens, qui hoc crimen confitetur, moneri debet, ut calumniam, quae ulterius divulgata non sit, saltem apud episcopum retractet et damna, quae sacerdos ex calumnia passus est, resarciat.

7. *Sacerdos sollicitans* gravibus quidem poenis afficitur, quae tamen omnes sunt *ferendae sententiae* [2]); ipsum autem crimen sollicitationis non est reservatum, nisi forte alicubi illud episcopus sibi reservaverit. Quare sacerdos sollicitans, si aliunde est dispositus, a quolibet confessario absolvi potest; attamen monendus est, ne personae sollicitatae, etsi ipsa complex non fuerit, amplius confessiones excipiat tum propter magnam indecentiam tum propter periculum relabendi.

179. *Modus agendi cum poenitente sollicitato.* Confessarius, cui affertur casus sollicitationis, hoc modo procedere debet.

1. Cum non raro accidat, ut mulieres ex odio vel invidia vel alio pravo motivo sacerdotes omnino innocentes calumnientur, videat an persona sit fide digna: et si de hac re dubitet (quod fere obtinet, quoties persona ad denuntiationem faciendam ultro parata est), eandem moneat de atrocitate criminis et de gravi poena, quae falsae accusationi infligitur. Caveat autem ne sollicitantis nomen inquirat.

2. Sedulo examinet, an adsint omnes conditiones, quae certam faciant denuntiandi obligationem. Et si id statim

---

1) S. Offic. 17. iun. 1866.

2) Poenae contra reos sollicitationis praescriptae a Benedicto XIV. *a.* perpetua inhabilitas ad celebrandam missam; *b.* perpetua suspensio ab audiendis confessionibus; *c.* privatio beneficii.

diiudicare non possit, poenitentem alia die ad se redire faciat. Quodsi de sollicitatione vere constat, poenitentem de obligatione denuntiandi moneat.

3. Quodsi denuntiare renuit, exquirat num adsit causa excusans. Si reipsa adest causa excusans, potest poenitens vel per se vel per alium e. g. per confessarium recurrere ad superiorem ecclesiasticum et exposita natura impedimenti petere, ut differatur obligatio aut a lege omnino dispensetur. Quodsi poenitens promittat, se stare velle mandatis superioris, interim absolvi potest.

4. Frequenter poenitentes denuntiare recusant, quia timent, ne denuntiatus in cognitionem denuntiantis deveniat; quare confessarius eos moneat, denuntiatum non facile personae denuntiantis notitiam capere posse; et primo quidem, quia plerumque conceditur, ut ope solius confessarii denuntiatio fiat, deinde vero quia denuntiantium nomina nunquam manifestantur, tandem quia delinquens ordinarie post plures demum denuntiationes in iudicium vocatur.

5. Denuntiatio facienda est ordinario loci, in quo versatur poenitens, etiamsi confessarius sollicitans ad aliam dioecesim pertineat. Loci ordinarius iuratam denuntiationem deinde ad episcopum sacerdotis sollicitantis transmittet.

6. Denuntiatio, quae peragatur in forma iudiciali, fieri debet voce coram iudice (Inquisitore, Ordinario) vel eius delegato interveniente notario; quandoque autem conceditur, ut fiat coram sacerdote delegato nullo interveniente notario, vel etiam coram confessario delegato in confessionali [1]).

7. Si autem poenitens absque iusta causa denuntiationem facere nolit, confessarius aptis motivis ad denuntiationem faciendam eundem inducere conetur; quodsi tamen omnino renuat, poenitentem non absolvat, sed alio

---

[1]) Modus ex praescripto S. Officii 20. iul. 1890 servandus in excipienda denuntiatione habetur in Actis S. Sedis: Appendix ad vol. 25.

tempore ad se redire faciat. Interim vero aut ad ordinarium aut ad s. sedem (poenitentiariam vel s. officium) recurrat, et expositis omnibus circumstantiis, suppresso tamen poenitentis nomine, opportunum remedium flagitet. Vel enim a denuntiatione facienda omnino dispensatur, vel confessarius delegatur ad denuntiationem in confessionali excipiendam, vel tandem conceditur, ut res tota ope confessarii denuntietur.

Quaestio tertia.

De officio ministri.

180. Officia, quae incumbunt ministro sacramenti poenitentiae, alia exerceri debent *in* ipsa confessione, alia *post* auditam confessionem. Porro officia in ipsa confessione exercenda sunt quatuor officia patris, medici, doctoris et iudicis. *Patris* est poenitentem cum benevolentia excipere et benigne tractare; *medici* est animae morbos curare ideoque poenitentem, si opus est, disponere et ad praecavendum relapsum apta remedia ei suggerere atque ad eorum usum hortari. De officio autem *doctoris* et *iudicis* uberius agendum est. Porro omnia haec officia confessarii oriuntur ex generali eius oligatione, qua tenetur procurare ea omnia, quae ad validam et licitam sacramenti administrationem et susceptionem necessaria sunt, ne sacramentum exponat periculo nullitatis. Propter specialem rei difficultatem deinde dicendum erit, qua ratione regulae de absolutione danda, differenda aut neganda generatim stabilitae in specie applicandae sint poenitentibus occasionariis, consuetudinariis et recidivis, ac tandem exponendus erit modus agendi cum poenitentibus, qui in

peculiari aliqua occasione peccandi versantur. Obligatio confessarii post confessionem duplex est, alia quae ex confessione sequitur per accidens, corrigendi scilicet defectus commissos, alia quae ex confessione sequitur per se, servandi nimirum sigillum sacramentale.

Articulus primus.

De officio doctoris.

181. Officium doctoris duo complectitur, primo quidem ut ipse confessarius *debitam scientiam* sibi comparaverit antequam incipiat hoc munere fungi, et deinde ut *poenitentes* ea *doceat,* quae necessaria sunt, ad sacramentum hoc rite suscipiendum.

1. Confessarius sub gravi competentem scientiam habere tenetur, quae scilicet ad munus suum rite obeundum requiritur: qui enim sine debita scientia hoc sacramentum administrat, se exponit periculo graviter errandi ideoque sacramento gravem iniuriam et animabus magnum damnum inferendi. Sufficientem hanc scientiam supplere non possunt nec *dotes* ingenii, nec *experientia,* nec *sanus sensus,* quae tria scientiam quidem iuvant, sed eius partes implere nequeunt.

Hinc peccat *confessarius,* qui necessariam scientiam sibi deesse noverit, etiamsi ex sola caritate vel obedientia confessiones excipiat, nec eum excusat approbatio, quae scientiam supponit non supplet. Peccat *superior,* qui ignaro sacerdoti veniam concedit confessiones excipiendi, quia eius peccato consentit et cooperatur. Peccat *poenitens,* qui de industria eligit ineptum confessarium; si tamen poenitens, qui inepto confitetur, in bona fide est, validum est sacramentum: nam ex parte poenitentis habetur integra confessio et debita dispositio, et ex parte confessarii saltem cognitio peccatorum sub ratione generica et confusa peccati, quod ad validam absolutionem sufficit [1].

2. Competens haec scientia ex mente s. *Alphonsi* non intelligitur illa, qua confessarius possit semper statim et per se ipsum omnes occurrentes dubitationes solvere, sed suf-

---

[1]) Cf. *S. Alphons.* n. 627. 628.

ficit illa, qua casus communiter contingentes intelligere et resolvere queat et in difficilioribus sciat saltem prudenter dubitare, ut libros aut alios doctiores se consulere possit.

Ergo scire debet confessarius 1. quae spectant ad essentiam et effectum sacramenti poenitentiae et quae ad validam et licitam eius administrationem tum ex parte sui tum ex parte poenitentis requiruntur; 2. principia discernendi inter peccata mortalia et venialia; quaenam peccata sint mortalia et venialia in singulis praeceptis, varias species peccatorum et circumstantias speciem mutantes; 3. quae spectant ad restitutionem bonorum et famae; 4. casus reservatos, censuras vigentes, impedimenta matrimonii et obligationes communes et proprias statuum; 5. radices et occasiones peccatorum et opportuna remedia ipsis afferenda.

3. Confessarius studium theologiae moralis numquam intermittere debet, tum ut scientiam competentem conservet, tum ut illam augeat atque perficiat et sic gradatim ad eminentem ascendat, quam Benedictus XIV. in confessariis optandam dicit: „optandum sane esset, ut quilibet confessarius ea polleret scientia, quam *eminentem* vocant; verum cum haec dos paucorum sit, necesse omnino est, ut competenti saltem scientia sit instructus."

182. *De obligatione docendi poenitentem.*

1. Confessarius tenetur docere poenitentem ea, quae ad sacramentum hic et nunc rite suscipiendum requiruntur, quia tamquam minister sacramentorum procurare debet eorundem validam et licitam susceptionem. Si igitur advertit, poenitentem esse ex ignorantia indispositum, nec in aliud tempus sacramenti susceptionem differri posse, eum instruere et disponere tenetur in iis, quae ex parte poenitentis ad sacramentum suscipiendum requiruntur, scilicet de dolore et proposito et integra peccatorum mortalium confessione. Pariter si advertat, poenitentem ignorare ea, quae sunt de necessitate medii ad salutem credenda, eundem instruere tenetur eo modo, quo hic et nunc requiritur et sufficit, proponendo scilicet articulos fidei credendos, ut circa ipsos actum fidei eliciat. Ea autem, quae solum de necessitate praecepti scienda et

credenda sunt, non est necesse, ut poenitens a confessario in confessionali discat, sed sufficit, si de praeterita negligentia doleat et propositum concipiat ea mox discendi.

2. Insuper tenetur confessarius docere poenitentem ea, quae scitu necessaria sunt ad christiane vivendum; non quidem omnia, quae scire vel facere debet, sed tamen ea, quae necessaria sunt ad vitanda peccata, quibus obnoxius erat, cuiusmodi sunt obligatio restituendi, vitandi occasiones peccati, deponendi odium, reparandi scandalum, implendi officia proprii status etc.: officium enim doctoris aliud non postulat, nisi quod ad sacramentum rite administrandum pertinet.

3. *An confessarius poenitentem monere debeat, si hic in ignorantia versatur.*

a. Poenitentes, qui *ignorantia vincibili* laborant, monendi sunt, etsi nulla emendatio speretur; admonitio enim hinc quidem nocere nequit, quia poenitens vel iam est in statu peccati propter ignorantiam culpabilem, vel est in proximo periculo peccandi propter dubium, cum quo operatur, inde vero monitio prodesse potest, quia emendationis fructum sperare licet.

Hinc 1. si poenitens *interrogat*, confessarius veritatem manifestare tenetur: tunc enim eius ignorantia non est amplius invincibilis, confessarii autem silentium eundem in malo confirmaret; 2. si poenitens ignorat ea, quae *diu ignorare non potest*, e. g. pollutionem esse peccatum, monendus est: talis enim ignorantia non censetur invincibilis; 3. pariter monendus est, si monitione omissa *in occasione* formaliter peccandi remaneret, ut si putet peccatum esse, quod non est, aut esse mortale, quod veniale est.

b. Poenitens, qui *ignorantia invincibili* laborat, monendus est, si monitionis fructus speretur aut statim aut saltem postea. Quodsi ex monitione nullus fructus speretur, sive propter infirmam poenitentis voluntatem sivi propter remedii maximam difficultatem, monitio omittenda et poenitens in bona fide relinquendus est: nam ex duobus malis minus eligendum est, peccatum scilicet materiale prae formali, quod poenitens non obtemperaturus committeret. Et hoc valet etiam, si silentium confessarii in damnum tertii tamquam personae particularis vergat, si e. g.

poenitens de restitutione monitus praevideatur non obtemperaturus: monitio enim nemini prodesset, poenitenti vero obesset. *In dubio*, an monitio sit profutura vel non, eadem omittenda est.

c. Poenitens tamen monendus est, etsi nullus emendationis fructus speretur, quoties ignorantia damnum publicum allatura esset: nam bonum publicum privato bono poenitentis praeferendum est. Hinc si periculum adesset, ne omissa monitione, contra fidem aut bonos mores quidquam in populum spargeretur, non licet eandem omittere. Pariter non solum superiores quicumque, sed etiam qui crebro sacramenta suscipiunt, omnino monendi sunt, si in aliqua re delinquant, ne alii putent sibi licere, quod ab his impune fieri animadvertunt.

Articulus secundus.

De officio iudicis.

Officium iudicis plures obligationes complectitur: ipse imprimis causam cognoscere, poenitentem, si opus sit, interrogare, poenitentis dispositionem investigare, eidem poenitentiam imponere ac demum sententia iudiciali eum absolvere debet. De poenitentia imponenda supra sermo erat, de reliquis obligationibus hoc loco dicetur.

183. *De cognitione causae.* 1. Ante absolutionem confessarius causam cognoscere seu iudicium de poenitentis peccatis eorumque morali malitia ferre debet. Ad quod quidem iudicium ferendum non requiritur, ut confessarius de cuiusvis peccati gravitate et specifica malitia actu et explicite determinatum iudicium ferat: eiusmodi enim iudicium de singulis peccatis poenitentis plerumque impossibile est; sed illud solum requiritur, ut praeditus habituali scientia, qua inter peccata gravia et levia et inter peccata specifice diversa distinguere potest, poenitentem audiat et de auditis secundum principia communia iudicet. Quodsi tamen praedicta cognitione careret et ex

ignorantia de peccatis falso iudicaret, non ideo invalida esset confessio.

Sicut poenitens ex praecepto divino omnia et singula sua peccata mortalia declarare, et ita quidem declarare tenetur, ut a confessario intelligantur, ita confessarius ad singula peccata, quae poenitens accusat, *attendere* et singula *intelligere* debet. Hinc *a.* si confessarius propter imperitiam linguae non intelligit omnia peccata, quae poenitens accusat, tenetur illum ad alium confessarium linguae peritum dirigere, si talis adsit et absque gravi incommodo fieri possit. Quod si absque gravi incommodo fieri non posset, poenitens absolvi posset. Et haec quidem, si de mortalibus agitur: si enim poenitens non haberet nisi venialia, confessarius uno vel alio peccato sufficienter intellecto valide et licite illum absolvere posset. *b.* Si confessarius propter cantum aut somnum aut distractionem aut aliam causam aliqua peccata poenitentis non audivit, eundem de illis interrogare debet, si absque gravi molestia fieri potest. Si tamen ob notam sibi conscientiam poenitentis praesumere potest, ea, quae non audivit, esse peccata venialia, eum absolvere potest, quin de illis interroget.

2. Attamen non requiritur, ut confessarius ante absolutionem aut omnium peccatorum, quae poenitens accusavit, aut alicuius peccati in specie et distincte adhuc recordetur; sed sufficit, ut peccatorum in confuso recordetur, poenitentem actu dispositum esse prudenter iudicet eumque a peccatis, quae clavibus subiecerat, auctoritate divina absolvere velit.

184. *De obligatione interrogandi.* 1. Per se poenitentis est, peccata sua accusare et confessarii est, accusationem audire; ubi ergo confessarius prudenter supponit, poenitentem pro sua conditione sufficienter instructum et in accusatione diligentem esse, ut adeo integre confiteri videatur, confessarius ad ulteriores interrogationes non tenetur.

2. Ubi autem confessarius advertit, poenitentem peccata sua sive ex negligentia in examine sive ex ignorantia sive ex verecundia sive ex alia causa sufficienter non explicare ideoque in integritate deficere, sub gravi eum interrogare tenetur: nam poenitentem absolvere nequit nisi iudicaverit, ipsum integre confessum esse; quod si iudicare non potest, eum interrogare debet ad procurandam dignam susceptionem et integritatem sacramenti.

3. In hisce tamen interrogationibus non tenetur adhibere nisi ordinariam diligentiam: cum enim obligatio interrogandi sit conditionata et secundaria in defectu scilicet poenitentis, certe non est maior, quam obligatio poenitentis semet examinandi; haec autem non exigit, nisi ordinariam et mediocrem diligentiam. Hinc etiamsi confessarius, adhibita iam morali diligentia, putet, se ulterioribus interrogationibus plura peccata expiscari aut declarata accuratius quoad speciem et numerum cognoscere posse, non tenetur amplius interrogare. Imo neque expedit, multis interrogationibus torquere poenitentem, etsi aliqua differentia specifica aut numerus omittendus sit, ne confessio reddatur odiosa.

4. *Quid agere debeat confessarius, si de sinceritate poenitentis dubitat.* — Universim notandum est axioma in foro poenitentiae receptum: *credendum est poenitenti tam pro se quam contra se loquenti*: ipse enim in tribunali poenitentiae est reus simul et testis, sui accusator et advocatus et insuper praesumendus est verax, nisi aliud probetur; ideo confessarius semper absolvere potest poenitentem, nisi certo sciat, ipsum sacrilege negare peccatum. In specie vero ita distingui potest:

a. Si confessaris *non certo* cognoscit, sed solum suspicatur, poenitentem commisisse peccatum, quod tacet, et poenitens prudenter interrogatus negat, absolvendus est: ipsi enim credendum est.

b. Si autem confessarius *certo* cognoscit, poenitentem commisisse peccatum, quod tacet, et prudenter interrogatus negat, imprimis expendat, utrum supponi possit, poenitentem rem, de qua agitur, non habere pro peccato, aut illum huius peccati oblitum esse, aut alteri iam confessum esse, aut iustam habere causam illud peccatum reticendi. Si quidquam horum praesumi possit, absolvendus est poenitens, undecunque confessarius notitiam rei acceperit: nam poenitenti credendum est.

c. Si nihil horum praesumi possit, diverso modo tractandus est poenitens pro diverso fonte, ex quo confessarius notitiam peccati acceperit.

Si id sciat *extra confessionem* et quidem ex relatione aliorum, poenitens diligenter interrogandus est, et si neget, absolvendus est, si relatores errare potuerint, quia potius credendum est poenitenti; si autem error supponi plane non possit, non est absolvendus: axioma enim non valet contra certitudinem.

Si autem id sciat extra confessionem et quidem propria experientia eaque infallibili, poenitentem convincere debet, et si nihilominus constanter neget, sine absolutione dimittendus est: caret enim dispositione.

Si tandem id sciat *ex complicis confessione*, generaliter tantum interrogare et ad sincere confitendum hortari potest, ne violetur sigillum; si rem non fateatur, censet *Lugo* ipsum absolvendum esse, quia ex alterius confessione non potest evidenti certitudine constare, ipsum sacrilege negare peccatum [1]); qui autem opinantur, id certo constare posse, inferunt poenitentem indispositum esse. Utrum vero absolvi an dissimulando absolutionem cum sola benedictione dimitti debeat, controvertitur. *S. Alphonsus* censet (n. 631) melius esse, si non absolvatur, ut impediatur sacrilegium; alii autem docent absolute aut saltem sub conditione absolvendum esse; quia notitia ex confessione accepta nulla est, et quia sacrilegium hoc modo non impeditur.

185. *De dispositione cognoscenda.*

1. Absolutio concedi nequit nisi poenitenti rite disposito; ideo confessarius in poenitentis dispositionem inquirere atque de eiusdem existentia iudicium sibi formare debet.

2. De existentia dispositionis in sacramento poenitentiae sufficit *prudens et probabile iudicium;* non requiritur quidem certitudo proprie dicta dispositionis, attamen talis probabilitas, „cui non obstat prudens suspicio indisposi-

---

[1]) Disp. 22. n. 22.

tionis." Licet enim in aliis sacramentis materia ordinarie debeat esse omnino certa, in sacramento tamen poenitentiae propter peculiarem eius naturam id non requiritur, ne ipsum reddatur odiosum eiusque administratio impossibilis, cum maior certitudo plerumque haberi non possit. Ideo Catechismus romanus: Si audita confessione sacerdos *iudicaverit*, neque in enumerandis peccatis diligentiam nec in detestandis dolorem *poenitenti omnino defuisse*, absolvi poterit[1]).

3. *Iudicium dispositionis efformari potest:*

a. Ex *assertione poenitentis:* sive enim paratus ad confessionem accedat et asserat, se habere dolorem et propositum, sive imparatus accedat et post monitionem confessarii demum affirmet, se detestari peccata et in posterum vitare velle: ipsi credendum est, nec maior certitudo auctore *s. Thoma* in hac re acquiri potest, quam si ipsi poenitenti credatur[2]).

b. Ex *ipsa confessione:* si enim poenitens *sponte* ad confessionem accedit sive ut impleat praeceptum, sive ut statum gratiae sibi conciliet, sive ut facilius vitare possit peccata, ipsa spontanea confessio probabile signum dispositionis est. Quare ex ipsa confessione ad dispositionem tam facile concludi non potest, si poenitens solum ex voluntate parentum vel superiorum, vel ex quadam consuetudine ad sacramenta accedit, quia timendum est, ne non serio et sincere agat.

c. Ex *modo confessionis:* facile enim ex modo, quo poenitens candide et humiliter se accusat, deprehendere potest confessarius, ipsum serio et sincere agere et displicentiam suorum peccatorum et melioris vitae propositum concepisse.

d. Ex *circumstantiis confessionis:* quandoque enim deprehendit confessarius in poenitente aliquam circumstantiam, quae ipsi indicium est seriae voluntatis cavendi in

---

[1]) Pars. 2. c. 5. q. 58.

[2]) In 4. dist. 17. q. 5. a. 3. qc. 5. ad 2.

posterum peccata: *a.* si iam adhibuit aliquam curam exstirpandi consuetudinem peccandi; *b.* si admonitus de remediis libenter promittit, se ea adhibiturum esse, praesertim si antea nunquam monitus fuerat; *c.* si ad confessionem accedit ex peculiari aliquo motivo e. g. concionis auditae, mortis amici, ex timore morbi contagiosi etc.; *d.* si confitetur peccata prius culpabiliter omissa etc.

4. Post s. *Alphonsum* usus iam invaluit distinguendi signa dispositionis *ordinaria* et *extraordinaria* seu specialia. Extraordinaria non vocantur, ac si dispositionem extraordinariam ac perfectiorem significent aut significare debeant; sed ita vocari solent, ut ab ordinariis distinguantur. Signa ordinaria proprie ad unum reducuntur, quod est confessio rite peracta vel assertio poenitentis se dolere et emendationem proponere. Signa extraordinaria, quae enumerat s. Alphonsus, *Marc* (n. 1817.) ad duo capita revocat: *a.* aliquod emendationis studium; *b.* specialis manifestatio doloris.

Ad primum caput pertinent: 1. „Adhibitio mediorum, v. g. si poenitens diligenter occasionem vitaverit, media a confessario praescripta executioni mandaverit, preces, eleemosynas etc. adhibuerit ad vitium exstirpandum. 2. Perseverantia per aliquod tempus, v. g. absolute loquendo per tres fere hebdomadas, vel relative ad tentationes per unam alteramve hebdomadam, cum antea solebat pluries in hebdomada prolabi. Ea continentia contingere potest post confessionem, quod melius signum est, vel etiam ante confessionem. 3. Difficilior aut rarior lapsus: *difficilior* i. e. post notabilem resistentiam; *rarior* nempe in iisdem occasionibus et tentationibus. 4. Impletio alicuius difficilis obligationis ut v. g. restitutionis, reparationis famae etc.“

Ad alterum caput pertinent: 1. „Lacrimae et suspiria, saltem ut plurimum, sed praesertim cordialia verba. 2. Spontanea confessio facta, non ex usu, sed ex impulsu interno gratiae, maxime si accedit longum iter, grave incommodum etc. 3. Impulsus externus gratiae e. g. ob concionem auditam, ob mortem amici, ob metum imminentis flagelli. 4. Confessio peccatorum prius celatorum. 5. Significatio novae cognitionis sui peccati, aut periculi damnationis. 6. Postulatio mediorum emendationis, vel si poenitens dicat, se poenituisse statim post peccatum vel si magnam poenitentiam bono animo acceptet, si protestetur ex se ipso malle mori quam relabi.“

5. Secundum hanc theoriam igitur *a.* signa ordinaria per se sola sunt sufficiens dispositionis indicium, nisi ex parte poenitentis quidquam adsit, quod prudentem suspicionem de eius indispositione ingerat: quilibet enim iure praesumitur dispositus, qui sponte peccata sua confitetur, nisi aliunde praesumtio contraria ingeratur.

b. Contra poenitentis autem dispositionem gravis suspicio oritur, ut adeo merito de illa dubitari possit

α. si ad confessionem accedat non tam sponte, quam coactè aut ex consuetudine, vel si accedat sine debita praeparatione;

β. si peccata confiteatur absque humilitate et dolore et conetur potius temere se excusare;

γ. si studeat peccata tegere, ut adeo industria confessarii eadem expiscari debeat;

δ. si difficilis sit in acceptandis poenitentiis et peccatorum remediis;

ε. si neglectis remediis in eadem peccata relapsus sit;

ζ. si post multos relapsus frigide tantum dicat se dolere.

c. Quodsi igitur de poenitentis dispositione ex eiusmodi indiciis merito dubitari debeat, non sufficit dispositionis signum ordinarium, sed ut iudicari possit rite dispositus, alia signa seu argumenta dispotitionis adesse debent, quae suspicionem aut minuant aut penitus tollant.

6. *Indispositi* censentur, qui vero dolore de peccatis et serio emendationis proposito carent; huiusmodi generatim sunt, quicunque gravem obligationem implere renuunt.

7. *Dubie dispositi,* ut merito notat *Lehmkuhl* (n. 425.), non dicuntur, qui non certa at probabilia tantum dispositionis signa afferunt, sed illi, contra quos ex positivis indiciis (supra enumeratis) gravis suspicio oritur, quae sufficienter removeri non potest, ut adeo existat fundata ratio, poenitentem non esse satis dispositum.

186. *De sententia ferenda seu de absolutione concedenda, differenda aut neganda sequentes regulae statuendae sunt* [1]).

1. *Poenitens, quem confessarius iudicat sufficienter esse dispositum, semper tuto absolvi potest:* ad validam enim et licitam absolutionem ex parte poenitentis praeter confessionem aliud non requiritur, nisi ut hic et nunc dolorem et propositum habeat. Ergo nec multitudo criminum, quae confessus est, nec praevisio futuri relapsus impedire possunt, quominus poenitens rite dispositus absolvatur.

2. *Poenitens sufficienter dispositus per se sub gravi ex iustitia absolvi debet:* nam *a.* poenitens rite dispositus ius habet recipiendi absolutionem, cum sacerdos confessionem excipiens hoc ipso tacito contractu se obligat ad conferen-

---

[1]) Cf. *Bucceroni,* Commentarius de absolutione danda, differenda, deneganda. Romae. Armani 1889.

dam absolutionem rite disposito; *b.* generatim absolutio statim concessa poenitenti magis prodest, quam eius dilatio: emergit enim e miserrimo statu peccati, particeps fit gratiarum et bonorum, quae iustis conceduntur et quibus privantur peccatores, ac tandem gratia utriusque sacramenti poenitentiae et eucharistiae in emendatione vitae iuvatur.

Licet etiam poenitens, qui sola venialia accusavit, ius habeat accipiendi absolutionem, modo sit rite dispositus; si tamen aliquoties tantum sine absolutione cum sola benedictione dimittatur, gravis iniuria ei non irrogatur; ideoque ex rationabili causa quandoque sine peccato id fieri posset.

3. *Poenitenti etiam sufficienter disposito differri potest absolutio, si confessarius id ei vere utile esse iudicaverit:* licet enim ius habeat ad absolutionem, non tamen necesse est, ut illam statim accipiat, praesertim si dilatio utilis videatur sive ad horrorem incutiendum de peccatis commissis sive ad firmandam voluntatem in proposito non peccandi.

a. Est communissima theologorum sententia, dilationem absolutionis *aliquando,* si prudenter adhibeatur, poenitentibus, praesertim occasionariis et recidivis, fore *utilem.* Licet vero quandoque magna sit dilatae absolutionis utilitas, ipsa tamen nunquam dici potest medium *necessarium,* quod a confessario ad procurandam poenitentis dispositi salutem et emendationem adhiberi debeat. Dilatio absolutionis tum solum necessaria dici potest, cum confessarius de sufficienti poenitentis dispositione dubitat: in hoc namque casu ipsa potest esse medium unicum et necessarium, ex quo confessarius circa dispositionem iudicet, at quoad poenitentem rite dispositum dilatio absolutionis nunquam praecepta et necessaria dici potest.

b. Ratio igitur unica, ob quam poenitenti rite disposito differri possit absolutio, est spiritualis eius utilitas. Haec utilitas in eo potissimum consistit, quod poenitens ex difficultate obtinendi absolutionem melius cognoscit peccati gravitatem, maiorem de peccatis commissis horrorem concipit et quod debilis eius voluntas in proposito emendationis confirmatur. Ideo prudenter hoc medium adhiberi *potest*; quando adest periculum, ne poenitens post acceptam absolutionem non stet promissis, si e. g. debeat restituere, denuntiationem facere, occasionem peccandi removere, cum inimico se reconciliare, culpabilem negligentiam excutere etc. Ubi vero confessarius iudicat, dilationem absolutionis magis obfuturam quam profuturam, imprudenter ea differtur.

c. Dilatio autem absolutionis vix unquam proderit, nisi ipse poenitens in dilationem consentiat: etenim si rem aegre fert, ex dilatione potius offenditur, quam emendatur; quare timendum est, ne hac ratione a sacramentis suscipiendis penitus alienetur. Ideo normae instar dici potest: non est differenda absolutio poenitenti disposito, si ipse sit invitus.

d. Absolutio non est differenda nisi *ad breve tempus:* ad paucos dies, ad hebdomadam, non autem ad quindecim dies, multo minus ad mensem: diuturnior enim dilatio poenitenti magis obest quam prodest, cum grave sit, per plures dies in statu peccati mortalis manere tum propter periculum mortis, quod semper imminet, tum propter innumera bona, quibus privatur homo, qui est in peccato.

e. Ex quibus sequitur, non posse generali regula definiri, quando differenda sit absolutio, „sed, ut ait s. Leonardus a. P. M., totum deserendum est *prudentiae confessarii,* qui in casibus particularibus non debet sequi genium, neque naturam, neque compromissum, neque aliorum exemplum, sed solum unctionem spiritus sancti comitatam a bona doctrina et studio orationis.“

4. *Poenitenti certo indisposito semper neganda est absolutio:* qui enim indispositum absolvit, grave sacrilegium committit, nec ulla poenitentis necessitas confessarium ab hoc peccato excusare potest. Qui tamen imparati et indispositi ad peragendam confessionem accedunt, opera et industria studiosi confessarii cum Dei gratia ad absolutionem recipiendam disponi possunt. Et si dent sufficientia signa doloris et propositi, nihil impedit, quominus etiam illi statim absolvantur, qui imparati et indispositi ad confessionem accesserant.

5. *Poenitens dubie dispositus absolvi non potest, nisi adsit gravis causa,* ob quam absolutio sub conditione dari possit aut etiam debeat: ratio *primi* est, ne sacramentum exponatur periculo nullitatis; ratio *secundi* est, quia sacramenta sunt propter homines.

a. Dubie dispositus sub conditione absolvi *potest* aut etiam *debet* in articulo mortis, aut si alias notam infamiae incurreret, si suspicionem negatae absolutionis ingereret, si alias a sacramentis alienaretur, si diu carere deberet gratia sacramenti, si apud alium confessionem repetere cogeretur, si urgeret praeceptum annuae confessionis ect.; etiam sponsi dubie dispositi, qui mox contracturi sunt

matrimonium, conditionate absolvi possunt, ne certo sacrilege contrahant.

b. Frequenter res ita habebit, ut absolutio quidem dari possit, quia sufficientia dispositionis indicia adsunt, sed differri etiam possit, quia non omne prudens dubium sublatum est. In hisce adiunctis expendat confessarius, quid considerata indole poenitentis magis ad eius salutem expediat. Quoniam vero nostro tempore valde timendum est, ne non absoluti non amplius redeant, nisi sint firma fide animati, generatim magis proderit saluti animarum confessarius, qui sit dives in misericordia et multo magis confessarius, qui poenitentem non in aliud tempus dimittat, sed omnem suam curam et operam impendat, ut cum divina gratia eum ad validam absolutionem recipiendam disponat et dispositum absolvat: si enim absolutio differtur, elapso tempore aeque indispositus redibit.

Articulus tertius.

De obligatione corrigendi defectus.

187. 1. Defectus a confessario commissi sunt triplicis generis: versari nimirum possunt *a.* circa valorem sacramenti, ut si non absolvit; *b.* circa integritatem sacramenti, ut si de specie et numero non interrogavit aut poenitentiam non imposuit; *c.* circa obligationes poenitentis et quidem vel in praeiudicium ipsius poenitentis vel tertii, ut si indebite ad restitutionem obligavit vel ab ea facienda deobligavit.

2. Ut gradus obligationis in reparandis defectibus rite determinari possit, plura adiuncta defectus commissi considerari debent.

a. Defectus commissus potest esse *culpabilis* vel *inculpabilis;* culpabilis dicitur, si cum gravi culpa confessarii committitur, inculpabilis dicitur, si sine culpa confessarii vel cum levi eius culpa committitur. Porro multo maior est obligatio eius, qui culpabiliter, quam eius, qui

citra culpam defectum commisit; quare ille ad reparandum damnum maius incommodum subire debet, quam iste.

b. Defectus aut *positive* committi potest aliquid agendo, aut *negative* aliquid omittendo, quod agendum erat. Iam si defectus committitur in damnum poenitentis aut tertii, ad determinandam obligationem reparationis advertendum est, utrum defectus positive commissus fuerit, an vero negative omittendo actionem, quae ex iustitia debita non erat.

c. Ad corrigendos defectus confessarius teneri potest aut *ex iustitia* aut solum *ex caritate.* Licet ex sola caritate confessiones excipiat, si tamen easdem semel audire incepit, ex quasi contractu cum poenitente inito adeoque ex iustitia sacramentum rite administrare tenetur. Si igitur indebite illud administrat, est veluti iniustus damnificator ideoque damnum illatum ex iustitia reparare tenetur. Obligatio autem iustitiae, si orta sit ex gravi culpa, urget etiam cum gravi incommodo, econtra obligatio caritatis plerumque solum urget, si cum levi incommodo impleri possit.

d. Fieri potest, ut ex commisso defectu poenitens nullum animae periculum subeat, ut si sanus in bona fide existens invalide absolvitur: si enim postea attritus ad s. communionem accedit, consequitur gratiam sanctificantem, vel saltem per sequentem absolutionem peccata illa indirecte remittuntur; at fieri etiam potest, ut poenitens ex errore commisso in periculum salutis adducatur, ut si moribundus invalide absolvitur, praesertim ubi aliud sacramentum suscipere nequit.

188. *Si agitur de valore sacramenti.*

1. Defectus culpabilis circa valorem sacramenti, supposito gravi damno poenitentis, reparandus est etiam cum gravi incommodo, quia hic occurrit obligatio iustitiae. Quodsi grave damnum seu periculum salutis in poenitente timendum non est, in bona fide relinquendus est, in sequenti enim confessione illa peccata remittentur.

Confessarius ergo, qui e. g. poenitentem peccatorum mortalium reum non absolvit, aut quia oblitus est absolvere aut male absolutionem protulit aut sine iurisdictione absolvit, supposito periculo salutis in poenitente, etiam cum gravi suo incommodo eundem adire debet et in hoc quidem casu, quo agitur de danda absolutione, potest errorem etiam non petita licentia aperire, dicendo se non absolvisse, quia poenitens hoc modo non potest rationabiliter offendi. In aliis autem casibus, ubi e. g. non dixerat aut male dixerat, quae ratione obligationum poenitentis dicenda fuissent, semper prius petenda est licentia loquendi de rebus ad confessionem pertinentibus, tum quia iudicium sacramentale iam est completum, tum quia monitio censetur esse veluti exprobratio peccati extra confessionem facta, quae poenitenti esset molesta et sacramentum redderet odiosum.

2. **Defectus inculpabilis circa valorem sacramenti, etiam supposito gravi damno poenitentis, reparari non debet cum gravi incommodo, nisi poenitens sit in periculo moriendi in statu peccati; hic enim sola obligatio caritatis habetur, quae non urget cum gravi incommodo nisi in extrema necessitate, si e. g. moribundus invalide absolutus esset.**

Si in hunc finem adeundus esset infirmus non absolutus, hic de defectu moneri et induci deberet ad contritionem eliciendam et ad peccata iam antea declarata generali formula iterum accusanda, quo facto absolvi posset. Si autem poenitens non absolutus ad eundem confessarium rediret, non necessario de errore moneri deberet; sed sufficeret illum inducere ad dolorem eliciendum de peccatis in ultima confessione accusatis et ad ea in genere iterum accusanda: nam hac ratione etiam ab illis directe absolvitur.

189. *Si agitur de integritate sacramenti.*

1. Defectus sive culpabilis sive inculpabilis circa integritatem *positive* commissus, si confessarius e. g. causa est, cur poenitens putet, non se necessario accusare debere numerum et speciem peccatorum, reparari debet, cum praevia poenitentis licentia, etiam extra confessionem, modo sine gravi damno aut scandalo fieri possit: ratio *primi* est, quia quilibet tenetur removere causam mali, quam ipse posuit; ratio *secundi* est, quia grave damnum poenitentem, ergo a fortiori etiam confessarium ab integritate excusat.

2. Defectus sive culpabilis sive inculpabilis circa integritatem *negative* commissus, si e. g. non interrogavit de specie et numero, poenitentiam non imposuit, remedia

non praescripsit, reparari non debet extra confessionem: obligatio enim procurandi integritatem per se et directe afficit poenitentem, et confessarium solum indirecte, vel si per se confessarium afficit, eum afficit tamquam ministrum sacramenti in confessione; cum igitur in hoc casu ipse non sit causa damni efficax, sufficit, ut in alia confessione tamquam minister sacramenti defectum reparet, si sine gravi incommodo possit.

In praxi tamen, ubi defectus solum versatur circa integritatem confessionis absque damno tertii, confessarius ordinarie ad nihil aliud tenetur, nisi ut de culpa, si quam commisit, doleat: imprimis enim poenitens etiam citra monitionem in sequenti confessione ab alio confessario, qu de specie et numero peccatorum interrogabit, errorem dedocetur; deinde vero vix unquam deerit grave incommodum tum ex parte poenitentis, cui monitio affert molestiam, tum ex parte confessarii, qui sine detrimento honoris et famae monere non poterit [1]).

190. *Si agitur de obligatione poenitentis.*

1. Defectus circa obligationes poenitentis, qui cedit in damnum temporale ipsius poenitentis vel tertii, reparari debet ex iustitia etiam cum gravi incommodo, si confessarius poenitentem *culpabiliter* et *positive* in errorem induxit, quia confessarius est damni causa iniusta et efficax. Et reparari quidem debet in confessione, si poenitens rediturus speratur, et (petita prius licentia) extra confessionem, si non speratur rediturus ad eundem confessarium.

2. Si autem confessarius poenitentem in errorem induxit *inculpabiliter*, tenetur quidem ex iustitia defectum reparare: quilibet enim ex iustitia tenetur impedire, ne ex sua actione alteri damnum sequatur, non tamen cum gravi incommodo, quia damnum intulit cum culpa levi aut materiali tantum.

3. Si tandem confessarius *negative* tantum se habuit, non tenetur ex iustitia, sed solum ex caritate reparare damnum ideoque non cum gravi sed cum maiori vel minori incommodo, quod gravitati damni et culpae proportionatum est.

[1]) *Suarez* disp. 32. s. 6. n. 8.

4. Ex his colligitur, quando confessarius *ad restitutionem* teneatur sive erga poenitentem sive erga alium loco poenitentis.

a. Si cum gravi culpa poenitentem positive a facienda restitutione deobligavit et postea errorem non retractavit.

Siquidem in hoc casu imprimis sub gravi et ex iustitià etiam cum gravi incommodo tenetur falsam resolutionem retractare, quia quilibet tenetur praecavere, ne ex sua actione aliis damnum sequatur; quod si facere non potuit aut omisit, damnum ipsum, quod ex suo errore secutum est, reparare tenetur: ipse enim est causa efficax, culpabilis et iniusta damni.

b. Si sine culpa poenitentem positive a facienda restitutione deobligavit et postea errorem cum gravi culpa non retractavit, licet eundem commode revocare potuisset.

Siquidem in hoc casu imprimis tenetur sub gravi et ex iustitia errorem retractare, si sine gravi incommodo potest; quem si retractare sine gravi incommodo non potest, ad restitutionem non tenetur: non ratione falsae resolutionis, quia non erat graviter culpabilis; nec ratione omissae retractationis ex eadem ratione. Quod si errorem non retractat, etsi commode potest, ad reparationem damni tenetur, non quidem ratione erroris, qui erat inculpabilis, sed ratione omissae retractationis, quae est graviter culpabilis contra iustitiam.

c. Si cum gravi culpa poenitentem ad restitutionem, ad quam non tenebatur, faciendam positive obligavit.

Pari modo in hoc casu imprimis errorem sub gravi et ex iustitia etiam cum gravi incommodo retractare tenetur; quod si efficere aut non potest aut non vult, tenetur reparare ipsum damnum, cuius ipse est causa efficax, iniusta et graviter culpabilis.

d. Si autem poenitentem, etsi cum gravi culpa, de restitutione facienda solum non monuit, non tenetur ipse restituere; nam confessarii cooperatio ad damnum tertii, quod ipse non impedivit, est mere negativa; atqui ut ad restitutionem obligari possit, qui damnum non impedivit, requiritur, ut damnum ex officio impedire teneatur; confessarius autem non tenetur ex iustitia impedire damnum, quod alteri obvenit ex omissa poenitentis restitutione.

Articulus quartus.

De obligatione sigilli sacramentalis.

191. *Definitio sigilli.* Sigillum sacramentale seu confessionis definitur obligatio servandi silentium circa ea, quae ex confessione sacramentali cognita sunt. Agendum est *a.* de obligatione; *b.* de materia; *c.* de subiecto; *d.* de laesione sigilli.

1. *Existit obligatio gravis in omni casu tacendi extra confessionem, quae ex confessione sacramentali cognita sunt, nisi poenitens loquendi licentiam dederit.*

Obligatio sigilli duplex est, ex *religione,* quia illam exigit reverentia sacramento debita, quod alias fidelibus odiosum fieret, et ex *iustitia,* tum vi pacti impliciti inter confessarium et poenitentem de secreto servando initi, tum ratione damni, quod poenitens pateretur in fama, si peccatum occultum manifestaretur: quare violatio sigilli duplicem semper malitiam habet.

Obligatio sigilli ex triplici fonte oritur: *ex iure naturali:* intercedit enim veluti pactum implicitum inter confessarium et poenitentem de secreto servando; insuper ius naturae exigit, ne alterius fama iniuste laedatur; ex iure tamen naturae probari non potest, sigillum in omni casu servandum esse; *ex iure divino:* nam Christus Dominus, etsi non positivo praecepto, ipsa tamen huius sacramenti institutione prohibuit quamlibet revelationem eorum, quae ad confessionem sacramentalem pertinent; siquidem obligationem sigilli postulat ipsum praeceptum confessionis: qui enim praecipit finem, praecipit etiam media ad finem necessaria; atqui homines nunquam adigerentur ad confitenda peccata sua etiam gravissima et occulta, si scirent, ea unquam aliis manifestari posse; et *ex iure ecclesiastico* [1]): ecclesia nullo non tempore servare sigillum praecepit; eius tamen obligatio primario ex lege divina oritur, inde est, cur ecclesia in hac re nec dispensare nec quidquam immutare possit.

2. Obligatio sigilli *semper gravis* est etiam in materia levi; etsi enim sigillum quatenus continet obligationem iustitiae admittat parvitatem materiae, quatenus vero continet obligationem religionis parvitatem materiae non ad-

[1]) Cf. Concil. later. IV. c. 21. *Omnis utriusque sexus.*

mittit, quia per laesionem sigilli in materia levi gravis iniuria fit sacramento, cum fideles ab eo retraherentur: semper enim timerent, ne etiam gravia vel ex errore vel ex malitia revelentur.

In violatione ergo sigilli directa non datur parvitas materiae; in violatione indirecta autem haec admittitur, quando scilicet periculum revelationis est valde remotum et parum probabile.

3. *Nullus omnino est casus*, neque ad vitam vel rempublicam servandam, in quo possint audita in confessione revelari sive ante sive post mortem poenitentis: si enim ulla admitteretur exceptio, bonum spirituale fidelium pateretur damnum, quia fideles semper timerent revelationem suorum peccatorum, quod eos a sacramento ad eorum bonum instituto retraheret; atqui nullum est bonum temporale sive privatum sive publicum, quod bono spirituali fidelium esset praeferendum.

a. Hinc si sacerdos ex confessione cognosceret malum, quod alteri imminet, solum sub poena negandae absolutionis poenitentem urgere posset, ut rem manifestet, vel ut ipsi confessario potestatem loquendi faciat; quod si poenitens nollet, generalibus tantum verbis de periculo monere posset, modo absit omne periculum suspicionis contra poenitentem.

b. In hoc ergo differt sigillum a secreto naturali, *α.* quod laesio secreti non sit sacrilegium; *β.* quod obligatio secreti admittat parvitatem materiae; et *γ.* quod obligatio secreti etiam commissi in quibusdam casibus cesset.

4. Obligatio sigilli prohibet, ne confessarius *extra confessionem* loquatur de auditis in confessione, neque cum ipso poenitente; in aliis autem confessionibus potest confessarius absque expressa licentia mentionem facere eorum, quae a poenitente in prioribus confessionibus audiverat; similiter etiam loqui potest de auditis in confessione immediate post absolutionem datam, sive poenitens nondum discesserit, sive iam discesserit et statim redierit.

5. Obligatio sigilli oritur *ex omni et sola confessione sacramentali* seu facta in ordine ad absolutionem obtinendam sive valida fuerit sive invalida sive perfecta sive solum inchoata. Ideo non frangit sigillum, qui narrat, quae audierat extra confessionem, etsi sub secreto confes-

sionis, vel in confessione quidem, sed facta sine voluntate suscipiendi sacramentum.

6. Obligatio sigilli refertur ad ea tantum, quae *ex sola confessione nota* sunt confessario; quocirca non est contra sigillum, si confessarius loquatur de iis, quae aliunde novit, etsi eadem in confessione audierat, dummodo non oriatur scandalum nec addatur notitia in confessione accepta.

7. In hac materia sigilli sacramentalis *non licet uti opinione probabili*, quia hic non agitur de solo licito vel illicito, sed de damno spirituali fidelium praecavendo, quod ex iis sequitur, quae odiosum et onerosum faciunt sacramentum poenitentiae, et consequenter de cavenda irreverentia, quae sacramento irrogatur. Quocirca tum in dubio *facti*, an aliquid dictum sit in ordine ad confessionem, tum in dubio *iuris*, an aliquod dictum vel factum laedat sigillum, confessarius ad sigillum tenetur, quamdiu opinio favens sigillo est vere probabilis.

192. *An licitum sit loqui de auditis in confessione.*

Licet referre etiam peccata in confessione audita si non nominatur persona poenitentis et si nullum subest periculum deveniendi in suspicionem poenitentis; deinde licet loqui de auditis in confessione, si poenitens loquendi licentiam dederit.

1. Si poenitens *licentiam loquendi dedit*, cessat obligatio sigilli: nam si poenitens, in cuius favorem sigillum principaliter introductum est, concedit licentiam loquendi, cessat obligatio *secreti naturalis*, et si in revelationem eorum, quae in confessione dixerat, consentit, ex revelatione non potest ei poenitentia reddi odiosa; ergo cessat etiam irreverentia sacramenti atque adeo obligatio *secreti sacramentalis*; sedulo tamen caveri debet, ne quis putet violari sigillum.

2. Duplex est modus, quo poenitens licentiam dare potest loquendi de auditis in confessione: vel enim licentiam concedit loquendi ex scientia extrasacramentali vel ex scientia sacramentali. In priori casu res dictas in confessione iterum extra confessionem cum confessario

communicare debet, id quod unico verbo fieri potest, dum dicit: omnia, quae in confessione dixi, extra confessionem sint dicta. Si licentia posteriori modo conceditur, confessarius, qui hac licentia utitur, dicere debet, se id scire ex confessione et loqui de licentia poenitentis, nec potest ultra voluntatem poenitentis sua scientia uti, et qui audit, tenetur ad sigillum; si autem licentia priori modo conceditur, confessarius acquirit novam scientiam, qua pro lubitu uti licet, quin dicat, se loqui ex confessione, et qui audit, non tenetur ad sigillum [1]).

3. Non sufficit licentia implicita aut praesumta, sed requiritur expressa vel verbo vel facto, quod expressae licentiae aequivalet, et prorsus libera et nullo modo neque metu reverentiali extorta. Hinc si poenitens incipit de confessione sua loqui, potest confessarius prosequi, quia hoc ipso poenitens dat licentiam loquendi. Citra licentiam autem nunquam licet neque cum ipso poenitente extra confessionem loqui de re in confessione audita.

4. Confessarii autem raro et solum in gravi necessitate et ab iis tantum, quorum consensum certo praesumere possunt, hanc licentiam petere debent: experientia enim constat, plerosque poenitentes aegre tantum extra confessionem loqui de rebus ad confessionem pertinentibus et ipsam petitionem eis iam molestam esse.

5. Obtenta poenitentis licentia potest confessarius etiam alios e. g. complicem monere; melius autem in tali casu confessarius inducit poenitentem, ut rem extra confessionem sibi aperiat, imo melius eundem inducit, ut rem alteri manifestet, qui malo remedium afferre possit.

193. *Subiectum sigilli.*

Ad sigillum obligatur per se et primario ipse confessarius, per accidens et secundario obligantur omnes, ad quos notitia sacramentalis confessionis pervenerit.

1. Confessarius ad sigillum obligatur sive sit verus sive fictus seu per errorem existimatus, ergo etiam laicus, qui se confessarium simulat vel pro confessario habetur

[1]) *Suarez* disp. 33. s. 5.

et cui poenitens bona fide confitetur. Poenitens autem non obligatur sub sigillo tacere ea, quae a confessario audierat, obligatur autem secreto naturali respectu eorum, quae revelare nequit sine damno vel iniuria confessarii aut ipsius sacramenti.

a. Hinc si confessarius interrogatur de auditis in confessione vel de concessa absolutione, potest respondere se nescire, etiam si interrogatur ut confessarius aut monetur, ut respondeat sine restrictione, atque id affirmare potest etiam cum iuramento, imo si ex negatione non potest oriri suspicio confessionis non integrae, etiam negare potest, sibi declaratum fuisse tale peccatum: omnes enim norunt, confessarium non posse aliter respondere. Praestat autem interrogantem repellere hac vel simili formula: fecit poenitens, quod suum, et ego, quod meum erat, vel: ad sacrilegam hanc interrogationem non est, quod respondeam.

b. Confessarius, qui suum peccatum confiteri non potest absque laesione sigilli, illud omittere debet: gravior est enim obligatio sigilli, quam obligatio integre confitendi. Verum periculum violandi sigillum raro aderit, modo in confessione non dicatur, nisi quod ad declarandam speciem peccati necessarium est.

c. Confessarius, qui audita confessione interrogatur a sacellano vel in nosocomio a sorore infirmis ministrante, an parare debeant, quae necessaria sunt ad administrandam communionem, interrogantem remittat ad ipsum poenitentem, ut hunc interroget, an velit s. communionem suscipere; et ne unquam oriatur periculum violandi sigilli, id semper faciendum est, sive poenitens absolutus sit, sive non.

2. Qui confessionis notitiam occasione confessionis acceperunt, ad sigillum tenentur, id quod in duplici casu accidit, imprimis si immediate vel mediate ex ipsa confessione et deinde si ex medio ad confessionem ordinato rem perceperunt, si hoc medium per se vel per accidens quidem, sed ut medium actualis confessionis, ad confessionem ordinatum est.

a. Tenentur itaque interpretes *sponte* ad confessionem peragendam adhibiti. Nemo tenetur confiteri per interpretem nisi sponte velit; si autem interpretem adhibeat, ipse est medium ad actualem confessionem ordinatum.

b. Adstantes, qui sive casu sive de industria rem in confessione declaratam audiunt, et illi, quibus ab his forte confessio audita sacrilege revelatur; imo qui data opera confitentem audire conatur, sigillum iam violat.

c. Ii omnes, quibus confessarius sacrilege sive imprudenter audita in confessione revelavit; hinc si confessarius in concione coram populo sigillum laederet, omnes ad sigillum tenerentur, adeo ut ne inter se quidem de re audita loqui possent.

d. Superiores, a quibus extra confessionem sive a poenitente sive a confessario petitur facultas absolvendi a reservatis, vel quibus se sistit absolutus a reservato, quia superior, ad quem vel pro absolutione vel pro poenitentia recurrendum est, cum confessario unum tribunal sacramentale constituere censetur: recursus enim ad superiorem ex institutione sacramenti ad obtinendam absolutionem necessarius est.

e. Theologus, quem confessarius de poenitentis licentia circa peccata vel statum eiusdem consulit, quia sicut interpretis opera ita doctoris consulti instructio ad confessionem ordinatur. Si autem ipse poenitens theologum consulat, distinguendum est: si eundem consulat circa confessionem alteri faciendam, theologus consultus non tenetur, si autem ipsum consulat circa confessionem ipsimet faciendam, tenetur sigillo, quia consultatio est inchoata confessio.

f. Legens sive casu sive data opera confessionem alterius scriptam, tenetur sigillo, si scriptura est vera actualis confessio vel si ad ea, quae ad ipsam confessionem pertinent, inservit, ut si quis legat schedulam a muto vel ab alio, qui per scripturam confitetur, iam traditam confessario, imo etiam si quis eandem legat post absolutionem in confessionali relictam vel a sacerdote amissam, vel si quis legat litteras ad superiorem directas alicuius reservationis causa: eiusmodi enim litterae sunt medium de se et necessario ordinatum ad confessionem, — at non tenetur sigillo, si charta solum continet materiam ad confessionem praeparatam: nam eiusmodi charta nec est confessio nec est medium sive de se sive alias ad confessionem actu faciendam ordinatum; inducitur autem in hoc casu obligatio secreti naturalis, eaque gravis vel levis pro ratione materiae, quae in illa schedula continetur.

194. *Materiam sigilli* constituunt ea omnia in confessione sacramentali declarata, quorum revelatio natura sua in gravamen poenitentis vel in odium sacramenti cedere potest. Ergo non solum peccata et peccatorum circumstantiae, sed etiam ea omnia, quae ad declarandum peccatum dicuntur, sive ad hunc finem necessaria sive tantum utilia sive etiam superflua sint, si eorum revelatio cedere potest in gravamen poenitentis et in odium sacramenti: cum enim Christus ideo praeceperit sigillum, ne confessio fidelibus redderetur odiosa, merito infertur, ex voluntate Christi haec omnia sub sigillo cadere. Ea autem, quae in confessione quidem exponuntur, sed independenter a peccatorum confessione, non cadunt sub sigillo; pro ratione materiae tamen sub secreto cadere possunt. Ex hoc generali principio ea in particulari deducenda sunt, quae sub sigillo sacramentali cadunt.

1. *Peccata mortalia* sive in specie sive in genere tantum manifestata e. g. Titius gravia confessus est; peccata *venialia* quaelibet, si secundum speciem manifestentur, vel si in genere dicatur, quempiam *multa* vel *graviora* venialia confessum esse; at non est contra sigillum, si confessarius in genere dicat: Titius venialia tantum vel sua venialia confessus est, quia hoc nemini potest esse molestum.

Fieri tamen potest, ut etiam confessarius, qui de aliquo dicit, eum nonnisi venialia confessum esse, indirecte sigillum laedat: si enim hoc coram iis dicatur, qui sciunt, ipsum peccata gravia commisisse, indirecte poenitentis sacrilega confessio manifestatur.

2. *Obiecta et circumstantiae* peccatorum etiam post absolutionem declarata, si e. g. aliquis dicat se despexisse patrem propter eius tenacitatem vel de adulterio Titii locutum esse, tenacitas et adulterium sub sigillo cadunt. Si tamen haec circumstantia vel obiectum sit factum publice notum, etsi confessario adhuc ignotum, hic non tenetur sub sigillo illud occultare, ut si quis confitetur, se gavisum esse de homicidio in foro commisso vel se omisisse sacrum, ut videret milites advenientes, haec facta

non cadunt sub sigillo; cavere autem debet confessarius, ne dicat, se in confessione ea usurpasse.

3. *Peccata complicis,* etsi sine necessitate essent revelata, ut si quis in confessione dicat: feci furtum cum fratre, quia cum peccato poenitentis intime sunt connexa.

Si ergo confessarius ex confessione sponsae cognosceret peccatum sponsi, quod iste, qui post eam confitetur, tacet, non licet confessario interrogare aut monere poenitentem nisi generalibus solum verbis, quae etiam alias erga huiusmodi poenitentes adhibere solet.

4. *Poenitentiae impositae* nisi tales sint, quae pro levissimis tantum culpis imponi soleant: quoties enim ex revelatione poenitentiae impositae colligi potest, poenitentem peccatum mortale aut plura venialia confessum esse, revelatio est contra sigillum.

5. *Defectus naturales, morales et conditio status* ut paupertas, surditas, ignorantia, hebetudo, militem esse etc., si ad explicandum peccatum manifestantur vel si ea revelari poenitenti grave et molestum sit: si e. g. poenitens dicat, se ordines cum irregularitate suscepisse, eo quod illegitimus sit. Haec autem sub sigillo non cadunt, si omnino independenter a peccatorum confessione manifestantur vel si poenitenti grave et molestum non sit, id palam sciri e. g. ipsum esse parochum, coniugatum: etenim nec indicium sunt alicuius peccati, nec eorum revelatio onerosam reddit confessionem. Licet vero confessarius libere de tali re loqui possit, semper tamen periculosum est, dicere se id nosse ex confessione, quia fideles facile scandalum patiuntur et timent, ne confessarii de iis etiam loquantur, quae poenitentes in confessione manifestarunt.

6. *Peccata commissa in ipsa confessione* e. g. impatientiae, contumeliae in ipsum confessarium non sunt materia sigilli, si non accusantur; per accidens autem plerumque sub sigillo cadunt, quia suspicari quis posset, confessarium vel noluisse absolvere poenitentem vel ob culpas graviores severius eum reprehendisse. Quare furtum a poenitente in damnum confessarii tempore confessionis commissum non cadit sub sigillo; et si constaret furem ad confessio-

nem accessisse, ut furandi occasionem haberet, peccata ab ipso accusata non essent materia sigilli, quia confessio non esset sacramentalis.

7. *Consilium*, quod quis a confessario petit, si petitio nexum habet cum confessione sacramentali, ut si quis post confessionem quaerit media, quibus defectum in confessione declaratum corrigere possit.

8. *Scrupulositas poenitentis* pro diversa ratione, qua cognosci vel qua eadem accipi potest, est vel non est materia sigilli. Itaque

a. Scrupulositas, quae accusatur ut defectus moralis vel quae ad declaranda peccata manifestatur a poenitente, est materia sigilli;

b. Scrupulositas, quae confessario ex eo innotescit, quod poenitens multa confitetur tamquam peccata, quae peccata non sunt, pariter est materia sigilli;

c. Scrupulositas, quae confessario innotescit ex solo modo loquendi et respondendi, est materia sigilli, si alias ignota et confessario ex sola confessione nota est; at non est materia sigilli, si passim iam nota est: in primo enim casu poenitenti grave et molestum esse potest, hunc defectum revelari; in altero autem parum ipse curabit, si confessarius de hac re loquatur. Ex his diiudicandum est, utrum et quando sit contra sigillum, si confessarius dicat, Titium esse scrupulosum.

9. *Virtutes et dona Dei* extraordinaria non sunt materia sigilli, si in confessione manifestentur ad statum animae confessario exponendum; possunt autem materia esse secreti naturalis; at vero sub sigillo cadunt, si manifestentur ad explicandum aliquod peccatum e. g. ingratitudinem erga Deum vel inconstantiam in bono.

10. *Absolutio negata* est materia sigilli, ideo non solum violat sigillum, qui dicit, se negasse absolutionem propter indispositionem, sed etiam qui dicit tantummodo, se talem non absolvisse, quia alii exinde suspicantur indispositionem. *Absolutio collata* non est materia sigilli, ideo non frangit sigillum, qui dicit, se talem absolvisse. Merito

autem addit *Sabetti* (n. 816. 7.): „quia dicere istud, posset in quibusdam adiunctis onerosum evadere aliis, de quibus idem dici non potest, omnino abstinendum est a tali manifestatione. Quare parentes, magistri, heri interrogantes de absolutione data filiis vel subditis remittendi sunt ad ipsos poenitentes.“

11. *Accessio ad confessionem* non est materia sigilli, quia cognoscitur extra confessionem, nec est per se aliquid odiosum; qui ergo dicit: Titius mihi confessus est, non violat sigillum; si quis autem clam ad confessionem accessisset, confessarius id secreto naturali celare tenetur.

195. *Varii modi violandi sigillum.*

1. Sigillum violatur, si aliquid eorum manifestatur, quae sub secreto sacramentali cadunt. Id autem fieri potest duplici modo, directe et indirecte.

a. Directe violatur, si aliquid, quod sub sigillo cadit, de persona determinata expresse manifestatur, quamvis persona audientibus sit ignota.

Tria ergo ad directam violationem sigilli requiruntur: *a.* ut persona designetur; *b.* ut aliquid de ea manifestetur, quod sub sigillo cadit; *c.* ut utriusque rei cognitio certa sit e. g. Titius homicidium commisit; Petrus non fuit absolutus; primus hodie adulterium confessus est.

Ut sigillum directe violetur, non est necesse, ut audientes sciant, confessarium loqui de rebus in confessione auditis, sed sufficit, ut id faciat.

b. Indirecte violatur aliquid dicendo aut faciendo, ex quo alius suspicari vel cognoscere potest defectum poenitentis aut ex quo oriri potest gravamen poenitentis vel odium sacramenti. Indirecte ergo sigillum violari potest duplici modo: *a.* si confessarius aliquid dicit vel facit, ex quo alius cognoscere vel saltem suspicari possit rem, quae sub sigillo cadit e. g. audito peccato gravi alte ingemiscere vel dicere: primus poenitens hodie confessus est adulterium; *β.* si ob audita in confessione aliquid facit, quod poenitenti in qualecunque gravamen cedit et sacramentum reddit odiosum e. g. poenitentem amicitia privare. Ut sigillum indirecte violetur, non est necesse, ut persona poenitentis ex iis, quae confessarius dicit vel facit,

reipsa cognoscatur, vel reipsa circa eandem suspicio ingeratur; sed sufficit, ut id fieri *possit.*

2. Directa sigilli violatio non admittit parvitatem materiae; indirecta autem eandem admittit. Cum enim indirecta sigilli violatio plerumque consistat in periculo, ex dictis vel factis confessarii defectum manifestantibus cognoscendi personam, quae defectum commisit, si periculum istud sit valde exiguum, etiam violatio sigilli levis erit. Pari modo cum gravamen, quod poenitenti ex laesione sigilli creatur, praesertim si illud in diffamatione consistit, possit esse valde modicum, etiam laesio sigilli peccatum leve erit.

3. *Dictis* indirecte violat sigillum *a.* qui poenitentis parentes monet, ut determinato tempore vel loco vigilent; *b.* qui auditis paucorum confessionibus dicit, se audivisse tale peccatum; *c.* qui laudat conscientiam poenitentis, per se non violat sigillum; si autem inter plures, qui sibi confitentur, unius prae aliis conscientiam laudat, facile sigillum violat, quia suspicionem dare potest, alios esse minus bonae conscientiae; *d.* qui moribundum hortatur coram aliis, ut sincere doleat, se Deum *tam graviter* offendisse, vel ut de peccatis *tam gravibus* sincere doleat; *e.* qui dicit: in hoc conventu committuntur haec peccata, aut se audivisse in tali monasterio grave peccatum; aut se audivisse grave peccatum religiosi determinati ordinis, quia infamiae notam irrogat conventui aut ordini religioso et hoc modo gravamen creat poenitenti; *f.* qui dicit: in hoc pago regnat blasphemia, si locus sit parvus i. e. ex s. Alphonso infra 3000 hominum; at non laedit sigillum, si de magna civitate idem dicat vel si vitium regnans sit publice notum.

4. *Factis* indirecte violat sigillum *a.* qui poenitentem post confessionem minus amice alloquitur, vultum severiorem ei ostendit quam antea; *b.* qui voce nimis alta, ut a circumstantibus audire possit, poenitentem reprehendit; *c.* qui eum pristina benevolentia privat; *d.* qui poenitentem, quem ex sola confessione novit aut non satis instructum aut indispositum esse, vel per se vel per alium a scamno communicantium removet; *e.* qui claves arcae abscondit, vel easdem non amplius committit servo, vel aufert a servo, quem ex confessione cognoscit infidelem; si autem etiam alia via eandem scientiam haberet, haec agendo non violaret sigillum; attamen subesset periculum scandali, quia poenitens facile putabit violari sigillum confessionis.

196. *De usu notitiae ex confessione acceptae.* Violationem sigilli nunquam licitam esse, omnes affirmant; an vero per determinatam aliquam actionem aut directe aut

indirecte violetur, non potest semper certo definiri. Sapienter monet *s. Alphonsus*, ut confessarius caute procedat, cum difficile sit in his omne periculum aut revelationis aut gravaminis poenitentis vitare. Accedit, quod in hac re etiam scandalum fidelium sedulo praecavendum sit, qui laesionem sigilli facile suspicantur et timent. Quare ad tria attendi debet, ne per usum notitiae confessionis frangatur sigillum: *a.* ne subsit periculum revelationis; *b.* ne oriatur gravamen poenitentis vel odium sacramenti; *c.* ne aliis ingeratur suspicio violati sigilli atque adeo scandalum.

1. Nunquam licet uti notitia ex confessione accepta, si per usum frangitur sigillum, si ergo subest periculum revelationis, vel si (etiam sine aliqua revelatione) confessio exinde redditur odiosa, quamvis ex non usu longe maius malum poenitentis sequatur. Atque id quidem non licet, sive poenitens advertat sive non advertat, id fieri propter peccatum a se accusatum: confessio enim redditur odiosa, non solum si poenitens advertat, id quod agitur, fieri occasione suae confessionis, sed etiam si poenitens plane ignoret, id fieri propter suam confessionem: fideles enim retraherentur a sacramento poenitentiae, si scirent confessariis licitum esse uti scientia confessionis in gravamen poenitentis, quando nec poenitens nec alii id advertunt.

a. Superiores non possunt uti notitia confessionis ad gubernationem externam, etsi id exterius nullatenus appareat: si enim fideles scirent, id superioribus licitum esse, confessio ipsis merito redderetur odiosa; quare non licet removere indignum ab officio, quod ei est ansa peccandi, negare suffragium electionis, negare sacramenta nisi de publico peccatore agatur, mutare dispositionem, etsi sola mente conceptam et nulli adhuc communicatam [1]).

---

[1]) Exstant de hac re duo decreta s. sedis, aliud *Clementis VIII.* (26. mai. 1594.), quod superioribus regularibus prohibet, ne notitia ex confessione accepta ad externam gubernationem utantur. Merito notat *Lugo* (disp. 23. n. 93.) et post ipsum *s. Alphonsus* (n. 656.) ex paritate rationis decretum extendendum esse ad omnes confessarios, etsi superiores non sint, in ordine ad quoslibet poenitentes etiam saeculares. Aliud decretum a s. Officio iussu Innocentii XI. (18. nov. 1682) editum ad omnes

b. Si confessarius ex confessione noverit, aliquem esse malae conscientiae, molestum, indispositum, non potest *ideo*, si idem redeat, se excusare ab audienda eius confessione: si enim poenitentes advertant hanc agendi rationem confessariorum, manifesto a sacramento retraherentur.

c. Ne confessarii exponantur periculo frangendi sigillum, non sunt interrogandi (e. g. a parentibus, magistris) de moribus suorum poenitentium, nec sunt consulendi, ubi agitur de aliquo promovendo ad ordines vel admittendo in religionem etc.; ipsi solam sacramentorum frequentationem testentur.

2. Licitum est uti scientia confessionis, si per usum non frangitur sigillum, si ergo nullum subest revelationis periculum nec ullum poenitentis gravamen, quo confessio redderetur odiosa. Atque id quidem licet, sive poenitens advertat id fieri propter peccatum a se accusatum, sive non advertat: nam praeter revelationem directam aut indirectam peccati id omne et id solum est contra sigillum, quod confessionem reddit difficiliorem; atqui si poenitenti usus notitiae ex confessione acceptae non est ingratus, ex eo confessio non potest fieri difficilior, sive poenitens usum advertat sive non advertat, sed solum universim sciat, talem usum confessariis licitum esse. Porro actiones, quibus eiusmodi usus continetur, vel circa ipsum confessarium versari vel ad poenitentem referri possunt.

a. Potest confessarius ex notitia confessionis 1. proprios mores reformare, melius fungi officio suo, diligentius invigilare subditis, secluso tamen revelationis periculo; 2. orare pro poenitente et benignius cum ipso agere; 3. consulere libros vel theologos secluso revelationis periculo; 4. se ipsum ex hac scientia dirigere e. g. ad alios prudenter interrogandos vel instruendos, ad rigorem temperandum, ad se cavendum a periculis damni spiritualis aut temporalis, quod poenitentes novit subiisse; 5. alios in generali monere, e. g. ut sibi caveant, ut invigilent, secluso tamen revelationis periculo.

b. Concionatores possunt loqui de iis, de quibus non cogitassent, nisi confessiones excepissent; cavere autem debent, ne publice loquan-

---

confessarios pertinet, et usum scientiae confessionis cum gravamine poenitentis etiam tum prohibet, cum poenitens ex illius usu a maiori gravamine seu malo (praesertim a peccato) liberaretur. Ideo non posset e. g. sacerdos quempiam ab officio vel a famulatu removere, ex cuius confessione sciret officium vel famulatum ipsi occasionem peccandi esse.

tur de peccatis particularibus unius vel alterius poenitentis, praesertim coram parva communitate, quia poenitenti id facile posset esse molestum.

c. Potest a celebrando abstinere, domi manere, alia via pergere, fugere ad cavendas insidias ex confessione cognitas, modo ex hac agendi ratione non manifestetur peccatum nec poenitenti damnum afferatur, quod confessionem reddit odiosam: si enim quis suspicari posset, haec fieri ob peccatum in confessione manifestatum aut si inde gravamen poenitenti sequeretur, subesset indirecta sigilli violatio.

d. Hinc si sacerdos ex confessione sciret, parari sibi insidias vel vinum, quo utitur ad missam, esse veneno infectum, ei non liceret fugere aut missam omittere, ubi ex fuga vel omissione alii coniicere possent, poenitentem rei conscium confessum esse illud peccatum, modo confessio fuerit sacramentalis. Ceterum ad vitam servandam posset confessarius a poenitente licentiam petere permittendi indirectam manifestationem peccati, quae ex fuga vel omissione sequeretur; quam licentiam si poenitens sive iuste sive iniuste dare nollet, sacerdos non posset fugere aut sacrum omittere.

e. Non potest sacerdos dimittere famulum vel auferre claves a famulo, quem ex confessione novit esse infidelem: haec enim agendi ratio quandam exprobrationem poenitentis continet, ideoque gravamen ei affert. An possit in ipsa confessione praecipere famulo, ut reddat clavem vel ut sponte discedat, — affirmat *Elbel* (n. 514.), quia potest praecipere omne id, sine quo poenitens non est capax absolutionis, negat *Lugo* (disp. 23. n. 123.), quia iussio non est actus spectans ad confessionem, ideoque gravamen inde ortum confessionem redderet poenitenti difficiliorem.

197. Restat, ut agendi rationem, quam confessarius in triplici casu particulari servare debet, paucis indicemus.

1. *Si in confessione deprehendit, poenitentem esse surdum* (*s. Alphons.* n. 644.).

a. Si circa initium confessionis id advertat, potest poenitenti iniungere, ut redeat alio tempore et loco opportuno, ubi confessarius libere potest loqui, quin alii audiant; vel si adiuncta id permittant, statim ducat eum in locum audiendis surdis destinatum.

b. Si in progressu confessionis post plures tandem interrogationes id advertat, non potest alta voce ei iniungere, ut alio tempore redeat, ne adstantes suspicentur grave peccatum; potest autem in alium locum eum ducere, si sine suspicione adstantium fieri possit; si id fieri non possit, audiat eius confessionem omissis interrogatio-

nibus, imponat levem poenitentiam, qualem etiam adstantes audire possunt eumque absolvat absolute, vel si de eius dispositione dubitet, sub conditione.

2. *Si confessarius in casu difficili indigeat consilio.* *a.* Recurrat ad theologum, cui poenitens omnino ignotus est; *b.* si id fieri non possit et adsit periculum revelationis, petat a poenitente licentiam, cum alio loquendi de re ad confessionem pertinente; vel *c.* casum ita proponat, ut periculum revelationis evitet i. e. tamquam fictum omittendo omnia adiuncta non necessaria et admiscendo alia falsa, quae rei substantiam non mutant, *d.* si licentiam non habet et nullo modo declinare potest periculum revelationis, studio et oratione diligenter adhibitis, proprio marte nodum dissolvat.

3. *De schedula confessionis danda vel neganda.*

a. Schedula confessionis nihil aliud exhibeat nisi testimonium confessionis tali die peractae, non autem testimonium datae absolutionis, de qua nihil unquam in schedula addendum est. Si tamen schedula typis impressa imprudenter exhiberet testimonium absolutionis et ipsa propter sigillum etiam non absoluto tradi deberet, simpliciter tradenda (vel etiam signanda) est, quin quidquam deleatur, etsi absolutio fuerit negata: nam iste actus tradendi eiusmodi schedulam non videtur esse mendacium.

b. Si poenitenti indisposito, qui confessionem sacramentalem peregit, negata fuit absolutio, tamen danda est schedula confessionis, 1. quando extra confessionem petit: si enim in hoc casu negaretur, confessarius extra confessionem uteretur notitia confessionis cum gravamine poenitentis; 2. quando in confessione petit et negatio aequivalet indirectae violationi sigilli, quod accidit, quando alii ex ipsa negatione schedae in cognitionem veniunt negatae absolutionis atque adeo vel indispositionis vel casus reservati in poenitente, ut si confitentibus in loco publico aliis datur, uni negatur.

c. Si autem poenitenti indisposito, qui sacramentalem confessionem peregit, negata fuit absolutio, negari po-

test schedula confessionis, si in ipsa confessione petit et negatio non aequivalet indirectae laesioni sigilli, quod accidit, quando alii non ex ipsa negatione schedae, sed postea in cognitionem negatae absolutionis veniunt: sicut enim sigillum propter negatam absolutionem non frangitur, etsi alii in eius cognitionem veniant e. g. ex eo, quod a s. communione abstinet; ita etiam propter negatam schedam sigillum non frangitur, etsi alii ex eo, quod schedam non affert, in cognitionem negatae absolutionis veniant; existente autem rationabili et iusta causa scheda in hoc casu dari etiam potest.

d. Si autem poenitens confessionem sacramentalem non peregit, sed confessionem solum simulat, vel si schedulam petit, ut magistro eandem postulanti vel parocho ante matrimonium exhibere possit, quin confiteatur, omnino neganda est: nam hinc quidem nullum est periculum laedendi sigillum, quod non oritur nisi ex sacramentali confessione, inde vero confessarius, eo quod schedam tradit, mentitur et facile cooperatur indignae susceptioni sacramenti eucharistiae vel matrimonii.

Quaestio quarta.

De occasionariis et recidivis.

Articulus primus.

De occasionariis.

198. *Occasio* peccati generatim definitur circumstantia externa, quae homini opportunitatem peccandi praebet eumque ad peccandum allicit.

a. Circumstantia potest esse *res* ut liber pravus vel *persona* ut amasia pro amasio. *b. Externa;* differt ergo occasio a *periculo* peccandi,

quo nomine intelligitur, quidquid ad peccandum movet, sive externum illud sit sive internum; quare latius patet periculum quam occasio peccandi. *c.* Duo in occasione considerari debent: commoditas peccandi, quam homini praebet, et impulsus ad peccandum; licet ergo occasio cum scandalo conveniat, in scandalo tamen magis consideratur res, prout ad peccandum impellit, et in occasione magis prout opportunitatem peccandi praebet. *d.* Ad constituendam occasionem duo concurrunt: ex parte obiecti impulsus et sollicitatio ad peccatum, ex parte subiecti propensio et inclinatio ad peccatum.

1. Occasio alia est remota alia proxima. *Remota* illa dicitur, in qua periculum peccandi leve est, in qua proinde homines plerumque non peccant; *proxima* illa dicitur, in qua periculum peccandi grave est, in qua proinde homines plerumque peccant. Dicitur *per se* seu *absolute* proxima, si ex se communiter omnes homines ad peccandum movet ut aspectus fixus rei valde turpis; et diciter *per accidens* seu *relative* proxima, si aliquem spectata tantum eius fragilitate ad peccandum inducit ut accessus ad cauponam.

Occasio dicitur *proxima* vel *remota* ex coniunctione eius cum peccato: si morali quadam necessitate cum peccato coniuncta est, proxima, secus remota dicitur. Maior vel minor coniunctio occasionis cum peccato fere desumitur ex frequentia lapsuum eius, qui in occasione reperitur. Iam quanta debeat esse haec frequentia, ut occasio possit dici proxima seu moraliter necessario cum peccato coniuncta, non potest facile determinari; inde est, cur theologi diversimode occasionem proximam definiant: alii enim occasionem proximam illam dicunt, in qua homines semper aut fere semper peccant, seu in qua nunquam aut fere nunquam a peccato abstinent; alii: in qua homines ut plurimum peccant; alii: in qua homines frequenter peccant [1]).

Ut diiudicari possit qualitas occasionis, ad tria attendi debet: *a.* *Ad experientiam* seu ad praeteritos lapsus, ubi nimirum poenitens iam in occasione fuit atque in ea peccavit; qui igitur e. g. in sex visitationibus quater vel quinquies peccavit, in occasione proxima reperitur. Ubi notandum est, frequentiam lapsuum non absolute sed ex praesentia occasionis diiudicandam esse, qui e. g. quater in anno cauponam adit, et quater vel etiam ter ibi inebriatur, ei caupona est occasio proxima, etsi lapsus ab-

[1]) Cf. *Lugo,* disp. 14. sect. 10. n. 148. ss.

solute non sint frequentes. *b. Ad poenitentis indolem;* ut quis censeri debeat constitutus in occasione proxima, non est necesse, ut experientia et frequentia lapsuum iam praecesserit: nam gravitas periculi etiam ex vehementia tentationis et ex nota poenitentis fragilitate dimetiri debet, quae tanta esse potest, ut iam ante experientiam dici debeat, in hac occasione fere semper futurum esse peccatum, quare e. g. ancilla ab hero ad peccandum sollicitata reperiri potest in occasione proxima, etsi nondum lapsa sit. *c. Ad communiter contingentia:* frequenter nec ab experientia nec a poenitentis persona gravitas periculi diiudicari debet, sed ex hac regula: quod aliis in iisdem adiunctis est occasio proxima, id etiam huic erit. Quod potissimum accidit, ubi occasio ex se et ex sua natura ad peccatum impellit ut lectio libri valde turpis.

2. Alia est occasio voluntaria, alia necessaria: *voluntaria* ea est, quae facile seu cum levi incommodo vitari potest; *necessaria* ea est, quae vel physice vel moraliter removeri non potest: *physice,* si quis e. g. in eodem carcere sit inclusus cum occasione peccandi; *moraliter,* si occasio dimitti non potest nisi cum magna difficultate vel cum magno detrimento in bonis vitae vel fortunae vel famae.

In praxi non facile credendum, sed in rei veritatem confessario prudenter inquirendum est, si constitutus in occasione praetendat, solum cum magno damno se occasionem dimittere posse: affectus enim ad peccatum saepe auget removendi difficultatem.

Ad iudicium formandum, utrum damnum, quod aliquis subire debet ad fugiendam vel dimittendam occasionem, revera sit notabile, ad adiuncta personarum attendendum et pro diversitate personarum ex communi hominum timoratorum aestimatione taxandum est. Notat *s. Alphonsus* (n. 455.) non excusari mediocriter divitem, qui ne patiatur damnum centum ducatorum (c. 400 flor.), occasionem deserere nollet.

3. Alia est occasio continua seu praesens, alia interrupta seu non praesens: *continua* seu *in esse* ea est, quam quis semper secum habet, quin eam quaerat ut liber obscoenus aut turpis statua, quam domi retinet; *interrupta* seu *non in esse* ea est, quam non quidem secum habet,

sed facile reperire potest ut caupona pro ebrioso, amasia pro amasio, ludus pro eo, qui ludendo solet blasphemare.

199. *De absolvendis occasionariis.*

I. Occasio proxima libera. 1. Existit absoluta obligatio vitandi *occasionem proximam liberam* graviter peccandi ideoque eam removendi vel ad illam non accedendi: qui enim libere se exponit gravi periculo peccandi, eo ipso vult et committit peccatum.

2. Quare absolvi non potest poenitens, qui non vult vitare occasionem proximam graviter peccandi, quam facile vitare potest, quia non habet propositum efficax non amplius peccandi ideoque manifesto non est dispositus.

Non licet admittere excusationem, qua promittunt se occasionem proximam adhibitis remediis non peccandi redditúros esse remotam: nam non licet temere se exponere periculo peccandi, quod sine difficultate vitari potest, sed plane fugiendum illud est.

3. *An possit absolvi antequam occasionem reipsa dimiserit.*

a. Si occasio proxima voluntaria est *non in esse*, si poenitens e. g. frequentando ludos, cauponam, pravos socios peccat blasphemiis, rixis, ebrietate, pravis verbis aut cogitationibus impuris etc. nulla est ratio differendi aut negandi absolutionem, modo sit dispositus et serio promittat occasionem vitare; si autem postea non se emendaverit, tractandus est ut recidivus.

b. Si occasio proxima voluntaria est *in esse* et poenitens firmum propositum habet implendi obligationem suam, pariter absolvi potest: qui enim sufficienter dispositus est, semper absolvi potest, imo ordinarie absolutio data ei magis prodest, quam eius dilatio: gratia enim sacramenti in exequendo proposito eum iuvabit.

Atvero si iam saepius absolutus non stetit promissis, sed in occasione relapsus est, non est absolvendus, nisi prius occasionem dimiserit: merito enim suspicari debet confessarius, ne non habeat firmum propositum; deinde etsi iudicari posset dispositus, prudentia exigit, ut hoc medio dilatae absolutionis infirma poenitentis voluntas in exequendo

proposito iuvetur. Cum tamen poenitens etiam post iteratos relapsus absolute loquendo possit vere esse dispositus; non prohibetur absolvi, si urget ratio iterum concedendi absolutionem, antequam occasionem dimiserit, et si serio dolet et proponit. Eiusmodi urgens ratio adesse censetur: *a.* si poenitens notam infamiae incurreret ex omissa communione; *b.* si periculum adesset, ne alias a sacramentis alienaretur; *c.* si ad eundem confessarium redire non posset, aut solum post diuturnum tempus; *d.* si adesset occasio alicuius extraordinariae indulgentiae.

Sunt, qui in hoc casu occasionis voluntariae *in esse* sequentem regulam statuant: non potest absolvi poenitens, ne prima vice quidem, nisi prius occassionem dimiserit, etsi dispositus sit. Patet hanc regulam, si de stricta obligatione differendi aut negandi absolutionem accipitur, nimis duram esse: cum enim poenitens supponatur sufficienter dispositus, negatio absolutionis rationem remedii habet, quo praecaveatur relapsus; atqui confessarius non potest obligari ad praescribendum remedium, quod non est omnino necessarium, neque ius habet tale remedium iniungendi. Attamen negari non potest, prudentiam quandoque consulere, ut iam statim prima vice differatur absolutio, donec reipsa dimissa sit occasio.

II. *Occasio proxima necessaria.* 1. Non existit absoluta obligatio removendi *occasionem proximam necessariam* graviter peccandi, sed vero obligatio hypothetica, aut adhibendi remedia, quibus occasio proxima reddatur remota, aut eandem dimittendi: nam occasio peccandi in se non est peccatum nec inducit necessitatem peccandi.

2. Quam ob rem absolute loquendo absolvi potest constitutus in eiusmodi occasione peccandi, modo sit dispositus et promittat adhibere remedia non peccandi.

Remedia autem, quibus occasio proxima potest reddi remota, ex *s. Alphonso* sunt magna oratio, frequentior usus sacramentorum, quotidie ante imaginem Crucifixi renovare propositum non amplius peccandi, non versari solus cum sola, fugere ab aspectu complicis etc. Si poenitens haec remedia non adhibeat, occasio erit quidem necessaria, sed periculum erit voluntarium, quare non restat, nisi ut non obstante quacunque difficultate adigatur occasionem removere.

3. Iam vero utrum in casu particulari praestet, ut confessarius dimissionem seu fugam occasionis spreta difficultate eam dimittendi urgeat, an vero praestet, ut usum mediorum, quibus occasio proxima fiat remota, enixius commendet, eius prudentiae relinquendum est; generatim dici potest: non est absolute exigendum, ut dimittatur occasio, si multo difficilius est occasionem dimittere, quam adhibitis remediis peccatum vitare. Quodsi non sequatur emendatio, poenitens tractandus est ut recidivus.

III. *Occasio remota.* Occasio remota non est sola possibilitas, sed aliquod etsi leve periculum peccandi ex ipsa occasione inductum.

1. Nulla adest obligatio vitandi occasiones remotas, quae passim occurrunt: ad impossibile enim nemo tenetur; ad vitandas autem omnes occasiones remotas e. g. aspectum mulierum deberemus ex hoc mundo exire. Cum ergo ubique occurrat aliquod periculum peccandi, semper firmum manere debet propositum non peccandi.

2. Tenemur sub levi vitare occasionem remotam, quae facile vitari potest, si nulla subsistit causa illam adeundi; existente autem aliqua causa illam adeundi, licitum est levi periculo peccandi se exponere, modo firmum maneat propositum non peccandi. Patet hanc causam eo graviorem esse debere, quo maius est periculum peccandi.

3. Semper absolvi potest, qui in occasione solum remota versatur: eiusmodi enim occasio non inducit grave periculum peccandi, leve autem, quod inducit, facile praecaveri potest et proinde levis tantum est obligatio illud vitandi.

Articulus secundus.

De consuetudinariis et recidivis.

200. 1. *Consuetudinarius* seu habituatus dicitur, qui ex repetitione peccatorum eiusdem generis pravam inclinationem seu habitum contraxit eadem peccata committendi. *Consuetudo* seu habitus peccandi est quaedam facilitas et

propensio, quam homo ex repetitis peccatis acquirit eadem peccata committendi.

Ad consuetudinem constituendam duo elementa essentialiter concurrunt, frequentia peccatorum eiusdem generis et quaedam distantia et simul propinquitas inter singulos lapsus: peccata enim saepius iterata non inducunt consuetudinem, neque si nimis ab invicem distant neque si nimis propinqua sunt, ut si eadem die committerentur.

2. Quando contracta censeatur prava consuetudo, non potest accurate definiri, quia id dependet tum a peccantis indole, tum a longiori vel breviori tempore, quod inter actus peccaminosos intercedit, tum praesertim a peccati natura: quo facilius enim aliquod peccatum committitur, eo plures actus intra certum tempus requiruntur ad contrahendam consuetudinem; et cum facilius committantur peccata interna (ad quae revocantur etiam peccata oris), quam externa, generatim plures actus requiruntur ad contrahendum habitum in peccatis internis (et oris) quam in peccatis externis.

a. Qui per notabile tempus e. g. per integrum annum quinquies in mense peccatum externum commisit, imo in materia luxuriae qui bis vel semel in mense per annum peccavit, consuetudinem contraxisse censendus est.

b. Qui semel quotidie per longius tempus pravis desideriis aut blasphemiis peccat, consuetudinarius est, imo etiam qui haec eadem peccata ter quaterve in hebdomada committit, consuetudinarius est.

3. Consuetudinarius quilibet absolvi potest, etsi nulla emendatio praecesserit, modo serio emendationem proponat: nam prava consuetudo non est peccatum, sed inclinatio ad peccatum, ideo cum vera cordis dispositione consistere potest.

Et si consuetudinarius recuset saepius confiteri, per se non potest ei negari absolutio, tum quia frequentior confessio non est praecepta, tum quia alia media emendationis iniungi possunt. Quod si alia media non iudicarentur satis efficacia, ut accidere potest circa habituatos in vitiis carnis, utique neganda esset absolutio ei, qui recusaret uti emendationis medio necessario.

201. *Recidivus* simpliciter et generatim dicitur ille habituatus, qui post confessionem in idem peccatum relapsus est; recidivus autem *formaliter* seu sensu theologico dicitur habituatus, qui idem peccatum pluries iam confessus est et semper eodem modo relabitur.

Tria ergo requiruntur, ut quis vere recidivus dici possit: *a.* Ut pravum peccandi habitum contraxerit. Per se quidem recidivus non debet esse consuetudinarius; si quis enim quater per annum confitetur et singulis vicibus de peccato pollutionis semel commisso se accusat, est recidivus, sed consuetudinarius non est: nam quatuor lapsus per annum non sufficiunt ad contrahendum habitum; de facto autem vix non semper erit simul consuetudinarius. *b.* Ut idem peccatum iam pluries (ter vel quater) confessus sit; ergo recidivus, qui primis duobus vel tribus vicibus idem peccatum confitetur, stricte recidivus non est, quocirca tractandus est ut simplex peccator, si pravum habitum nondum contraxit, vel ut simplex consuetudinarius, si habitum peccandi iam contraxit; quare absolvi potest, modo confessarius prudenter iudicet, eum esse sufficienter dispositum. *c.* Ut nullo adhibito emendationis studio relapsus sit; qui ergo per aliquod tempus media a confessario praescripta adhibuit et contra tentationes strenue pugnavit, etsi postea iterum lapsus sit, non est proprie recidivus.

1. Recidivus, qui vere est dispositus, per se semper absolvi potest: qui enim vere iudicari potest dispositus, absolvi potest, licet recidivus sit: ad validam enim et licitam absolutionem aliud non requiritur, nisi ut actu dispositus sit; ad veram dispositionem autem non requiritur futura emendatio, quare illam non impedit praevisio futuri relapsus.

2. Quoad recidivos autem difficultas est in formando iudicio de eorum dispositione: ex frequenti enim relapsu in eadem peccata necessario ingeritur suspicio pravae alicuius adhaesionis ad obiectum malum, exigui horroris pec-

cati et defectus seriae voluntatis sese emendandi. Quodsi haec suspicio sufficienter removeri non potest, negandam esse absolutionem, patet. Verum ut facilius iudicium efformari possit de dispositione recidivi, notandum est, multos esse recidivos *ex fragilitate;* scilicet qui saepius in eadem quidem peccata relabuntur, quibus tamen peccatum habitualiter displicet, qui proinde peccatum post lapsum mox detestantur et emendationem proponunt, tentationi etiam ad tempus aliquo modo resistunt, sed deinde tum ex infirmitate voluntatis tum ex vehementia tentationis iterum succumbunt. De horum quidem dispositione non est dubitandum. Verum sunt et alii recidivi ex *mala voluntate,* qui scilicet obiecto peccati pravo affectu adhaerent et ex pravo hoc affectu in eadem peccata saepius relabuntur, quin veram et sinceram emendationis voluntatem concipiant. Horum dispositio nedum dubia verum potius nulla est. Atqui partes boni confessarii erga miseros hosce peccatores non sunt, ut sine absolutione eos dimittat, sed ut salutaribus monitis ad emendationem vitae eos disponat. Quod si mutatae voluntatis indicia vere in iis deprehendit, hos quoque recidivos absolvere potest.

3. *An recidivo differenda sit absolutio.*

a. Si recidivus alioquin rite dispositus relapsus sit *ex fragilitate interna,* ut in peccato pollutionis, delectationis morosae, odii, blasphemiae etc. ordinarie maior fructus sperandus est ex gratia sacramenti, quam ex dilatione absolutionis. Aliquando tamen prudenti confessario etiam in hoc peccantium genere profutura videri potest dilatio absolutionis, praesertim si remedia negligenter adhibeantur.

b. Si recidivus alioquin rite dispositus relapsus sit *ex occasione externa,* ordinarie expedit, ut differatur absolutio, donec dimissa sit occasio: qui enim saepius iam fidem fregit, eius voluntas, etsi bona, hoc remedio dilatae absolutionis firmari debet.

c. Si recidivus est *dubie dispositus* et non urget necessitas eum sub conditione absolvendi, per se differenda

est absolutio, ut hac ratione de voluntate poenitentis per experientiam constare possit. Verum quia nostris temporibus praesertim in civitatibus, in quibus fides languet et officia christiana negliguntur, negatio seu dilatio absolutionis plerumque parum prodest, imo potius peccatores offensos et indignatos reddit et magis indurat, melius agit confessarius, qui talem poenitentem ad dolorem et propositum disponere conatur, ei particularia remedia emendationis praescribit et si quidem iudicare potest dispositum, eum absolvit.

4. Ne perperam intelligatur et applicetur theoria in se vera *s. Alphonsi de signis extraordinariis dispositionis*, notandum est, *a.* in occasionariis et recidivis non requiri extraordinarium seu maiorem dolorem et firmius propositum: modo enim sufficiens dispositio adsit, bene absolvi possunt; *b.* occasionarius et recidivus semper absolvi potest, modo a confessario prudenter iudicari possit vere dispositus, qualecunque sit signum, in quo fundetur eius iudicium: sive ordinarium sive extraordinarium, sive ad confessionem illud attulerit, sive in confessione ad monitionem confessarii tandem exhibuerit. *c.* Quare imprudenter ageret confessarius, qui occasionarium aut recidivum simpliciter indispositum iudicaret nisi in ipso deprehenderet unum alterumve ex signis extraordinariis, et imprudentius, qui eiusmodi recidivo absolute differret absolutionem, quin curam et conatum adhibuerit, salutaribus monitis ad dolorem et propositum eum perducendi. Quod si confessarius apte praestiterit, „fieri non potest, quin signum aliquod sufficiens animi sui poenitens exhibeat; proindeque affirmanti, se sincere agere atque ea, quae confessarius exigat, praestare se velle, potest confessarius tuta conscientia absolutionem impertire, etiamsi poenitens aliud conversionis suae signum nullum in antecessum dederit“ [1]).

[1]) *Salvatori* apud *Ballerini-Palmieri* n. 318.

Articulus tertius.

De occasionibus particularibus.

202. *De visitationibus adamantium.* In visitationibus, quae inter adamantes intuitu futuri matrimonii fieri solent, duplex veluti stadium distingui debet: visitationes, quae ante, et visitationes, quae post sponsalia locum habent. De prioribus sub titulo: familiaritates, de posterioribus sub titulo: visitationes sponsorum distincte agendum est.

I. *De familiaritatibus.* 1. Familiaritates, quae etiam procationes dicuntur, per se continent occasionem peccandi: indoles enim naturae humanae praesertim in personis iunioribus eiusmodi est, ut frequentiores conversationes inter personas diversi sexus turpem amorem excitent. Quare familiaritates per se licitae non sunt, nisi accedat iusta causa, quae eas cohonestet.

2. Familiaritates, quae fiunt intuitu futuri matrimonii, licitae sunt: visitationes enim, quae ex se licitae non essent, ex hoc fine cohonestari possunt: nemo enim tenetur sponsalia inire cum persona ignota, sed vero experiri potest indolem et mores futurae uxoris; quam ob rem eiusmodi visitationes usu populorum fere ubique iam introductae sunt.

Ergo interdicendae et, si occasio peccandi proxima est, etiam sub poena denegandae absolutionis interdicendae sunt familiaritates propter periculum peccandi illicitae, in quibus aut nulla est spes futuri matrimonii aut nonnisi post diuturnum tempus: spes enim futuri matrimonii est unica causa, ex qua visitationes istae licitae evadunt. Mensura temporis, intra quod eae permitti possunt, non tam certa regula quam prudentum iudicio definiri debet. Generatim dici potest, familiaritates, quae ultra annum protrahuntur, permittendas non esse; in tali ergo casu aut omnino abrumpendae aut saltem interrumpendae sunt, si matrimonium ipsum citius contrahi non possit.

3. Caveri autem debet, ne familiaritates licitae evadant occasio proxima peccatorum: sine opportunis cautelis

enim facile degenerant in occasionem proximam. Eiusmodi cautelae sunt:

a. Ut quamprimum consensus parentum obtineatur, sine quo futurum matrimonium aut nimis diu protrahetur aut omnino locum non habebit.

b. Ne versentur solus cum sola, quod quidem tam magni momenti est, ut confessarii obligationem parentum, qua visitationibus filiorum invigilare debent, nunquam satis urgere possint.

c. Ne visitationes sint nimis frequentes nec nimis protractae; porro etiam numerus visitationum earumque licita duratio aestimatione prudentum determinari debet; „generatim, putat *Aertnys,* semel in hebdomada per unam alteramve horam immodicum non est."

d. Ut omnia vitent, quae periculum augere possunt, nimiam scilicet in conversando libertatem, praesertim tactus, oscula, amplexus.

e. Ut exercitiis pietatis, praesertim vero frequentatione sacramentorum contra peccatum se munire studeant.

II. *De visitationibus sponsorum.* 1. Certum est, sponsos post inita sponsalia nullum ius mutuum habere in corpora; quae ideo in solutis peccata sunt: aspectus, tactus, oscula, amplexus impudici, ea pari modo etiam in sponsis gravia peccata sunt; an tactus, oscula et amplexus pudici sponsis permitti possint, alibi dictum est.

2. Post inita sponsalia periculum peccandi in visitationibus maius est: sponsi enim maiori libertate inter se conversantur, cum quaedam signa mutui amoris secundum patriae consuetudinem ipsis prohiberi non possint; haec autem maior familiaritas valde auget periculum peccandi. Quare speciales cautelae ipsis proponendae et inculcandae sunt:

a. Ut nunquam sint soli praesertim in secreto loco; parentibus autem praesertim matribus iniungendum est, ut vigilent.

b. Ut iis benevolentiae signis abstineant, quibus magis excitatur libido; in aliis autem non aliud sibi indulgeant, quam quod fieri coram aliis sine offensione potest.

c. Ut diligentius usurpent exercitia pietatis et sacramenta ecclesiae.

3. Si in his visitationibus, sive ante sive post inita sponsalia fiant, peccata committuntur, ex eorum frequentia diiudicandum est, an adsit proximum periculum peccandi. Quod si ex peccatorum frequentia apparet, visitationes sponsis esse occasionem proximam, habendi et tractandi sunt ut constituti *in occasione proxima necessaria:* moraliter enim sponsis impossibile est, a visitationibus et alloquio abstinere.

a. Si igitur peccata externa (tactus turpes, fornicationes) committuntur, eis iniungendum est, ne unquam soli maneant; si peccata eo committuntur, quod in motus turpes, qui occasione visitationis oriuntur, consentiunt, curandum est, ut visitationes quantum fieri potest minuantur et cautelae diligentius adhibeantur.

b. Ceterum etiam recidivos conetur confessarius actu disponere et dein, si dispositos iudicare potest, eos absolvat: si enim sine absolutione dimittantur, id eveniet, ut toto tempore procationis a sacramentis abstineant et in peccatis marcescant.

203. *De choreis.* Choreae distingui debent graviter inhonestae et honestae aut leviter tantum inhonestae. *Graviter inhonestae* illae sunt, quae a personis diversi aut etiam eiusdem sexus suscipiunter cum nudationibus graviter obscoenis aut gestibus vel tactibus graviter impudicis; honestae aut leviter inhonestae illae dicuntur, in quibus nudationes, gestus, tactus non occurrunt nisi honesti aut parum tantummodo inhonesti.

1. Choreae graviter inhonestae sunt occasio proxima peccandi moraliter universalis: rarissimus enim erit, qui eiusmodi rebus turpiter non moveatur; quare dicendae

sunt per se graviter illicitae: occasionem enim proximam quilibet sub gravi evitare debet, nisi eam adeundi necessitas cogat.

2. Choreae honestae vel non graviter inhonestae communiter non continent nisi occasionem peccandi remotam; quare sine causa illas frequentare non licet; existente autem iusta causa eas adire licet, quae autem eo gravior esse debet, quo maius est periculum peccandi seu quo magis occasio peccandi ad occasionem proximam accedit.

a. Choreae per se quidem indifferentes sunt, sed prout nunc instituuntur, nunquam a periculo peccandi prorsus immunes sunt; liberior conversatio inter personas diversi sexus, manuum contrectatio, concentus musici commoventes, nocturnum tempus etc. aliquod saltem leve periculum semper continent, ideo choreae per se nemini suadendae, imo potius omnibus dissuadendae sunt.

b. Causae iustae, ex quibus eiusmodi choreas frequentare licet, sunt: una alterave vice in anno ad animum relaxandum; ad facilius inveniendam occasionem matrimonii; ad non displicendum adamanti; ad satisfaciendum invitantibus ad choreas etc.

c. Ut periculum peccandi, quod ipsae choreae eas frequentantibus praebent, diiudicari possit, notandum est: *α.* generalis regula, quae ubique applicetur, statui non potest, sed tum ad locorum consuetudinem tum ad personarum diversam indolem attendi debet. *β.* Generatim choreae *publicae* praesertim illae, quae inter personas solutas diversi sexus in cauponis instituuntur, multo maius periculum continent, quam quae in privatis domibus habentur. *γ.* Choreae, quae nostro tempore valde in usu sunt: *Walzer, Polka, Mazurka, Schottisch* etc. maius quidem periculum continent propter pressiorem amplexum, quo peraguntur, attamen generatim non possunt dici graviter inhonestae nec proinde per se propter occasionem proximam illicitae. *δ.* Magnum periculum peccandi existit etiam in accessu ad choreas et praesertim in regressu ab iisdem.

d. Choreae etiam in se honestae et licitae graviter peccaminosae esse possunt ex *prava intentione,* si quis nempe eas adiret eo fine, ut delectationem veneream sibi procurare eique indulgere possit: delectatio enim venerea directe quaesita semper mortale peccatum est.

3. Qui adeundo choreas in proximo peccati periculo versatur, sub gravi eas vitare tenetur; et si quando necessitas urget eas adeundi, adhibitis opportunis remediis periculum proximum reddere debet remotum.

a. Quando in casu particulari adsit proximum peccandi periculum seu occasio proxima, aut ex vehementia tentationum aut ex nota poenitentis fragilitate aut ex frequentia peccatorum, quae in choreis iam acciderunt, diiudicari debet.

b. Gravis causa, ex qua choreas eiusmodi adire licet, est e. g. gravis offensio mariti, parentum, fratrum, quae alias evitari non potest.

c. Apta remedia occasionem proximam reddendi remotam sunt: *α*. recta intentio; *β*. oratio; *γ*. in omnibus praesertim vestibus et sermonibus modestia; *δ*. piae reflexiones praesertim post choreas; *ε*. firmum propositum non peccandi.

4. In casu particulari imprimis considerandum est, an choreae poenitenti sint occasio proxima peccandi: si cui non sunt occasio proxima, quantum fieri potest monendus est, ne eas adeat, at confessarius iure suo exigere non potest, ut sub poena denegandae absolutionis promittat, se ad eas non accessurum esse; et si cui sunt occasio proxima, hanc promissionem pariter exigere non potest existente duplici hac conditione: si nempe poenitens ex gravi causa eas adire cogitur, et si aptis cautelis occasionem proximam possit et velit reddere remotam; quod si nulla esset eas adeundi necessitas, non posset absolvi poenitens, qui eas evitare nollet, quia sunt occasio proxima.

204. *De spectaculis.* 1. Spectacula per se quidem sunt res indifferens; siquidem natura sua ludus sunt, qui si honeste et moderate instituatur, nihil mali in se continet. Quare si haberentur spectacula omnino innocua, mere solatii et recreationis causa adiri licite et libere possent. Verum prout nunc spectacula sunt, maiorem minoremve occasionem peccandi fere semper continent.

a. Peccata ad quae committenda occasionem praebent, sunt: *α*. *peccata luxuriae* sive propter res turpes aut saltem amatorias, quae repraesentantur, sive ob varia eorum adiuncta, praesertim ob vestitum inverecundum, qui tum in actoribus tum in spectatoribus cernitur, sive ob choreas inhonestas, quae scenis interponuntur; *β*. *peccata contra fidem*, cum veritates revelatae et institutiones christianae ludibrio habeantur, vitia et delicta laudibus efferantur, virtutes autem ut viles et ridiculae contemnantur.

b. An spectacula in casu particulari assistenti sint occasio proxima, tum ex fragilitate assistentis tum ex obiecto et modo repraesentationis diiudicari debet.

2. Spectacula, quae occasionem tantum remotam continent, non sunt graviter illicita, ideo ex iusta causa adiri possunt. Spectacula, in quibus notabiliter turpia aut religioni notabiliter contraria non occurrunt, ordinarie proximam occasionem non praebent, sed vero occasionem plus minusve remotam; hinc pro gravitate periculi etiam gravior causa, quae ingressum excuset, requiritur et congruae cautelae, quae periculum peccandi removeant, maiori sollertia adhiberi debent.

Eiusmodi causa excusans non est solatium et recreatio, sed gravior requiritur e. g. voluntas mariti, praeceptum parentum, ratio famulatus in iis, qui herum vel dominam comitari debent, ratio utilitatis una alterave vice in iis, qui harum rerum notitiam ex honesto fine sibi comparare debent.

3. Spectacula, quae proximam peccandi occasionem continent, per se graviter illicita sunt; ideo adiri absque gravi peccato solum possunt ex gravi causa et adhibitis congruis cautelis. Proximam occasionem ordinarie praebent spectacula, in quibus notabiliter turpia aut religioni notabiliter contraria occurrunt et praesertim illa, quorum actibus choreae scenicae interponuntur; at ratione fragilitatis etiam spectacula, quae minus inhonesta et minus irreligiosa continent, occasio proxima esse possunt.

Causa sufficiens, ex qua eiusmodi spectacula adiri possent, est indignatio mariti vel parentum, quae alio modo evitari non potest; non vero merum praeceptum nec, ut merito notat *Berardi*, iactura pretii pro ingressu iam soluti, quod per non interventum non recuperatur, nec ordinarie saltem finis philanthropicus, ad quem destinatur lucrum percipiendum, quia pretium etiam sine interventu solvi potest.

4. Quantum fieri potest omnes, praesertim vero iuvenes utriusque sexus, ab adeundis theatris enixe avertendi sunt: quippe periculis plena sunt, levitatem et sensualitatem fovent, virtutes impediunt animique vigorem enervant. Quomodo tractandi sint, qui a spectaculis graviter periculosis abstinere aut non possunt aut nolunt, supra de choreis dictum est.

5. Quandoquidem hodie ea, quae in theatris exhibentur, ordinarie sunt mala et periculis plena, non licet theatrum adire, quin prius cognitio habeatur rei exhibendae; praesertim vero de hac re certiores se reddere debent parentes, antequam filiis licentiam concedere possunt adeundi theatrum [1]).

---

[1]) Cf. de hac quaestione opus valde utile *Ae. Berardi, De recidivis et occasionariis.* Ed. 4. Faventiae. Novelli 1887.

Liber sextus.

De extrema unctione.

Quaestio prima.

De natura extremae unctionis.

205. *Extrema unctio* est sacramentum, quo per unctionem olei benedicti et orationem sacerdotis confertur adultis infirmis de vita periclitantibus salus animae et quandoque etiam corporis [1]).

a. Dicitur *extrema* unctio, quia omnium unctionum, quas Christus in ecclesia instituit, ultima est, quae administratur. Hoc sacramentum est *complementum poenitentiae* eodem fere modo, quo confirmatio est complementum baptismi: etenim poenitentia instituta est ad remittenda peccata; extrema unctio autem ad abstergendas peccatorum reliquias.

b. Reliquiae peccatorum ea dicuntur, quae ex peccatis relicta in anima manent. Sunt triplicis generis: *α.* fomes peccati, habitus pravi et mala phantasmata; *β.* quae ex his tribus consequuntur: pronitas ad malum, torpor ad bonum, tristitia et timor, quo spes et fiducia in Deum infirmantur; *γ.* reatus poenae temporalis. Atqui ad haec sive primario sive secundario delenda potissimum instituta est extrema unctio [2]).

206. *Effectus extremae unctionis.* 1. *Augmentum gratiae sanctificantis.* Praeter hunc effectum omnibus sacramentis vivorum communem extrema unctio triplicem effectum specialem partim primario partim secundario producit.

---

[1]) Jac. 5, 14. 15. Conc. Trid. sess. 14. de extr. unct. can. 1.

[2]) *Suarez* disp. 40. sec. 1. n. 8. ss.

2. *Iuvare et roborare animam aegroti* in tentationibus et difficultatibus, quae illi in articulo mortis occurrunt, seu potius ius ad specialia gratiae auxilia, quibus anima in extremo certamine roboratur. Et hic quidem proprius et *primarius* huius sacramenti effectus est, quem vi institutionis producit.

3. *Remissio peccati,* quae est effectus *secundarius* huius sacramenti; ad quem ergo producendum sacramentum ex sua institutione quidem ordinatum est, at non primo, sed secundo loco. Remittit autem *a.* peccata *mortalia,* ut ex textu s. Jacobi (5, 15.) et ex concilio tridentino colligitur [1]); *b.* peccata *venialia,* ut ex eodem textu constat: apostolus enim sine discrimine ait: *et si in peccatis sit, remittentur ei; c. poenam temporalem* eamque maiorem vel minorem pro dispositione suscipientis.

a. Qui igitur peccatorum mortalium reus est, quin id sciat, vel si sciat, confiteri non possit, per extremam unctionem illorum remissionem consequitur, modo sit attritus. Quoniam haec doctrina est moraliter certa, facile patet, moribundo sensibus destituto extremam unctionem esse medium salutis longe securius ipsa sacramentali absolutione.

b. Utrum iste effectus huius sacramenti cum obice suscepti postea remoto obice reviviscat, omnino certum non est; si ergo infirmus bona fide vel sensibus destitutus hoc sacramentum suscipit in statu peccati mortalis sine attritione et postea attritionem elicit, probabiliter tantum gratiam consequitur (n. 4).

4. *Sanitas corporis* pariter est effectus huius sacramenti *secundarius,* quem ergo non per accidens, sed vi institutionis producit; insuper est effectus *conditionatus:* si nimirum animae saluti expediat. Hoc sacramentum etiam ad sanitatem corporis reparandam institutum esse, tum ex verbis s. Jacobi (*oratio fidei salvabit infirmum*) tum ex conc. trid. (c. 2.) colligitur.

Hunc autem effectum non producit per modum miraculi, sed eo quod providentia divina media naturalia dirigit et adiuvat, quamdiu illorum mediorum actionis et influxus capax est corpus. Quare effectu isto ipsi se pri-

---

[1]) Sess. 14. de extr. unct. can. 2.

vant, qui hoc sacramentum tum demum recipiunt, quando morbus ita invaluit, ut sine miraculo sanari amplius non possit.

Utrum hoc sacramentum gratiam conferat in singulis unctionibus, an vero in ultima, non constat. *S. Thomas* quidem dicit: „in ultima unctione gratia confertur"[1]); alii autem potius censent, in singulis unctionibus gratiam conferri, quia quaelibet unctio perfecte et complete suum effectum significat; ergo eundem etiam producit. Omnes tamen concedunt, extremam unctionem unum tantummodo sacramentum esse, ideoque partiales unctiones ad unum sacramentum integrandum concurrere.

Quaestio secunda.

De materia et forma extremae unctionis.

207. *Materia remota* extremae unctionis est oleum ab episcopo benedictum.

1. *Oleum* de necessitate sacramenti debet esse *ex olivis:* nam tum usu communi tum sensu ecclesiae nomine olei non intelligitur aliud nisi oleum olivarum; insuper in decreto Eugenii IV. pro armenis expresse dicitur, materiam huius sacramenti esse *oleum olivae.*

2. Oleum necessario debet esse *ab episcopo benedictum.* Unctio ergo collata cum oleo a simplici sacerdote absque speciali licentia s. sedis benedicto et magis cum oleo omnino non benedicto, nullius valoris est.

a. Tum verba Eugenii IV. tum verba concilii tridentini, quibus expresse affirmatur, *materiam esse oleum ab episcopo benedictum,* omne dubium in hac quaestione excludunt. Concilium trid. insuper addit, ecclesiam *ex apostolica traditione* didicisse materiam huius sacramenti[2]);

---

[1]) Suppl. q. 30. a. 1. ad 3.

[2]) Sess. 14. de extr. unct. c. 1.

quibus verbis significat, ab ipso Christo hanc materiam determinatam fuisse. Ideo ecclesia contrariam sententiam erroneam declaravit[1]), nec unquam permisit, neque in casu extremae necessitatis, ut deficiente oleo ab episcopo benedicto sacramentum extremae unctionis administraretur cum oleo a simplici sacerdote benedicto.

b. Potest tamen adhiberi oleum a simplici sacerdote ex speciali delegatione summi pontificis benedictum, sicut in ecclesia graeca passim adhibetur oleum (de licentia romani pontificis) a presbytero benedictum: episcopi benedictio est *ordinaria,* sacerdotis *extraordinaria.*

c. Oleum benedici debet, non quidem ad valorem sacramenti, sed ex praescripto ecclesiae ab episcopo dioecesis, vel sede vacante ab alio episcopo vicino, et quidem feria V. in Coena Domini. Quare absque necessitate uti oleo, quod non a proprio ordinario benedictum fuit, est contra praeceptum ecclesiae[2]).

3. Ut oleum sit materia huius sacramenti certo valida, debet esse *benedictum speciali benedictione* i. e. in ordine ad extremam unctionem: hac enim speciali benedictione constituitur materia huius sacramenti. Aliud autem oleum ab episcopo benedictum[3]) probabiliter tantum materiam validam constituit.

Hinc in casu necessitatis deficiente oleo infirmorum sacramentum sub conditione conferendum est cum alio oleo ab episcopo benedicto; at postea, si oleum infirmorum haberi possit, sacramentum sub conditione iterandum est; id quod fieri etiam debet, si sacerdos per errorem aliud oleum adhibuit.

4. Ut oleum sit materia licita, debet esse *eodem anno benedictum:* nam ex rituali romano singulis annis veteri combusto (in lampade coram ss. sacramento ardente) oleum renovandum est; quod quidem praeceptum videtur esse

---

[1]) S. Offic. 13. ian. 1665.

[2]) S. Offic. 14. sept. 1842.; 10. ian. 1850.

[3]) Triplex oleum ab episcopo in Coena Domini benedicitur, quodvis speciali benedictione pontificalis romani: oleum infirmorum (O. I.), oleum catechumenorum seu salutis (O. S.) et sanctum chrisma (S. Ch. vel Ch.). *Oleum infirmorum* adhibetur in administratione extremae unctionis et in consecratione campanarum pro unctione exteriori; *Oleum catechumenorum* adhibetur in baptismo pro unctione, quae fit ante ipsum baptismum, in ordinatione presbyteri et in aliis nonnullis consecrationibus e. g. in consecratione regum; *chrisma* adhibetur in confirmatione, in baptismo post collatum ipsum baptismum et in variis consecrationibus e. g. calicis, patenae, altaris, campanae (interius) etc.

grave. Sed si novum oleum benedictum haberi nequeat, licitum est uti antiquo. Quod si novum non sufficiat, ex rituali potest ei aliud non benedictum admisceri, sed in minori quantitate; imo admixtionem saepius renovare licet, modo olei admixti pars semper sit minor ea parte, cui infunditur.

208. *Materia proxima* est unctio quarundam partium corporis, scilicet saltem quinque sensuum.

1. Utrum ad valorem sacramenti plures unctiones requirantur, an vero unica (in fronte) sufficiat, controvertitur. Argumenta quidem satis valida demonstrant, unicam in fronte sufficere: *a.* ad essentiam enim huius sacramenti requiritur unctio infirmi, sicut ad essentiam baptismi ablutio hominis requiritur; atqui ad valorem baptismi una ablutio sufficit; ergo pari ratione ad valorem extremae unctionis una unctio sufficit. *b.* Plures partes corporis ungendas esse potius ex praecepto ecclesiae quam ex institutione sacramenti, inde colligitur, quod modo plures modo pauciores, nec semper eaedem partes inungendae praescribantur. Nihilominus sunt, qui de valore sacramenti dubitent, nisi omnes sensus inungantur, etsi caput sit sedes omnium facultatum et ex capite omnes sensus dimanent.

2. Ut ergo sacramentum sit *certo validum,* necessario requiritur unctio quinque sensuum; scilicet ungendi sunt oculi, aures, nares, os et manus. Quam ob rem in casu necessitatis sacramentum sub conditione administrari quidem potest cum unica unctione in aliquo sensu, vel consultius sub forma universali in capite, ex quo omnium sensuum nervi descendunt; si tamen postea tempus permittat, quinque sensus ungendi sunt.

3. Unctio *pedum et renum* non requiritur de necessitate sacramenti, quia per has unctiones non indicatur specialis sensus; requiritur tamen ex praecepto ecclesiae: in rituali enim romano dicitur: „pedes etiam et renes ungendi sunt.“ Ubi vero legitime invaluit consuetudo contraria, unctiones istae omitti possunt; hinc in nostris

regionibus unctio pedum quidem sine gravi ratione omitti non potest, unctio renum autem non solum in feminis, sed etiam in viris prorsus omittenda est; alia autem corporis pars e. g. pectus pro renibus ungi non debet.

4. Unctiones fieri debent *per modum crucis, pollice dextro* sacerdotis, qui simul formam proferre debet.

a. Unctionem fieri debere *in modum crucis,* non essentia sacramenti, sed praeceptum ecclesiae exigit; nullibi enim nec in concilio florentino nec tridentino illud indicatur; quare in necessitate etiam omitti potest: sine necessitate autem citra veniale omitti non potest.

b. Nihil prohibet, quominus in casu necessitatis e. g. tempore pestis unctiones fiant mediante penicillo vel virgula (postea comburenda), quia in hoc sacramento non requiritur, sicut in confirmatione, impositio manus; unctiones tamen ex iudicio nunc medicorum sine periculo contagionis semper fieri possunt ipso digito.

c. Licet valde suadendum sit, ut extrema digiti pars ad singulas, quae in diversis sensibus fiunt, unctiones intingatur; per se tamen ad valorem sacramenti etiam una sola gutta olei ad omnes unctiones faciendas sufficere potest, modo contactu suo partem determinatam corporis vere ungat.

5. Attamen non requiritur de necessitate sacramenti, sed solum de necessitate praecepti, utique graviter obligantis, ut unctio fiat *in utroque organo* sensus, quia in unico organo totus sensus habetur; pariter solum de necessitate praecepti, nec graviter obligantis, requiritur, ut inter diversos sensus *ordo* servetur in rituali praescriptus et ut ab organo dextro potius quam a sinistro unctio incipiat. Tandem qui aliquo sensu carent, ut caeci a nativitate, tamen in eius organis ungendi sunt, quia interius peccare potuerunt; et qui organo sensus carent, in parte viciniori eadem verborum forma ungendi sunt.

209. *De forma.* Forma extremae unctionis haec est: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum sive auditum . . deliquisti. Amen.*

1. In hac forma *essentialia* sunt: *per istam unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum . . deliquisti*; hac enim forma significatur *a.* actio sacramentalis: *unctionem; b.* effectus proprius huius sacramenti: *indulgeat,*

quidquid per . . deliquisti; c. forma est *deprecatoria*, id quod ex nonnullorum opinione ad essentiam huius sacramenti requiritur: *oratio* salvabit infirmum. Ad essentiam autem non pertinent verbum *sanctam* et illa alia: *per suam piissimam misericordiam.* Vocem *Amen* terminata forma infirmus cum adstantibus addere potest.

2. Si sacerdos inter unctiones deficiat, alius unctiones factas non debet iterare, nisi notabile tempus i. e. quarta horae pars iam effluxisset, sed sufficit ut addat eas, quae adhuc desunt. Imo non esset invalida, sed extra casum necessitatis in ecclesia latina graviter illicita administratio huius sacramenti, quae a pluribus simul sacerdotibus ita fiat, ut unus unam, alius aliam corporis partem inungat pronuntiando formam illi unctioni respondentem.

3. In casu necessitatis optimum est, sacramentum conferre hac generali forma: *Per istam sanctam unctionem . . . indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per sensus: visum, auditum, odoratum, gustum et locutionem ac tactum.* Verbum *deliquisti* praeponatur: si enim dicatur in fine et interim aegrotus moriatur, nullum est sacramentum; insuper ad vocem *sensus* fiat unctio in fronte; et ad vocem singulorum sensuum singuli absque forma crucis in alterutro tantum organo inungantur. Sacramentum hac ratione collatum vix non certo validum est, quia nulla est solida ratio de eius valore dubitandi: nam singuli sensus unguntur et singuli etiam per formam expresse significantur. Si tamen aegrotus supervivat, sub conditione iterum more solito inungendus est, praesertim si aliud sacramentum non potuerit suscipere, quia sunt auctores, qui etiam in hoc casu de valore sacramenti dubitent.

4. Sacramentum validum esse videtur, si adhibita forma generali singulos sensus exprimente: *per istam unctionem . . indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per sensus: visum, auditum, odoratum, gustum et tactum* unica unctio in fronte fiat; imo etiam si singuli sensus expresse non nominentur et solum dicatur: *quidquid per sensus deliquisti:* etenim hac voce confuse singuli continentur. In

praxi tamen unctio hoc modo collata sub conditione iteranda esset, quia plures auctores non solum singulorum sensuum unctionem, sed etiam eorundem expressam mentionem ad valorem exigunt. Probabiliter etiam validum est, si adhibita forma partiali unum sensum exprimente: *per istam s. unctionem . . indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum deliquisti* unus tantum sensus inungatur.

5. Si extrema unctio pluribus simul administranda est, preces, quae cum actionibus non coniunguntur, semel tantum in plurali (si mutatio commode fieri possit) dicantur; actiones vero cum precibus adiunctis super singulos repetantur. Si igitur extrema unctio pluribus conferatur, impositio manus cum oratione: *Extinguatur* et deinde unctiones cum suis formis super singulos repetendae sunt; aliae vere orationes semel tantum super omnes in plurali dici possunt.

Quaestio tertia.

De ministro extremae unctionis.

210. *Minister* extremae unctionis est *solus sacerdos*, id quod a concil. trident. expresse definitum est[1]): dixerat enim s. Jacobus, ut inducantur *presbyteri*, qui orent super infirmum.

1. *Valide* sacramentum extremae unctionis conferre potest omnis et solus sacerdos: cum enim ad ministrandum hoc sacramentum non requiratur iurisdictio, potestas illud valide conferendi competit sacerdoti vi ordinis ideoque omni, etiam excommunicato.

---

[1]) Sess. 14. de extr. unct. c. 3. can. 4.

2. *Licite* extremam unctionem conferre potest solus parochus aut alius sacerdos ab ipso delegatus, quia ad solum parochum pertinet, oves suas administratione sacramentorum pascere[1]). Qui igitur sine licentia parochi vel episcopi extra casum necessitatis hoc sacramentum administrat, graviter peccat, quia ius alienum in re gravi violat; et regularis in hoc casu insuper incurrit excommunicationem Papae simpliciter reservatam[2]).

Attamen probabiliter sufficit *licentia rationabiliter praesumta,* quamvis non facile sit praesumenda: cum enim delegatio non ad valide, sed solum ad licite administrandum sacramentum requiratur, etiam solum praesumta sufficere videtur.

In casu autem necessitatis, scilicet si parochus sit absens vel iniuste sacramentum ministrare nolit vel excommunicatione aut suspensione sit ligatus, quilibet sacerdos ex tacita summi pontificis licentia potest et ex caritate etiam debet hoc sacramentum administrare.

Regularibus et iis, qui de eorum familia sunt, extremam unctionem confert superior regularis, vel quem ipse deputaverit.

3. Qui pastor est, *ex officio* et quidem sub gravi tenetur hoc sacramentum ministrare subditis suis, qui illud petunt, nisi iusta causa excuset; et ad id tenetur etiam cum gravi incommodo, imo cum periculo vitae, si infirmus iudicetur esse in statu peccati mortalis, si e. g. iam a longo tempore non sit confessus et solum sub conditione absolvi potuerit, utpote sensibus destitutus.

Ergo tempore morbi contagiosi non tenetur parochus ungere infirmos, qui confiteri potuerunt, si id sine periculo vitae fieri non possit; et quia probabile periculum vitae ex contagione in hoc casu semper adest, absolute dici potest, parochum non teneri hoc sacramentum administrare. Iis autem, qui certo validam absolutionem accipere non potuerunt et qui ipsi

---

[1]) Si episcopus graviter infirmetur, ius administrandi ipsi ultima sacramenta competit canonicis i. e. digniori inter ipsos. Cf. *Acta s. Sedis VIII. 210.*

[2]) Constitutio *Apost. Sedis II. 14.*

sibi consulere non possunt, tenetur etiam cum periculo contagionis sacramentum administrare.

Imo ex catechismo romano (q. 9.) sub gravi tenetur etiam, si fieri possit, hoc sacramentum infirmo ministrare antequam „omni salutis spe amissa vita et sensibus iam carere incipiat.“ Censet enim catechismus, grave damnum inferri aegroto, si usque ad ultimum vitae tempus, quo fere iam usu rationis et sensuum destituitur, huius sacramenti administratio differatur; id quod ex effectibus huius sacramenti facile colligitur.

Qui non est pastor, *ex caritate* ideoque in necessitate communi sub levi, in necessitate autem extrema, si infirmus, qui est in mortali, alias sine ullo sacramento decederet, sub gravi tenetur hoc sacramentum ministrare.

4. Hoc sacramentum minisrari debet iuxta modum in rituali romano praescriptum. Illud autem ministrare *a. sine vestibus sacris* i. e. sine superpelliceo et stola violacea, excepto casu, quo vestes deessent et infirmus sine hoc sacramento moreretur; *b. omissis precibus* in rituali praescriptis, excepto iterum casu necessitatis, est grave peccatum. Leve peccatum est, *a.* illud administrare *sine lumine* et *b. omittere signum crucis* in singulis unctionibus faciendum. Probabiliter autem nullum est peccatum, illud conferre *sine ministro*, etiam extra casum necessitatis seu ubi minister haberi posset.

Quaestio quarta.

De subiecto extremae unctionis.

211. *Subiectum* extremae unctionis est omnis homo baptizatus, qui usum rationis adeptus est et ex morbo in probabili mortis periculo versatur.

1. Ad *validam* igitur huius sacramenti receptionem requiritur

a. Ut ungendus sit *baptizatus;* potest autem hoc sacramentum conferri etiam adulto statim post baptismum absolute et rite susceptum, quia effectus huius sacramenti est tum roborare infirmos contra tentationes daemonis, tum abstergere reliquias peccatorum; atqui adultus recenter baptizatus potest utrumque hunc effectum percipere.

b. Ut *adeptus sit usum rationis* seu ut sit capax peccati: nam ante usum rationis homo nondum est capax effectuum huius sacramenti, cum per sensus nondum peccare potuerit; quamprimum autem capax est peccati, est etiam capax effectuum sacramenti.

Ideo 1. quamvis ungi non possint pueri ante usum rationis, si tamen sint peccati capaces, omnino ungendi sunt, licet nec ad primam communionem nec ad confessionem accesserint; et in dubio de usu rationis sub conditione (si capax es) inungantur. 2. Quamvis ungi non possint perpetuo amentes, qui tamen lucida intervalla habuerunt, absolute, et qui probabiliter ea habuerunt, sub conditione ungendi sunt.

c. Ut ex morbo *de vita periclitetur;* quocirca sani aut leviter tantum aegroti aut ex alia ratione (e. g. in mari, in proelio, propter operationem chirurgicam) in periculo mortis constituti, nec valide nec licite hoc sacramentum suspicere possunt. Sufficit autem, ut infirmitas probabiliter lethalem exitum sit habitura, etsi periculum sit adhuc remotum; quare valide et licite inungi potest infirmus, qui hectica febri vel simili morbo laborat, quamvis pluribus adhuc mensibus aut etiam anno integro victurus praevideatur. Pariter inungi possunt, quibus periculum mortis imminet ex vulnere, ex veneno vel ex senio sine alia infirmitate: ipsa quippe senectus morbus est. Quando igitur viaticum ministrari potest infirmo non ieiuno, etiam dari potest ei extrema unctio.

2. Ut *licite et cum fructu* recipi possit extrema unctio, requiritur status gratiae. Ideo haec servanda sunt.

a. Praemittenda est confessio (ex praecepto divino), si aegrotus sit in statu peccati mortalis; nam extrema

unctio per se est sacramentum vivorum; et si confiteri non possit, praemittenda est contritio et absolutio saltem conditionata.

Etsi moribundus ante administrationem extremae unctionis absolvendus sit, quia extrema unctio est sacramentum vivorum et complementum sacramenti poenitentiae; id tamen non tanta necessitate requiritur, ut non liceat moribundum ante absolutionem inungere, ubi merito timetur, ne tempus ad utrumque sacramentum administrandum deficiat.

b. Ex hodierna praxi ecclesiae viaticum administrandum est ante extremam unctionem; quod praeceptum tamen non obligat sub gravi, ideo ex iusta causa ordo licite inverti potest. Alia praxis antiquitus in ecclesia viguit, siquidem extrema unctio infirmis administrabatur statim post peractam sacramentalem confessionem. Hodiernam praxim *rituale romanum* servandam esse decrevit.

3. *Quibus administrari possit.* Extrema unctio iisdem administrari potest, quibus conceditur absolutio saltem conditionata; solis ergo manifesto impoenitentibus ea dari non potest. Ergo (sub conditione saltem) absolvi et extreme inungi possunt etiam sensibus destituti, et quidem *a.* qui antea signa poenitentiae dederunt; *b.* etsi signa poenitentiae desint, qui tamen christiane vixerunt; *c.* etiam illis, qui parum christiane vixerunt; *d.* imo etiam illis, qui in actu peccati e. g. in rixa, in duello, in crapula sensibus destituti sunt. His autem extrema unctio dari potest, quia hinc quidem sacramenta sunt propter homines ideoque in extremis extrema tentare licet; inde vero quia multiplici experientia constat, eos, qui exterius nullum signum dare possunt, interius tamen ratione uti vel saltem lucida intervalla habere posse; atqui non improbabiliter supponitur, etiam hominem in vita impium, nisi sit omnino in malo obduratus, in tantis angustiis constitutum, utpote morti et ultimo iudicio proximum, in se redire et cum Deo suo reconciliationem quaerere.

In duplici ergo casu sicut absolutio ita a fortiori extrema unctio danda non est, imprimis iis, qui in ultima infirmitate usque ad sensuum deliquium sacramenta ecclesiae, licet oblata, impie reiecerunt, deinde iis, qui in vita adeo in malo obdurati se exhibuerunt, ut palam fieret, eos

sine sacramentis ecclesiae non solum vivere sed etiam mori velle. Licet enim absolute non sit impossibile, hominem etiam impiissimum in morte ad Deum converti; ut tamen sacramenta, etiam in morte, licite administrari possint, non sufficit absoluta possibilitas intentionis et dispositionis in suscipiente, sed requiritur moralis possibilitas seu aliqua saltem, licet tenuissima probabilitas. Atqui in casibus descriptis intentio et dispositio in suscipiente dicenda est omnino improbabilis et moraliter impossibilis. Et iste quidem videtur esse sensus verborum ritualis romani supra citati. Ceterum in particulari casu iudicium circa intentionem et dispositionem moribundi prudentiae confessarii committenda est.

4. *Quando sub conditione danda sit.* Quoties de existentia alicuius rei dubitatur, quae ad validam administrationem necessario requiritur, extrema unctio non secus ac alia sacramenta sub conditione, quod illa res adsit (si vivis; si baptizatus es; si usum rationis habes vel aliquando habuisti; si graviter aegrotas; si haec materia valet; si nondum unctus es; si sufficientem intentionem habes) administrari potest et debet; quoties autem de existentia dispositionis dubitatur, a qua fructuosa administratio dependet, extrema unctio secus ac absolutio sacramentalis, non conditionate sed absolute danda est: nam ablato obice malae dispositionis extrema unctio reviviscit; atqui si sub conditione *si dignus es* confertur indigno, utpote nulla, reviviscere nequit.

5. *Obligatio suscipiendi* sacramentum extremae unctionis non potest dici gravis: nullum enim existit praeceptum sacramenti huius suscipiendi. Negligentia autem, qua quis data occasione ex mera socordia hoc sacramentum non recipit, certe veniale peccatum est.

Et sane praeceptum suscipiendi extremam unctionem *a.* non potest colligi ex rei natura, cum ad salutem non sit necessaria; neque *b.* ex verbis s. Jacobi, quae non debent necessario accipi ut praeceptiva nec ab ecclesia unquam praeceptiva esse declaratum est; nec tandem *c.* ex voluntate ecclesiae, quae tale praeceptum nunquam dedit. Obligatio ergo levis, quae existit, suscipiendi hoc sacramentum ex praecepto caritatis desumenda est, quo quilibet sibi procurare tenetur tam utile praesidium in extremo periculo. Qui tamen data occasione hoc sacramentum suscipere renuit, graviter peccare potest aut ratione scandali aut ratione contemtus.

212. Hoc sacramentum in eadem infirmitate et in eodem mortis periculo semel tantum licite administrari potest, quia efficacia sacramenti tamdiu durat, quamdiu durat infirmitas, in qua illud collatum est. *Iterari* autem potest vel etiam debet, quoties infirmus in novum mortis periculum incidit.

Si igitur certo constat, infirmum post unctionem convaluisse, ut contingere potest in asthmaticis et phthisicis, iam post intervallum unius hebdomadae redeunte novo periculo denuo inungi potest.

Quodsi certum non est, periculum post unctionem cessasse, redeunte novo periculo inungi non potest, nisi effluxerit notabile tempus, unius scilicet mensis post primam unctionem.

1. In nova periculosa infirmitate, si scilicet infirmus ex morbo periculoso convaluit et in alium item periculosum incidit: et in hoc quidem casu sacramentum iterari debet.

2. In eadem infirmitate, si diuturna sit et aegrotus aut certe aut saltem probabiliter convaluit et iterum in mortis periculum incidit, ut in phthisi aut hydropisi quandoque accidit; et in hoc quidem casu sacramentum iterari potest.

3. In eadem autem infirmitate sacramentum iterandum non est, quamdiu certo idem mortis periculum perdurat; certo autem perdurare censetur, si infirmitas non est diuturna, aut si est diuturna quidem, at infirmus per breve tantummodo tempus, per aliquot scilicet dies, se melius habuit: periculum econtra cessasse supponitur, si infirmus per notabile tempus, per mensem scilicet se melius habuit, nisi ex natura morbi aliud constet. In dubio potius pro iteratione standum est, quia „iteratio conformior est veteri consuetudini ecclesiae et per eam novum spirituale subsidium infirmo obvenit“ [1]).

[1]) *Benedictus XIV.* de Syn. l. 8. c.

Liber septimus.

De ordine.

Quaestio prima.

De natura ordinis.

213. Ordo definiri potest sacramentum (seu actio consecratoria), quo spiritualis potestas confertur circa eucharistiam et simul gratia ad munera rite obeunda.

a. Nomen *ordinis* duplici sensu accipitur: active et passive. *Active* significat illam actionem sacram, per quam spiritualis potestas confertur, et hoc sensu acceptum dicitur etiam *ordinatio*. *Passive* duo significare potest, imprimis effectum per ordinationem productum scilicet sacram potestatem; deinde etiam coetum eorum, qui in ecclesia hac sacra potestate instructi sunt, et hierarchiam seu ordinem hierarchicum constituunt.

b. *Spiritualis potestas*, quae in ordinatione confertur, multiplex quidem est: praecipua tamen est potestas conficiendi et administrandi sacramenta, inter quae eminet eucharistia. Ad hanc potestatem plures aliae accedunt ut potestas consecrandi olea, praedicandi, regendi, benedicendi etc. *Circa eucharistiam:* omnes enim ordines eorumque multiplex potestas aliquo modo ad eucharistiam referuntur, aut ut ipsa confici et offerri aut ut in eius oblatione ministrari possit[1]).

---

[1]) *S. Thomas* Suppl. q. 37. a. 2.

214. In ecclesia latina septem ordines numerantur: Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus et Sacerdotium, quod duplex est, sacerdotium minus, quod Presbyteratus, et sacerdotium maius, quod Episcopatus vocatur. Quatuor priores dicuntur *ordines minores*, alii vocantur *maiores* et *sacri*. Ordinibus praemittitur *Tonsura*. In ecclesia graeca quatuor ordines habentur: Lectoratus, Subdiaconatus, Diaconatus et Presbyteratus, cui addi potest Episcopatus.

1. *Prima tonsura*, quae ante ordines tamquam dispositio ad ordines confertur, hominem transfert e statu laicali in clericalem eumque aptum reddit ad beneficium ecclesiasticum accipiendum. Tonsura inter ordines non numeratur, quia per eam non confertur potestas spiritualis, quod de ratione ordinis est.

2. Quatuor *ordines*, qui dicuntur *minores*, certo non sunt sacramenta, cum sint institutionis ecclesiasticae; alios enim ecclesia graeca, alios latina instituit.

3. *Subdiaconatum* rationem sacramenti habere, certum non est; qui, cum antea ad minores ordines censeretur, demum inde a saeculo undecimo ad maiores et sacros numerari coepit.

4. *Diaconatum*, *presbyteratum* et *episcopatum* sacramenta esse, ex definitione concilii trident. certum est [1]). Utrum autem episcopatus sit ordo a presbyteratu adaequate distinctus, vel extensio quaedam ipsius sacerdotii, disputatur. Certe est ordo a sacerdotio inadaequate distinctus, qui potestati sacerdotali addit potestatem exercendi actiones sacramentales, quas simplex sacerdos exercere non potest; quocirca illam potestatem perficit et complet. In hac sententia facile intelligitur, cur alii ordines valide conferri possint, nondum collatis praecedentibus; cur autem episcopatus, nondum collato sacerdotio, valide conferri nequeat.

---

[1]) Sess. 23. can. 6.

Omnes tamen ordines *ex unitate finis*, ad quem referuntur, unum tantummodo sacramentum constituunt, cum omnes ordinentur ad unum eucharistiae sacramentum et sacrificium.

215. *Effectus*, quos ordo producit, sunt sequentes: *a.* confert augmentum gratiae sanctificantis, cum sit sacramentum vivorum; *b.* confert gratiam sacramentalem seu ius quoddam ad gratiae auxilia, quibus ordinatus obligationes suas rite implere possit; *c.* imprimit characterem indelebilem, propter quem nullus ordo iterari potest; *d.* tribuit potestatem spiritualem, qua ordinatus functiones ordinis suscepti exercere possit.

De hisce effectibus notandum est: *a.* illos effectus, qui in collatione gratiae consistunt, non participant, nisi qui *digne* ad ordinationem accedunt; effectus autem, qui in impressione characteris et in collatione peculiaris potestatis consistunt, participant omnes, qui ordinem *valide* suscipiunt. *b.* Inter ordines, qui sunt sacramentum, et ordines, qui sacramentum non sunt, hoc intercedit discrimen, quod illi effectum gratiae producunt ex opere operato, hi vero ex precibus ecclesiae et ex opere operantis i. e. ex piis actibus ipsius ordinandi.

In singulis ordinibus ordinandis committuntur quaedam officia et munia et simul traditur potestas quaedam haec ipsa munia ex officio obeundi; ex potestate igitur collata simul intelligitur officium ordinandis iniunctum.

Ordo *Ostiariatus* tradit ordinando potestatem custodiendi ecclesiam eiusque fores aperiendi et claudendi, convocandi fideles ad functiones sacras et arcendi indignos, scilicet infideles, haereticos et excommunicatos.

Ordo *Lectoratus* tradit potestatem legendi publice in ecclesia scripturas sacras, docendi rudes elementa fidei christianae et benedicendi panem et novos fructus.

Ordo *Exorcistatus* tradit potestatem imponendi manus super obsessos et legendi exorcismos ab ecclesia approbatos ad fugandos daemones. Ut sollemnis exorcismus

licite adhiberi possit, requiritur licentia episcopi, quae ex hodierna praxi ecclesiae solis sacerdotibus conceditur; privatus autem exorcismus sine licentia adhiberi potest.

Ordo *Acolythatus* tradit potestatem ad missae sacrificium luminaria deferendi atque vinum et aquam in missa solemni ministrandi. Ideo acolythatus ceteris ordinibus minoribus praefertur: his enim insigniti directe solum circa populum ministrant etsi in ordine ad eucharistiam, acolythus autem, cum diacono et subdiacono in sacrificio missae inserviat, directe ad sacrificium eucharisticum ministrat.

Ordo *Subdiaconatus* tradit potestatem in missa solemni ministrandi, solemniter cantandi epistolam et lavandi pallas et corporalia.

Ordo *Diaconatus* tradit potestatem in missa solemni et in aliis sacris functionibus sacerdoti immediate ministrandi et solemniter cantandi evangelium. Potestas autem haec ministrandi se extendit etiam ad administrationem baptismi solemnis et sacrae communionis ex commissione tamen parochi in gravi necessitate, et potestas publice cantandi evangelium se extendit etiam ad potestatem praedicandi ex commissione episcopi.

Ordo *Presbyteratus* tradit potestatem in corpus Christi reale seu potestatem consecrandi, et in corpus Christi mysticum seu remittendi retinendique peccata et populum fidelem pascendi i. e. reliqua sacramenta administrandi, doctrinam christianam tradendi et populo benedicendi.

Ordo *Episcopatus* potestatem sacerdotalem perficit et complet, eo quod tradit potestatem confirmandi, ordinandi, regendi populum fidelem et consecrandi res ad divinum cultum pertinentes.

Quaestio secunda.

De materia et forma ordinis.

216. *Quoad ordines minores.* 1. Ordines minores sola traditione instrumentorum conferuntur. Hinc ut ordines minores valide conferantur, episcopus ordinando instrumenta tradere et ordinandus ea accipere et tangere debet. *Materia* igitur *remota* instrumenta sunt; materia *proxima* eorum traditio.

2. Notandum est magnum discrimen, quod inter ordines intercedit, qui sunt sacramentum, et eos, qui sacramentum non sunt. Hi enim sunt institutionis ecclesiasticae, ideoque summi pontificis est, formam et modum determinare, quo hi ordines conferri debeant. Potest igitur ipse ritum, si voluerit, immutare et potest defectus, si qui in ordinatione acciderint, sua voluntate supplere et sanare; quocirca necesse non est, ut in ipsa ordinatione tutiora eligantur, sed satis est, ut probabilia sequamur: etenim si reipsa aliquis defectus occurrit, ecclesia illum supplet, ut adeo ordinatio certo valida sit. In collatione autem illorum ordinum, qui sunt sacramenta, tutiora sequi omnino debemus: defectus enim, qui eiusmodi ordinem redderet invalidum, ab ecclesia suppleri aut post factum sanari non potest.

3. Licet ordines minores et probabiliter etiam subdiaconatus non sint sacramenta, tamen ipsi quoque materia et forma constare dicuntur et ad modum aliorum ordinum, qui sacramenta sunt, conferuntur, quia cum his analogam quandam similitudinem exhibent. Eorum autem materia et forma certo consistit in iis rebus et verbis, quae a summo pontifice pro collatione illorum ordinum in pontificali praescribuntur: cum enim s. pontificis sit illa determinare et cum certum sit ipsum pro singulis ordinibus illam materiam et formam determinasse, quae

in pontificali praescribitur, de hac re non potest esse dubium [1]).

In *Ostiariatu* materia proxima est traditio clavium ecclesiae, quas singuli tangere debent manu dextera, dum pontifex dicit: *Sic agite* etc. Si desint claves ecclesiae vel oratorii „qualicunque clave" ordinans uti potest [2]).

In *Lectoratu* materia proxima est traditio libri lectionum, quem singuli manu dextera tangunt, pontifice dicente: *Accipite et estote* etc. Si loco missalis traderentur biblia aut breviarium, ordinatio valida et licita foret.

In *Exorcistatu* materia proxima est traditio libri exorcismorum, quem singuli manu dextera tangunt pontifice dicente: *Accipite et commendate* etc. Loco libri exorcismorum adhiberi potest pontificale aut missale.

In *Acolythatu* materia proxima est *a.* traditio candelabri cum candela extincta, quod singuli manu dextera tangunt pontifice dicente: *Accipite ceroferarium* etc. *b.* traditio urceoli vacui, quem singuli eodem modo tangunt, dum pontifex dicit: *Accipite urceolum* etc.

217. *Quoad ordines maiores.* 1. Quaenam sit singulorum ordinum materia et forma, non potest certo determinari; controversia autem, quae de hac re a dogmaticis agitatur, pro praxi minoris est momenti, cum in id intendere debeamus, ut ordines certo valide conferantur et suscipiantur. Ideo in his ordinibus ubique probabiliora et tutiora sequi debemus, tum ne sacramentum exponatur periculo nullitatis, tum ut servetur praeceptum ecclesiae, quae omnes hos ritus sub gravi adhibendos praescribit.

2. Subdiaconatus sola instrumentorum traditione et episcopatus sola manuum impositione confertur; in diaconatu et presbyteratu utrumque occurrit: traditio instrumentorum et impositio manuum. An vero utraque materia de essentia sacramenti requiratur, controversum est.

---

[1]) Cf. *Lehmkuhl* n. 586. cuius animadversiones omnino dignae sunt, quae attente legantur.

[2]) S. Congr. de Prop. fide 23. mart. 1844.

Solam manuum impositionem materiam essentialem esse, suadetur *a.* quia episcopatus eâ solâ confertur; *b.* quia ecclesia graeca in his ordinibus sola manuum impositione utitur; *c.* quia ipsa ecclesia romana per plura saecula hanc solam adhibuit. Ut tamen certo valida sit ordinatio, utraque adhiberi debet.

3. *Forma* in subdiaconatu certo sunt verba, quae ab episcopo in traditione instrumentorum et in episcopatu verba, quae in manuum impositione proferuntur; in diaconatu autem et presbyteratu sunt verba, quae in manuum impositione, et si instrumenta ad materiam essentialem pertinent, etiam verba, quae in eorum traditione recitantur.

In *Subdiaconatu* materia proxima est *a.* traditio calicis vacui cum patena vacua superposita, quem singuli manu dextera tangunt dum pontifex dicit: *Videte* etc. *b.* traditio libri epistolarum (missalis), quem singuli eodem modo tangunt pontifice dicente: *Accipite librum* etc.

In *Diaconatu* materia proxima duplex est: *a.* impositio manus dexterae episcopi super caput cuiuslibet ordinandi cum hac forma: *Accipe Spiritum s.* etc. *b.* traditio libri evangeliorum (missalis, bibliorum), quem singuli manu dextera tangunt pontifice dicente: *Accipite potestatem* etc. Prior certe essentialis est et multo probabilius ipsa sola essentialis est.

In *Presbyteratu* materia proxima duplex est: *a. impositio manus.* Tres autem in ordinatione presbyteri occurrunt manuum impositiones: *α.* prima est, qua episcopus utramque manum extendit super cuiuslibet ordinandi caput nihil dicens; *β.* secunda est, qua episcopus (una cum presbyteris) tenet dexteram super ordinandos extensam dicens: *Oremus fratres charissimi* etc.; *γ.* tertia est, qua post communionem utramque manum singulorum capiti imponit dicens: *Accipe Spiritum s.* etc. Harum impositionum an una solum vel altera et quaenam, an vero omnes ad essentiam sacramenti necessariae sint, dubium est. *b. Traditio calicis* cum vino et aqua et *patenae* superpositae

cum hostia dum pontifex dicit: *Accipe potestatem offerendi* etc.

In *Episcopatu* materia proxima est impositio manuum consecrantis et assistentium, qui caput consecrandi tangunt dicentes: *Accipe Spiritum sanctum.*

218. *Ut ordinatio rite fiat, plura insuper observanda sunt.*

1. Manus impositio super caput ordinandi *tactu corporali* fieri debet; et si manus episcopi caput ordinandi physice non tangit, impositio cum tactu corporali suppleri debet, ita ut simul verba rursus proferantur [1]).

2. Si facta prima manuum impositione dextera nec ab episcopo nec a sacerdotibus extenditur, dum episcopus orationem *Oremus fratres* pronuntiat, ordinatio valida est et nihil suppleri debet, modo post primam impositionem extensio dexterae facta sit et solum inter orationem cessaverit; at ordinatio probabiliter est invalida et ideo sub conditione iteranda, si post primam impositionem extensio manus (ergo secunda impositio) ab episcopo prorsus omissa fuerit [2]).

3. Secundum usum romanum, quem servandum S. C. R. decrevit, manus dexterae extensio facienda est statim ac singuli primam impositionem peregerunt, non ab omnibus simul, quando omnes primam impositionem compleverunt; et haec manuum extensio desinit desinente oratione *Oremus fratres* [3]).

4. Qui tangit patenam tantum, non autem calicem, probabiliter invalide ordinatus est, quare ordinatio ex integro sub conditione iterari debet; et idem dicendum est, si quis solum calicem tangit, sed non patenam.

5. Qui tangit hostiam, non autem patenam, valide ordinatus est: nam per hostiam mediate tangit etiam patenam; et qui tangit calicem et patenam non autem hostiam, pa-

---

[1]) S. Offic. 19. aug. 1852.
[2]) S. Offic. 16. sept. 1877. S. Poenitent. 31. mart. 1888.
[3]) S. C. R. 31. aug. 1872; 18. febr. 1843.

riter valide est ordinatus, quia non requiritur, ut hostia immediate tangatur, sicut nec vinum immediate tangitur.

6. Tactus instrumentorum probabiliter debet esse *physicus*, sed sufficit, ut una manu fiat, et fieri etiam potest medio aliquo velo aut chirotheca: vere enim tangere dicitur, qui sic mediate rem tangit.

7. In ordinatione subdiaconi et presbyteri calix et patena tum ex necessitate praecepti tum ex necessitate sacramenti *consecrata* esse debent[1]).

8. In subdiaconatu plures (duo vel tres) simul instrumenta tangere possunt, dum episcopus formam profert in numero plurali; in presbyteratu autem calix cuilibet trandendus et forma in numero singulari proferenda est.

9. Si in ordinatione non traditur aut non tangitur liber, non est iteranda ordinatio, sed defectus per episcopum suppleri debet.

10. Tres isti ritus: *a.* unctio manuum, *b.* traditio vestimentorum et *c.* recitatio canonis una cum episcopo essentiales quidem non sunt, attamen adeo necessarii et sub gravi praecepti, ut si in ordinatione omissi fuerint, postea suppleri debeant.

Sapienter monet *Busenbaum* ex Diana: „etiamsi quis timeat, ne invalide ordinatus sit aut non recordetur, se tetigisse sacra vasa, aut non tetigisse imaginetur, non illico iterandum esse ordinem, cum sola oblivio vel timor non sufficiat ad prudens et rationabile dubium vel probabilitatem." Et haec est ratio, ob quam S. R. C. (3. dec. 1661) ad scrupulum fr. Ephrem, se nempe non tetigisse

[1]) Hanc doctrinam, quam *Bucceroni* (n. 9.) cum aliis proponit, serio impugnat *Ballerini-Palmieri* (n. 29.) advertens *a.* Pontificale nullibi calicem consecratum postulare ideoque necessitatem praecepti non existere; *b.* rationem internam efficacem non esse: sane calicem, aiunt, non consecratum non esse ad sacrificium missae deputatum; ergo nec eius traditionem ad sacrificium referri posse. Atqui, reponit, calix et patena in ordinatione tradita partem symboli agunt; ad symbolicam autem repraesentationem etiam vasa non consecrata sufficiunt.

tactu physico calicem in sua ordinatione ad presbyteratum, respondit, eum „posse continuare celebrationem."

Quaestio tertia.

De ministro ordinis.

219. *Minister ordinarius* sacramenti *ordinis* est solus episcopus consecratus [1]).

1. Sacerdos simplex *a.* nunquam potest presbyteratum valide conferre, neque de licentia summi pontificis; tonsuram vero et ordines minores de licentia pontificis valide conferre potest. Quare *minister extraordinarius* quoad ordines minores ex commissione summi pontificis potest esse quilibet sacerdos. *b.* Quoad subdiaconatum et diaconatum controversia est. Dicendum videtur, s. pontificem posse sacerdoti potestatem facere valide conferendi subdiaconatum, qui probabiliter non est sacramentum, sed institutionis ecclesiasticae et antiquitus reapse ad ordines minores numerabatur; at non posse facultatem concedere valide conferendi diaconatum; et de facto ecclesia id sacerdotibus non committit [2]). Haec confirmantur auctoritate *s. Thomae* docentis, s. pontificem posse sacerdoti potestatem facere conferendi ordinem, cuius ministerium non habet immediatam relationem ad corpus Christi; atqui munus subdiaconi talem relationem non habet, bene vero munus diaconi, qui eucharistiam deferre et ministrare potest.

---

[1]) Conc. Trid. sess. 23. can. 7.

[2]) De privilegio, quod Innocentius VIII. concessisse dicitur Abbatibus ordinis cisterciensis, conferendi suis religiosis subdiaconatum et diaconatum et quod nuper demonstratum est genuinum, notat *Ballerini-Palmieri* n. 38.: cum factum sit singulare, nihil prohibet, quominus dicatur, s. pontificem in hac re secutum esse opinionem probabilem, quae falsa esse potest.

2. Episcopus electus et confirmatus potest quidem licentiam facere subditis suis, ut ab alio episcopo ordinentur, at ipse eos ordinare non potest, nisi *consecratus* sit. Episcopus consecratus autem semper valide ordinare potest, etiamsi degradatus sit aut episcopatum renuntiaverit.

3. Episcopus est minister ordinarius etiam *ordinis episcopalis*, etsi ad hunc (non quidem valide sed licite) conferendum indigeat assistentia aliorum saltem duorum episcoporum vel presbyterorum ex dispensatione s. pontificis.

4. Abbates potestatem ordinariam habent tonsuram et ordines minores valide conferendi; licite autem eos conferre non possunt nisi suis subditis et probabiliter etiam novitiis.

220. Etsi quilibet episcopus valide ordinare possit, ad *licite* tamen conferendos ordines aut etiam primam tonsuram requiritur, ut *episcopus sit proprius* ordinandi vel alienus cum proprii licentia. Ex quadruplici autem titulo episcopus potest esse proprius alicuius ordinandi seu ex quadruplici titulo ordinandus quoad ordines potest esse subditus alicuius episcopi: ratione originis, ratione domicilii, ratione beneficii et ratione familiaritatis.

1. Subditus episcopi *ratione originis* est, qui in eius dioecesi natus est, non fortuito sed dum pater ibi domicilium haberet. Qui fortuito in aliqua dioecesi natus est, occasione itineris aut alterius temporariae morae etsi diuturnae patris in illo loco, ordinari debet ab episcopo loci, ubi tunc pater domicilium habebat, et si nullum domicilium tunc temporis habebat, ubi pater natus est. Episcopus igitur domicilii vel originis patris est episcopus originis filii, qui casu in aliqua dioecesi natus est, nisi postea pater ibi, ubi fortuito natus est filius, domicilium acquisierit: in hoc enim casu istius episcopus est episcopus proprius filii ratione originis.

2. Subditus episcopi *ratione domicilii* est, qui per decennium in dioecesi habitavit cum animo perpetuo ibi manendi, vel qui per notabile tempus ibi habitavit cum

animo perpetuo ibi manendi, si aedes ibi construxit (vel conduxit) et maiorem partem bonorum transportavit[1]. Pro utroque casu insuper requiritur iuramentum de animo vero ibi perpetuo manendi; attamen hunc animum etiam ille habere censetur, qui ita comparatus sit, ut casu improviso id exigente alio migrare velit. Et si quis duo domicilia in diversis dioecesibus habet, ab utroque episcopo ordinari potest, quia non est maior ratio de uno quam de altero.

3. Subditus episcopi *ratione beneficii* non est, qui in dioecesi benificium statim post ordinationem est accepturus, aut qui a patrono ad beneficium iam est praesentatus vel nominatus, sed ille solum, qui in aliena dioecesi iam possidet beneficium, quod de se sufficiens est ad congruam sustentationem absque alio supplemento e. g. patrimonii. Et qui habet plura beneficia in diversis dioecesibus, in singulis ordinari potest.

4. Subditus episcopi *ratione familiaritatis* est, quem episcopus secum in suo actuali servitio habens per triennium aluit; tenetur autem episcopus intra mensem a die ordinationis ei beneficium conferre, quod de se sufficiens sit ad congruam sustentationem. Quod nonnulli auctores affirmant: si ordinandus beneficium in alia dioecesi aut patrimonium habet, cessare obligationem conferendi ei beneficium, quia ratio illius obligationis est, ut ordinandus cessante familiaritate habeat, unde vivere possit — hoc, inquam, non videtur amplius sustineri posse[2].

Notandum est: *a.* ordinandum, qui plurium episcoporum subditus est, posse inter ipsos eligere, quem velit, ut ab eo ordinetur; *b.* eum posse in quolibet ordine alium episcopum adire: ergo uno ordine ordinatus ab episcopo originis potest alium ordinem suscipere ab episcopo domicilii et tertium ab episcopo beneficii: singulorum enim est verus subditus.

---

[1]) Notabile tempus secundum alios est triennium, secundum alios est tempus iudicio episcopi designandum.

[2]) S. C. C. 27. iul. 1697. Cf. *Ballerini-Palmieri* n. 40.

5. *An episcopus suos subditos ordinare possit in aliena dioecesi.* *a.* Episcopus non potest suis subditis licite conferre ordines extra dioecesim nisi de licentia ordinarii loci, quia ex prohibitione concilii trident. non licet episcopis pontificalia exercere nec ordines conferre in aliena dioecesi sine expresso consensu ordinarii loci [1]. *b.* Potest autem suis subditis extra dioecesim tonsuram conferre, quia tonsura non est ordo et quia privatim conferri potest sine pontificalibus ideoque a tridentino in aliena dioecesi non prohibetur [2].

221. *De requisitis ad ordines licite conferendos.* Ut ordines licite ab episcopo conferantur, praeter alia inferius indicanda haec requiruntur:

1. *Ne ordinatio fiat per saltum* i. e. ne ordo superior conferatur nondum collato inferiori. Excepto episcopatu alii ordines praetermissis inferioribus collati validi sunt, quia singuli in se completi sunt et effectum independenter ab aliis producunt; episcopatus autem ante sacerdotium collatus nullus est.

2. *Ne duo ordines eodem die conferantur.* Concilium trident. solum prohibet, ne duo ordines *sacri* eodem die conferantur [3]; ex iure prohibetur etiam, ne ordines minores una cum subdiaconatu eodem die conferantur [4]. Prohibitio tonsuram et minores ordines eodem die conferendi, si unquam exstitit, per contrariam consuetudinem in plerisque regionibus sublata est.

3. *Ut serventur interstitia.* Legem interstitiorum habemus a concilio tridentino [5]. *a.* Interstitia servanda sunt etiam inter minores ordines; sufficit autem aliquod temporis intervallum. Verum lex ista non obligat sub gravi;

---

[1]) Sess. 6. c. 5.

[2]) Theoretice quidem haec resolutio non ab omnibus admittitur e. g. a Schmalzgruber, Sanchez; practice autem difficultatem non habet, quia *s. Alphonsus* (n. 756.) ut probabiliori ei accedit.

[3]) Sess. 23. de reform. c. 13.

[4]) Cf. *S. Alphons.* n. 797.

[5]) Sess. 23. de reform. c. 11. 13. 14.

quocirca ex qualibet rationabili causa simul conferri possunt; imo in plerisque locis consuetudo obtinuit, ut una cum tonsura eodem die conferrentur.

b. Inter *minores et subdiaconatum* servanda sunt interstitia *unius anni,* „nisi necessitas aut utilitas ecclesiae iudicio episcopi aliud exposcat"; inter *subdiaconatum et diaconatum* pariter interstitia *unius anni,* „nisi aliud episcopo videatur"; et inter *diaconatum et presbyteratum* etiam interstitia *unius anni,* „nisi ob ecclesiae utilitatem ac necessitatem aliud episcopo videretur."

c. Episcopis igitur simul conceditur facultas dispensandi ab interstitiis, qui nunquam quidem sine causa in lege superioris dispensare possunt; at ex tridentino patet, minorem causam sufficere, ut ab interstitiis inter subdiaconatum et diaconatum dispensari possit, maiorem vero requiri pro dispensatione inter acolythatum et subdiaconatum vel inter diaconatum et presbyteratum.

4. *Ut ordines debito tempore conferantur.*

a. Tempora ordinationis pro ordinibus *sacris* in iure statuta sunt: Sabbata quatuor temporum, Sabbatum *Sitientes* (ante dominicam passionis) et sabbatum sanctum.

b. Ordines *minores* conferri possunt diebus dominicis et festis de praecepto etiam abrogatis, et ex consuetudine feria quarta et sexta quatuor temporum.

c. *Prima tonsura* ex pontificali romano quovis tempore, quavis die et hora conferri potest.

d. *Episcopatus* conferri potest qualibet die dominica, in natalitiis apostolorum vel aliis festis de praecepto.

e. Facultas, quae episcopis saepe conceditur ordinandi *extra tempora,* scilicet conferendi ordines sacros extra tempora a iure statuta, non est indultum ordinandi diebus dominicis et festis ritus duplicis, sed ex pluribus declarationibus S. R. C. solum est indultum ordinandi diebus dominicis et festis de praecepto etiam abrogatis[1]). Legitima consuetudine autem in pluribus germaniae locis introductum

---

[1]) Cf. decreta apud *Ballerini-Palmieri* n. 53.

est, ut ordines etiam aliis festis duplicibus conferrentur, quae non sunt de praecepto.

5. *Ut in loco debito conferantur.*

a. Ordines *sacri* intra missam in ecclesia cathedrali vel in alia digniori ecclesia conferendi sunt; si tamen ordinatio non est generalis, sed paucorum, etiam in sacello privato fieri potest.

b. Ordines *minores* in qualibet ecclesia vel in oratorio conferri possunt, etiam extra missam, sed tamen ante meridiem, dum prima tonsura qualibet hora etiam vespere conferri potest.

Quaestio quarta.

De subiecto ordinis.

222. Subiectum ordinationis est omnis et solus mas baptizatus, etiamsi ad usum rationis nondum pervenerit. Constat ex institutione Christi, qui solis viris ordines conferri voluit.

a. Puer ante usum rationis valide ordinatur: infans enim capax est illorum sacramentorum, quae non exigunt conditionem, quam ipse praestare nequit, ut poenitentia et matrimonium; atqui ordo nullum actum a suscipiente ponendum exigit. Eiusmodi autem puero ordinato post sufficientem usum rationis optio datur, vel ministrandi in ordine suscepto vel transeundi ad vota saecularia, et electione facta demum tenetur obligationes ordinis suscepti implere atque in eo perseverare.

b. Ergo incapax ordinis, et quidem iure divino, si ordo est institutionis divinae, et iure ecclesiastico, si ordo est institutionis ecclesiasticae, est femina et non baptizatus.

c. Ad *valide* igitur suscipiendos ordines requiritur et sufficit: *a.* ut ordinandus sit mas; *b.* ut sit baptizatus; *c.* ut habeat intentionem saltem habitualem suscipiendi ordinem, si est adultus.

223. Ad *licite* suscipiendos ordines plures conditiones requiruntur:

1. *Ut ordinandus sit in statu gratiae:* cum enim ordo sit sacramentum vivorum, supponit gratiam primam. Ad ordines igitur, qui non sunt sacramenta sed solum sacramentalia, licite suscipiendos status gratiae per se non requiritur, ut adeo (saltem graviter) non peccet, qui in statu peccati ad eiusmodi ordinationem accedat; ratione eucharistiae vero, quae in ordinatione suscipi solet, status gratiae omnino requiritur.

2. *Ut sit immunis a censura et irregularitate,* de quibus alibi dicitur.

3. *Ut habeat animum clericandi.* Animus clericandi est voluntas Deo serviendi per exercitium illorum officiorum, quae tonsurae vel ordinum propria sunt: qui enim aliquem statum ingreditur, ut recte agat, id velle et intendere debet, ad quod status natura sua ordinatus est; cum igitur status clericalis in illum finem destinatus sit, animum clericandi habeat oportet, qui ordines suscipit.

a. Qui aliquem ordinem suscipit, *quin intendat ascendere ad superiorem,* non peccat: cum enim quilibet ordo proprium suum officium habeat, in cuius exercitio ordinatus Deo et ecclesiae servire potest, per se non requiritur, ut altiorem insuper suscipiat. Et pariter nulla existit lex ecclesiastica, quae id praecipiat.

b. Qui tonsuram et minores ordines suscipit sine animo clericandi i. e. quin Deo et ecclesiae in statu clericali servire velit, venialiter peccat, et si id facit ex iusta causa e. g. ut ad tempus beneficio frui possit, quod postea dimittere intendit, non peccat, dummodo obligationes suas impleat, quamdiu beneficium obtinet [1]).

c. Qui post susceptos ordines minores *uxorem ducit,* non peccat, si id faciat ex iusta causa; eiusmodi causa autem vix unquam deerit in eo, qui ex defectu vocationis statum clericalem deserit. Quod si revera non adsit causa iusta ducendi uxorem, eo ipso quod est clericus, qui eandem ducit, certo non peccat nisi venialiter.

---

[1]) Cf. *Ballerini-Palmieri* n. 77.

4. *Ut sit confirmatus:* nam concilium trident. ait: „prima tonsura non initientur, qui sacramentum confirmationis non susceperint“ [1]). Certum est, confirmationem non requiri de necessitate sacramenti; imo communiter affirmant auctores (*s. Alphons.* n. 786) neque de necessitate praecepti, sed solum ex quadam decentia: quapropter nonnisi leviter peccaret, qui absque confirmatione ad primam tonsuram vel ad ordines promoveretur.

5. *Ut habeat litteras dimissorias,* si ex iusta causa ab alieno episcopo ordinatur. *Litterae dimissoriae* dicuntur, quibus datur licentia accipiendi tonsuram vel ordinem ab alieno episcopo.

a. Ex tridentino [2]) episcopus tenetur per se ipsum sub ditis suis ordines conferre; ex iusta causa tamen potest eos ad alium episcopum dimittere. Et quamvis tridentinum solam aegritudinis causam memoret, potest tamen intelligi quaevis similis causa ut absentia episcopi vel ordinandi.

b. Ut episcopus alienum subditum licite ordinare possit, is licentiam a proprio episcopo per litteras dimissorias habere debet; et si absque dimissoriis ordinatur, etiam ad primam tonsuram tantum, uterque graviter peccat et poenam suspensionis incurrit, ordinans quidem per annum a collatione ordinum et ordinatus ab exercitio ordinis sic suscepti, quamdiu ordinario videbitur.

c. Licentia haec etiam sine scripto concedi potest; litterae dimissoriae autem non valent in indefinitum, quia interim impedimentum canonicum oriri aut mutatio morum ordinandi accidere potest; attamen dimissoriae indefinite concessae non expirant morte concedentis, quia sunt gratia facta.

d. Cum facultate ordinandi censetur quidem alieno episcopo simul facta potestas confirmandi ordinandum, at non censetur simul collata facultas dispensandi cum eodem

[1]) Sess. 23. c. 4. de reform.
[2]) Sess. 23. c. 3. de reform.

in irregularitate aut alio impedimento, a quo episcopus proprius ordinandi dispensare posset.

6. *Ut scientiam ordini suscipiendo congruam habeat.* De qua quidem scientia episcopus per examen vel a se vel cum eius delegatione ab alio institutum se debet certiorem reddere, nisi de ordinandi scientia aliunde notitiam habeat.

a. Ordinandos ab alio episcopo sive a praelato regulari missos episcopus ordinans examinare *potest,* etsi ab episcopo vel praelato proprio iam examinati et idonei reperti fuerint.

b. Quaenam scientia pro singulis ordinibus, utpote eisdem conveniens, requiratur, docet concilium trid. sess. 23. c. 4—15.

7. *Ut titulum habeat,* si *sacros* ordines suscipit. Titulus est provisio de sustentatione honesta ordinati in sacris. Episcopus, qui ordinat vel litteras dimissoriales concedit sine titulo, ipse tenetur ordinatum alere, donec titulum obtinuerit. Si cui post susceptum subdiaconatum titulus pereat, non potest altiorem ordinem suscipere, antequam novum titulum acquisierit.

Triplex isque diversus titulus in iure admittitur: *a.* titulus beneficii; *b.* titulus patrimonii; *c.* titulus religiosae paupertatis. Praeter hos ex indulto pontificio alii tituli admittuntur, de quibus consulendi sunt canonistae[1]).

8. *Ut in legitima aetate constitutus sit.*

a. Pro *prima tonsura* determinata aetas non praescribitur; potest ergo ei conferri, qui usum rationis obtinuit i. e. puero septenni.

b. Pro *ordinibus minoribus* pariter aetas in iure non determinatur; sed ex conditionibus pro his ordinibus requisitis determinanda est, scilicet decimus vel duodecimus annus, cum illae conditiones a puero decem aut duodecim annorum facile impleri possint.

c. Pro *subdiaconatu* a concilio trid. praescribitur annus 22. inceptus; pro *diaconatu* annus 23. inceptus; pro *pres-*

[1]) Cf. *Aichner,* Compendium iuris eccles. Ed. 7. p. 228. ss.

byteratu annus 25. inceptus; pro *episcopatu* tandem annus 30. completus.

9. *Ut, si opus sit, litteras testimoniales afferat.* Testimoniales sunt, quae testantur de natalibus, aetate, moribus et vita ordinandi, nullum scilicet adesse canonicum impedimentum, quominus ad ordines promoveri possit. Ordinandus, etiamsi a proprio episcopo ordinatur, habere debet litteras testimoniales ab episcopo illius loci, in quo tanto tempore moratus est, ut ibi canonicum impedimentum contrahere potuerit, et si ab alieno ordinatur, etiam testimoniales proprii ordinarii afferre debet [1]).

a. Qui igitur *saltem per trimestre* in aliena dioecesi commoratus est, indiget litteris testimonialibus episcopi illius loci: commoratio enim trium mensium sufficit, ut propter eam litterae testimoniales exigantur.

b. Litterae testimoniales ab ipso ordinario vel saltem eius nomine dari debent.

c. Litterae testimoniales etiam pro prima tonsura requiruntur.

d. Episcopus, qui proprium subditum ordinat sine testimonialibus, incurrit suspensionem per annum a collatione ordinum; eandem poenam incurrit episcopus, qui alienum subditum ordinat sine testimonialibus proprii episcopi. *Ordinatus* autem ab alieno episcopo sine testimonialibus sui episcopi, incurrit suspensionem ab exercitio ordinum susceptorum, quamdiu suo episcopo placuerit.

10. *Ut ordinem prius susceptum exercuerit;* haec tamen praescriptio concilii trid. non obligat sub gravi; quare ab episcopo facile dispensari potest [2]).

11. *Ut eucharistiam suscipiat;* ad quod, qui minores suscipiunt, non tenentur; qui ad ordinem sacrum promoventur, sub levi, sacerdotes vero, qui cum episcopo celebrant, sub gravi ad sumendam s. communionem obligantur.

---

[1]) Const. Innocentii XII. *Speculatores,* Pii IX. *Apostolicae sedis.* V. 4. C. C. 14. iul. 1894.

[2]) Sess. 23. c. 11. 13.

224. 1. Non recitare *preces, quae post ordinationem ab episcopo iniunguntur,* non videtur esse peccatum, cum de stricta obligatione sub peccato implenda non constet: alii enim docent, obligationem illas preces recitandi esse gravem, quia gravis est materia; alii eandem esse levem; alii tandem nullam esse, quia episcopus non intendit praeceptum imponere.

2. Verba illa pontificalis, quae in fine ordinationis ad subdiaconos et diaconos diriguntur: *dicite nocturnum talis diei,* intelligenda sunt de nocturno illius diei, quo habetur ordinatio, nisi episcopus alium expresse determinaverit. Dicendus est igitur unus *nocturnus ferialis,* si dies iste sit aliqua feria, vel *primus nocturnus* dominicae, si iste dies sit dominica. Nomine autem nocturni intelliguntur duodecim psalmi cum antiphonis, versiculis et lectionibus: haec enim nocturum constituunt; ad substantiam autem nocturni non pertinent, quae officio divino alias praemittuntur: Pater, Ave, Credo, ps. Venite et hymnus.

3. *Non dicere tres missas* ab episcopo neosacerdotibus impositas, pari ratione non videtur esse peccatum; illud certum est, neosacerdotes non teneri eas applicare ad intentionem episcopi neque ad intentionem ecclesiae, proindeque stipendium pro illis accipere posse, cum episcopus solam missae qualitatem, non autem applicationem iniungat. Neque prius dicendae sunt, quam adveniat dies, quo per rubricas missam votivam celebrare licet, et ex rationabili causa ulterius adhuc differri possunt. Si tamen interim occurrat festum, quo dicitur missa de Spiritu s. (e. g. pentecostes) aut de Beata, per missam festi officio conformem satisfit oneri ab episcopo iniuncto celebrandi missam de Spiritu s. aut de Beata.

Contrariam sententiam scilicet episcopum illarum missarum applicationem iniungere, tuentur nonnulli (Romsée, Bouvry, Hartmann, Schüch) insignes rubricistae magis quam theologi, quorum tamen argumenta nequeunt dici probabilia.

Valde tamen suadendum est, ut neosacerdotes tres missas istas applicent pro ecclesia et pro fidelibus defunctis: mens enim ecclesiae has missas iniungentis sine

dubio haec est, ut ordinati per easdem colant Spiritum s. et b. Virginem, eis gratias agant pro beneficiis acceptis, auxilium divinum implorent tum universae ecclesiae tum pontifici ordinanti tum sibimet ipsis ac tandem ut misericordiam exhibeant ecclesiae patienti, fidelibus scil. defunctis.

225. *De clerico habituato in peccato turpi,* qui proxime est sacris ordinibus initiandus, haec est doctrina *s. Alphonsi* l. 6. n. 63—77.

1. Exstat lex ecclesiastica tum ordinandum tum eius confessarium tum episcopum graviter obligans, quae prohibet, ne clericus in vitio turpi habituatus ad sacros ordines ascendat, nisi prius de facto se emendaverit.

2. Id valet non solum si de subdiaconatu, sed etiam si de diaconatu aut presbyteratu agitur, et non solum de peccato turpi, sed de quovis alio peccato (ebrietatis, odii, blasphemiae etc.), cuius consuetudinem contraxit.

3. Ideo graviter peccat non solum ordinandus, qui eiusmodi vitio laborans ad sacros ordines accedit, sed etiam confessarius, qui recedere nolentem absolvit, et episcopus, qui eundem promovet.

4. Ut absque peccato sacrum ordinem suscipere possit, requiritur, ut non quidem per annum, sed tamen per plures menses emendationem probaverit.

5. Si tamen ordinandus tam magna et extraordinaria compunctionis gratia donetur, ut haec emendationis securitatem praebeat, posset quidem sine temporis experientia absolvi et ad sacros ordines admitti, attamen etiam in hoc casu consultius est, invito licet poenitente, absolutionem differre, nisi forte timendum sit periculum infamiae.

Sunt tamen, quibus cum *Berardi* (Praxis conf. n. 5095 ss.) nimis rigida videtur haec s. Alphonsi doctrina. Ipsi imprimis negant, existere legem ecclesiasticam, quae ordinandum pravo habitu laborantem sub gravi obliget, ut a suscipiendis ordinibus sacris abstineat, nisi prius emendationem experientia probaverit. Quocirca etsi in eiusmodi casu valde suadenda sit emendatio experientia pro-

bata, attamen non existit obligatio gravis aut denegandae absolutionis aut differendae ordinationis prius quam experientia sit facta, modo serium adsit emendationis propositum, quod spem praebeat, fore ut servetur. Tandem censent discrimen esse faciendum inter clericum, qui cupit ascendere ad subdiaconatum et subdiaconum aut diaconum, qui cupit ascendere ad altiorem ordinem.

Verum qui ita loquuntur, non satis attendunt ad discrimen, quod intercedit inter poenitentem habituatum et clericum habituatum. Ut poenitens habituatus tuto absolvi possit, aliud non requiritur quam firmum propositum, non peccandi; sed vero ut clericus habituatus, qui mox ad sacros ordines ascendere cupit, tuto absolvi possit, requiritur spes probabilis et prudens futurae emendationis eiusque stabilis et duraturae. Clericus enim habituatus, qui hanc spem non praebet et nihilominus ad sacros ordines promoveri cupit, ad absolutionem recipiendam non est dispositus: qui enim in vitio turpi habituatus ad sacros ordines promovetur, proximo periculo se exponit plura sacrilegia committendi, quod quidem grave peccatum est. Atqui illud prudens iudicium futurae et constantis emendationis in habituato solum efformari potest aut ex experientia longioris temporis aut ex voluntatis mutatione extraordinaria. Insuper non est dispositus, qui sine debita qualitate vult promoveri ad sacros ordines; sed qui in vitio turpi habituatus est, caret requisita qualitate, cum debeat esse *probatae virtutis et castitatis.*

A. M. D. Gl.

Pro patribus societatis Jesu[1].

1. Sacerdos s. J. nec pro se nec pro aliis stipendium missae accipere potest; prohibet enim institutum, ne pro sacris ministeriis ullum stipendium admittatur. Attamen institutum non prohibet, quominus occasione ministerii peracti titulo eleemosynae aliquid accipiatur.

Si pecunia pro missis dicendis offeratur, ea admitti potest tamquam eleemosyna cum promissione dicendi ex gratitudine aliquas missas, modo offerens intelligat, pecuniam non pro missis, sed mere tamquam eleemosynam accipi, adeoque nec ipsum ius strictum ad missas, nec accipientem strictam obligationem habere eas dicendi.

2. Cum omnis dispositio circa bona temporalia sit contra votum paupertatis, illicita est quaevis conventio, qua sacerdos societatis circa stipendia missae quidquam disponat, etsi ipsa stipendia non recipiat.

a. Ergo non licet sacerdoti societatis e. g. dicere sacerdoti saeculari vel laico: *da stipendium huic pauperi et ego pro te dicam sacrum*. Offerenti autem pecuniam pro missis applicandis licet dicere: ego dicam sacrum et *rogo te*, ut pecuniam applicare velis ad hanc vel illam causam piam.

b. In vicem sacerdotis, qui ex fundatione vel ex stipendio celebrare debet, missam applicare sacerdoti societatis licet, modo de stipendio nihil curet: nam hoc modo non disponit de stipendio, cuius dominium iam habet sacerdos, qui illud acceperat, sed ex caritate solum satisfacit obligationi alterius.

3. *De obligatione dicendi missas (et preces) iniunctas.*

a. Non existit stricta obligatio applicandi missas ab instituto praescriptas, quia regulae non obligant per se sub peccato. Id valet etiam de missis, quae pro defunctis

---

[1]) Cf. *Lacroix* l. 4. n. 136. l. 6. p. 2. n. 146. *Gobat*, Theol. experiment. tr. 3. n. 156. *Bucceroni*, Theol. mor. II. n. 632 ss. *Oswald*, Commentarius n. 825.

sive ex constitutionibus sive ex regulis sive ex praescripto superioris iniunguntur, quod nempe, excluso speciali praecepto, aliam obligationem non inducant quam regulae.

Peccant autem superiores, qui ex negligentia non curant, ut designentur, qui missas celebrent vel preces dicant.

b. Non satisfacit regulae, qui missas iniunctas per alium legendas curat, quia hoc est onus personale.

c. Satisfacit regulae, qui alium rogat, ut hac die vel hac hebdomada vice sua celebret, ipse alio die vel alia hebdomada compensaturus.

d. Satisfacit regulae, qui praevidens impedimentum dicendi sacrum hebdomada sequenti, illud anticipat hebdomada praecedente.

e. Si missae affixae tempori, quae e. g. singulis hebdomadis vel mensibus dici debent, determinato tempore dictae non sunt ob legitimum impedimentum e. g. ob infirmitatem, suppleri non debent; si propter negligentiam, suppleri debent.

f. Si missa dicenda est in gratiarum actionem, fructus satisfactorius alteri applicari potest et vicissim, si missa dicenda est pro aliquo defuncto, alii fructus praeter satisfactorium aliter applicari possunt. Id colligitur tum ex declaratione *s. Francisci Borgiae* (1564), tum ex ratione, quia nempe obligatio praecepti non est extendenda ultra finem praecepti.

g. Sacerdotes societatis, qui pro stipendio celebrare possunt, sequentes missas, nisi praepositus generalis aliter statuerit, sine stipendio celebrare debent: *α.* singulis hebdomadis sacrum ad intentionem praepositi generalis; *β.* sacra omnia, quae pro defunctis nominatim indicuntur; *γ.* sacrum in commemoratione omnium defunctorum societatis; *δ.* sacra, quae pro re gravi quandoque imperant superiores.

Index.

Liber quintus. De poenitentia.

Liber sextus. De extrema unctione.

Liber septimus. De ordine.

QUAESTIONES MORALES

DE MATRIMONIO,

QUAS

PRIVATO AUDITORUM SUORUM USUI

ACCOMMODAVIT

H. NOLDIN, S. J.



OENIPONTE.

TYPIS FEL. RAUCH (C. PUSTET).

1895.

De Matrimonio.

Quaestio prima.

De natura matrimonii.

1. Matrimonium dupliciter considerari potest, secundum ius naturale seu *ut contractus* est, et secundum ius divinum seu *ut sacramentum* est. Ante Christi adventum et adhuc inter infideles matrimonium mere rationem contractus, post Christum autem inter christianos rationem contractus et sacramenti habet. Ex matrimonii natura eiusdem proprietates oriuntur et explicantur.

Articulus primus.

De matrimonio ut contractus est.

2. *Matrimonium* prout *contractus* est definitur consensus, quo vir et mulier de iure habiles mutuo sibi ius in corpora tradunt in ordine ad actum coniugalem.

1. Essentiale obiectum contractus matrimonialis est igitur ius et potestas in corpus, sed eatenus tantum, quatenus exercere potest actum ex se aptum ad generandam prolem. Scilicet distingui debet *a.* ius et potestas in alterius coniugis corpus quatenus aptum est ad actum generationis; *b.* ius utendi corpore ad actum coniugalem, quod

etiam dici potest ius petendi debitum coniugale; *c.* usus seu exercitium iuris per ipsum actum coniugalem; iam vero primum ad essentiale obiectum matrimonialis contractus pertinet; alterum vero et tertium ad eius essentiam non requiritur, ideoque salva matrimonii essentia ab obiecto contractus matrimonialis excludi potest.

Ad contrahendum matrimonium ex parte obiecti sufficit, ut exerceri possit actus ex se ad generationem aptus, etsi per accidens non sequatur generatio.

Quandoquidem ius in corpus suum quilibet coniugum alteri tradit, non solum contra castitatem, sed etiam contra iustitiam peccat, tum qui post initum matrimonium ipse abutitur corpore suo, tum qui alteri usum corporis sui concedit.

2. *Fines* matrimonii alii sunt essentiales et interni, alii accidentales et externi; essentiales iterum vel sunt primarii vel secundarii. Finis essentialis primarius est procreatio et educatio prolis; fines essentiales secundarii sunt mutuum vitae adiutorium et sedatio concupiscentiae[1]). Fines accidentales plures fingi possunt e. g. ad pacem familiarum conciliandam, ad honorem familiae conservandum, ad pacem inter consanguineos componendam. Non solum finium internorum quilibet, sed etiam quilibet finis externus, modo sit honestus, in contrahendo matrimonio licite intendi potest.

3. Triplex distinguitur *bonum essentiale matrimonii: a.* bonum *prolis,* quod in generatione et educatione prolis consistit; *b.* bonum *fidei*, quod in fidelitate seu in obligatione consistit, quam coniuges mutuo consensu suscipiunt, nulli alteri praeter legitimum coniugem usum corporis concedendi; *c.* bonum *sacramenti,* quod in indissolubilitate coniugii atque adeo in inseparabilitate coniugum consistit. Indissolubilitatem matrimonium natura sua quidem habet, quia tamen per sacramentum ea confirmatur, bonum sacramenti dici solet. Patet matrimonium con-

---

[1]) 1. Cor. 7, 2. 5. 9. *s. Alphons.* n. 882.

sistere posse, sine bono prolis et bono fidei, quatenus haec bona ad usum matrimonii et ad observationem fidelitatis pertinent; consistere autem non posse sine bono sacramenti et sine bono prolis et bono fidei, quatenus haec bona significant ipsum ius in corpus alterius coniugis et obligationem omnem alium praeter coniugem ab usu corporis excludendi.

3. *De consensu matrimoniali.* Contractus matrimonialis mutuo consensu perficitur; consensus autem easdem qualitates habere debet, quae ad contractum onerosum generatim requiruntur: debet esse *a.* verus; *b.* deliberatus; *c.* mutuus; *d.* de praesenti; *e.* signo sensibili expressus; quarum qualitatum si una desit, nullum est matrimonium.

1. *Verus* seu internus, non externus tantum, quo coniuges sibi mutuo tradere et acceptare volunt potestatem in corpus in ordine ad generationem prolis; sufficit autem consensus implicitus, modo nihil eorum excludatur, quae ad essentiam contractus matrimonialis pertinent. Quare ex defectu veri consensus nullum est matrimonium in sequentibus casibus:

a. Qui sive habitualiter sive actualiter i. e. eo tempore, quo matrimonium ineunt, *actus perfecte humani non sunt capaces,* nequeunt valide contrahere.

α. Infantes, perpetuo amentes et habitualiter semifatui, qui, etsi aliquem rationis usum habeant, non tamen ea deliberatione utuntur, quae ad peccatum mortale requiritur. Si tamen lucida intervalla habeant, in quibus actus perfecte humani capaces sunt, hoc tempore valide contrahere possunt.

β. Ebrii, semidormientes etc., qui ratione ebrietatis, somni etc. perfecto usu rationis carent; qui tamen aliqua monomania laborant valide matrimonium inire possunt, modo usus rationis non sit circa matrimonium turbatus.

b. Qui contrahunt *sub conditione, quae substantiae matrimonii adversatur,* invalide contrahunt: nequit enim consistere contractus matrimonialis, si deficit essentiale obiectum contractus; apposita autem tali conditione mutatur essentiale obiectum contractus matrimonialis.

α. Ergo nullum est matrimonium sub ea conditione initum, ut alterutri vel utrique coniugi liceat aliis usum corporis concedere: si te adul-

terandam tradas, quia haec conditio est contra *bonum fidei*. β. Nullum est matrimonium sub ea conditione initum, ut illud in aliquo eventu solubile sit: donec inveniam te ditiorem, quia haec conditio est contra *bonum sacramenti*[1]). γ. Nullum est matrimonium initum sub conditione frustrandi seu impediendi generationem sive absolute sive una alterave prolo suscepta, si generationem evites, quia haec conditio est contra *bonum prolis*[2]). δ. Nullum est matrimonium initum sub conditione abiiciendi vel occidendi prolem susceptam, quia etiam prolis educatio ad essentialem finem matrimonii atque ad essentiale *bonum prolis* pertinet.

At α. matrimonium nullum non est, si contrahatur sub conditione in matrimonio sive perpetuo sive una alterave prole suscepta servandi castitatem, quia haec conditio non est contra ius et potestatem essentialem, sed contra usum iuris seu contra ius utendi potestate tradita.

β. Matrimonium nullum non est, si contrahatur cum voluntate laedendi ius traditum aut non servandi obligationem susceptam: haec enim voluntas non adversatur essentiae matrimonii seu voluntati tradendi et acceptandi ius et suscipiendi obligationem.

γ. Matrimonium nullum non est, si contrahatur sub conditione educandi filios in haeresi aut in infidelitate: haec namque conditio est quidem contra bonum spirituale prolis; at non est contra illud bonum prolis, quod pertinet ad essentiale obiectum consensus matrimonialis.

---

[1]) Ex his tamen non sequitur, semper invalidum esse matrimonium eorum, qui contrahunt cum animo illud in certo eventu solvendi ut graeci schismatici, qui tenent propter adulterium solvi matrimonium, vel haeretici et infideles, qui putant matrimonium solubile esse. Sane invalidum est, si conditio matrimonium solvendi contractui matrimoniali expresse apponitur; invalidum autem non est, si haec conditio expresse non apponatur, etsi contrahentes putent, se inire matrimonium solubile. Hi enim in contrahendo duas intentiones habent, aliam contrahendi verum et validum matrimonium, et aliam contrahendi matrimonium solubile; haec autem secunda intentio per priorem utpote praevalentem destruitur, atque adeo valide contrahunt. Cum hac doctrina concordat praxis ecclesiae, quae acatholicorum matrimonia propter eiusmodi errorem nunquam habuit ut irrita et nulla.

[2]) Etsi omnes concedant, matrimonium esse nullum, si contrahentes conveniant de omnimoda frustratione generationis; sunt tamen, qui de nullitate matrimonii dubitent, ubi de partiali tantum frustratione conveniant una alterave prole suscepta; verum, ut videtur, immerito: nam essentiale obiectum contractus matrimonialis est ius et obligatio ad actum ex se ad generationem aptum idque perpetuum, hac autem conditione addita ius solum ad tempus conceditur et obligatio solum ad tempus suscipitur.

c. Qui ficte i. e. exterius tantum sine animo ineundi matrimonium contrahunt, invalide contrahunt, sive unus contrahentium sive uterque consensum fingat: deficiente enim consensu, etiam unius partis tantum, nullus est contractus.

α. Qui ficte contrahit (si christianus est), duplex peccatum committi: sacrilegii propter frustratum sacramentum et iniustitiae, quia aliam partem decipit eique gravissimum damnum infert: cum enim fictio in foro externo vix probari possit, altera pars non permittitur aliud matrimonium inire ideoque innupta manere debet.

β. Cum ficte contrahens teneatur reparare damnum alteri parti illatum, damnum autem raro alia via reparari possit, quam eam ducendo, ordinarie obligandus est, ad verum consensum praestandum, nisi alia pars in separationem consentiat, vel ipse ad contrahendum coactus fuerit.

2. *Deliberatus* i. e. positus cum plena mentis advertentia et perfecto voluntatis consensu, quia contractus matrimonialis gravem obligationem inducit; nemo autem censetur ultro gravem obligationem in se suscipere, nisi plene et perfecte consentiat.

3. *Mutuus* i. e. ab utraque parte positus: contractus enim matrimonialis est contractus onerosus, qui ex utraque parte obligationes imponit; nemo autem per contractum obligari potest, nisi ipse velit.

Non requiritur, ut contrahentium consensus sit hoc sensu *simultaneus,* ut eodem tempore eliciatur; sed sufficit, ut unius consensus adhuc perduret, quando alius consensum suum exhibet: maiorem enim simultatem et unionem quam hanc moralem nec ratio contractus nec ratio sacramenti exigit.

4. *De praesenti,* quo nempe contrahentes hic et nunc se accipiunt in veros coniuges: per consensum enim de futuro seu per promissionem matrimonii fiunt sponsalia, per consensum autem de praesenti fit matrimonium.

5. *Signo sensibili expressus:* ad validum enim matrimonium ineundum tum ratione contractus tum maxime ratione sacramenti (quod essentialiter in signo sensibili consistit) non sufficit consensus internus, sed requiritur externus, signo sensibili manifestatus.

Determinatum autem signum ad valorem nec iure naturae nec iure ecclesiastico praescribitur: quare omnes valide et, qui loquela carent, etiam licite contrahunt aliis

signis e. g. annuli traditione vel manus porrectione. Cum tamen verba sint signum aptissimum utpote prae aliis certum, ex usu et consuetudine ecclesiae non admittuntur alia signa praeter verba in iis, qui loquela instructi sunt.

a. Rubrica ritualis romani praecipientis, ut *verbis* consensus exprimatur, sub levi tantum obligat, quare ex rationabili causa e. g. ex magna verecundia consensus alio signo manifestari posset.

b. An taciturnitas sit signum sufficiens consensus. — Cum matrimonium sit res favorabilis, valet regula: qui tacet consentire videtur, modo etiam particularia adiuncta matrimonii sint favorabilia et mulier absque nimia difficultate contradicere possit.

4. Cum matrimonium natura sua sit contractus, de eo valet, quod de aliis contractibus valere demonstratur; itaque

1. Valet matrimonium initum *per procuratorem:* etsi enim ad validum matrimonium requiratur consensus proprius et personalis ipsorum contrahentium, hunc tamen consensum etiam per alium exhibere possunt. Licite autem solum ex gravi causa per procuratorum contrahi potest. Idem dicendum est de matrimonio *per litteras* inito.

2. De matrimonio *sub conditione inito*, quae non repugnat substantiae matrimonii, notandum est, nec naturam contractus nec rationem sacramenti per se impedire, quominus matrimonium sub conditione iniri possit; at matrimonia conditionata nonnisi ex urgentissima causa admittuntur. De ipsis autem conditionibus, quae opponi possent, haec tenenda sunt.

a. Conditiones *impossibiles* et *inhonestae* de futuro in iure pro non adiectis habentur[1]: praesumitur enim eas non esse serio accipiendas, quia matrimonium est res favorabilis; quodsi certo constaret, easdem serio adiectas esse, conditio quidem impossibilis matrimonium reddit nullum; conditio autem inhonesta efficit, ut matrimonium impleta conditione valeat, conditione autem non impleta invalidum sit: praesumtio enim cedit veritati.

---

[1]) C. fin. 7. de conditionib. apposit.

b. Si conditiones *possibiles et honestae de praeterito vel praesenti* adiectae sunt, valet matrimonium conditione verificata, conditione autem non verificata matrimonium est invalidum.

c. Si conditiones *possibiles et honestae de futuro* adiectae sunt, matrimonium suspenditur; si non impletur conditio, nullum est; impleta autem conditione validum fit, sive contrahentes sciant sive nesciant, conditionem impletam esse: impleta enim conditione matrimonium conditionatum eo ipso transit in absolutum. Attamen matrimonio uti coniuges solum possunt, postquam notitiam impletae conditionis acceperunt.

An impleta conditione de futuro requiratur novus consensus. — Certe requiritur novus consensus, si alterutra pars interim consensum revocavit; quodsi consensus revocatus non fuit, matrimonium impleta conditione fit validum, quin renovetur consensus: nulla enim est ratio de matrimonio aliud statuendi ac de aliis contractibus, quia Christus rationem contractus non immutavit, cum illum ad rationem sacramenti elevaret. Nihilominus suaderi potest, ut renovetur consensus.

5. Personae *de iure habiles* ad valide et licite contrahendum sunt vir et femina nullo impedimento dirimente aut impediente obstricti. Iam quaeritur, *an validum sit matrimonium, quando ignoratur, aut dubitatur aut falso putatur adesse impedimentum dirimens.*

1. Si reipsa adest impedimentum dirimens, etsi ignoratum ab uno vel ab utroque contrahentium, matrimonium est nullum, quaecunque sit ignorantia sive iuris sive facti: ignorantia enim excusat quidem a peccato contra legem prohibentem, at non potest efficere, ut actus sit validus contra legem irritantem.

2. Si reipsa nullum adest impedimentum, sed tamen unus vel uterque contrahentium dubitat aut suspicatur, inter ipsos forte aliquod impedimentum existere, matrimonium est validum: hi enim censentur consensum dare

sub conditione de praesenti: *si habilis sum*; quoniam autem conditio verificatur, consensus fit absolutus et validus.

3. Si unus vel uterque contrahentium certo sibi persuadet, adesse impedimentum dirimens, cum tamen nullum inter ipsos existat, alii affirmant, *nullum esse matrimonium*: nam non potest quis serio et efficaciter velle id, quod apprehendit esse impossibile; ergo nullus in hoc casu habetur verus consensus. Quod quidem concedendum erit in eo, qui de existentia impedimenti sibi videtur esse certus et simul eius vim irritantem probe cognoscit. Alii autem docent, matrimonium *esse validum:* nam in eiusmodi adiunctis contrahentes consentiunt, quantum possunt seu contrahere volunt, si possibile foret; reipsa autem matrimonium possibile est, ergo validum est. Quod quidem concedi poterit in eo, qui de existentia impedimenti non est omnino certus aut vim irritantem impedimenti non plane perspicit: in hoc enim casu fieri potest, ut non obstante persuasione de existentia impedimenti contrahat cum intentione *faciendi, quod potest*; et cum reipsa nullum adsit impedimentum, valide contrahit.

In praxi contrahentes diligenter examinandi sunt circa intentionem, qua contractum matrimonialem inierunt.

Articulus secundus.

De matrimonio ut sacramentum est.

6. Matrimonium ut *sacramentum* est, definiri potest contractus, quo vir et femina baptizati et de iure habiles mutuo sibi ius in corpora tradunt in ordine ad actum coniugalem et quo significatur et confertur gratia ex opere operato. Vel ad analogiam aliorum sacramentorum: matrimonium est sacramentum, quo per mutuam viri et mulieris traditionem et acceptationem potestatis in corpus confertur gratia ad eorum coniunctionem sanctificandam.

1. Quoniam contractus matrimonialis a sacramento non distinguitur, eadem est *materia et forma* sacramenti,

quae est materia et forma contractus. Materia *remota* sunt corpora contrahentium seu ius in corpora, quod contrahentes mutuo sibi tradunt; materia *proxima* est ipsa traditio mutua huius iuris signo sensibili expressa. *Forma* sacramenti est mutua iuris acceptatio signo sensibili expressa. Et quia traditio et acceptatio ordinarie per verba significantur, dici etiam potest, *verba*, quibus mutua traditio et acceptatio iuris exprimitur, constituere materiam et formam sacramenti; materiam quidem quatenus exprimunt iuris traditionem, formam vero quatenus exprimunt eiusdem acceptationem.

2. *Ministri* huius sacramenti sunt ipsi contrahentes: si enim sacramentum a contractu non differt, conficientes contractum iidem etiam sacramentum conficiunt. Quae quidem doctrina olim controversa hodie extra omne dubium posita est.

Nihilominus sacramentum suscipiunt tum fideles, qui ignorant, se esse ministros sacramenti, tum haereticos, qui non credunt matrimonium esse sacramentum, ideoque (explicite) non intendunt recipere aut conficere sacramentum. Et illi quidem, quia generalem intentionem habent faciendi, quod faciunt ceteri fideles dum matrimonium ineunt, atque adeo faciendi, quod facit ecclesia; haeretici vero, quia plerumque saltem generalem intentionem habent contrahendi ut christiani in ecclesia a Christo instituta contrahunt, quae intentio ad suscipiendum et conferendum sacramentum sufficit.

3. *Effectus* matrimonii *quatenus contractus* est alii sunt communes utrique coniugi, alii sunt singulis proprii.

a. Effectus *communes* sunt *α.* vinculum coniugale idque perpetuum, quod in mutuis iuribus et obligationibus consistit; *β.* legitimitas filiorum; *γ.* quaedam communio bonorum.

b. Effectus *pro marito*: *α.* potestas maritalis; *β.* potestas patria.

c. Effectus *pro uxore: α.* ius accipiendi a marito honestam sustentationem; *β.* fit particeps status, dignitatis, titulorum et privilegiorum mariti; *γ.* acquirit domicilium et sortitur forum mariti.

Effectus matrimonii quatenus *sacramentum est* sunt *a.* augmentum gratiae sanctificantis; *b.* ius ad gratias actuales statui coniugali necessarias scilicet ad mutuum amorem conservandum et perficiendum, ad fidem et castitatem coniugalem integre servandam, ad prolem bene educandam, ad onera matrimonii christiane ferenda.

7. *Contractus et sacramentum.* 1. Christus dominus contractui matrimoniali addidit rationem sacramenti, seu potius ipsum contractum matrimonialem elevavit ad dignitatem sacramenti: ratio enim sacramenti inest ipsi contractui, ut adeo sacramentum matrimonii non sit a contractu matrimoniali distinctum. Et hinc est, ut inter christianos nullo iure impeditos non possit haberi contractus matrimonialis, quin simul habeatur sacramentum matrimonii, et vicissim adesse non possit sacramentum, quin adsit etiam contractus[1]).

a. Matrimonium haereticorum et schismaticorum aut est sacramentum, aut non est validum matrimonium: inter christianos enim non datur matrimonium, quod non sit sacramentum.

b. Matrimonium ab infidelibus contractum fit sacramentum, quando ambo coniuges ad fidem convertuntur: cum enim nunc certum sit, inter fideles non esse verum matrimonium, quod non sit sacramentum, certum etiam esse debet, matrimonium infidelium transire in sacramentum, si ambo ad fidem convertuntur, idque in ipsa susceptione baptismi.

An si fidelis per pontificis dispensationem cum infideli contrahit, matrimonium sit sacramentum. — Quaestionem negat *Sanchez* cum multis aliis: contractus enim matrimonialis, qui elevatur ad sacramentum, unus est ab utroque contrahente effectus, quare ut esse possit sacramentum, uterque contrahens sacramenti capax esse debet, quemadmodum ut sit contractus, uterque ad contrahendum habilis esse debet. Nihilominus affirmantem sententiam tenent plures iique eximii theologi ut *Caietanus, Vega, Ferraris,* qui censent contractum in persona, quae est sacramenti capax, esse sacramentum, quia ex institutione Christi fidelis non potest contrahere, quin suscipiat sacramentum.

c. Si christiani contrahentes absolute nolunt sacramentum suscipere, neque validum matrimonium ineunt: qui enim non vult sacramentum, neque verum matrimonium velle potest. Quodsi verum matrimonium inire volunt, etiam sacramentum suscipiunt, licet sacramentum perficere nolint: qui enim ita contrahunt, de facto duas intentiones habent, aliam contrahendi

---

[1]) Cf. Syllab. Pii IX. prop. 66. 73. encycl. Leonis XIII. *Arcanum.*

verum matrimonium, aliam excludendi sacramentum; iam si prior intentio praevaleat, altera per eam destruitur. Prior autem intentio eo facilius praevalebit, quia contrahentes plerumque nesciunt, matrimonium et sacramentum indissolubili nexu invicem cohaerere.

d. Ergo etiam matrimonium initum inter absentes est verum sacramentum sicut est verus contractus. Quamobrem contrahens per procuratorem vel per epistolam curare debet, ut in statu gratiae sit eo tempore, quo perficitur contractus: eodem enim tempore recipit sacramentum.

2. Matrimonium sacramentum a contractu matrimoniali qualis inter infideles habetur, *differt significatione et firmitate.* Significatione quidem, quia matrimonium christianum propter mutuam coniugum unionem significat mirabilem unionem inter Christum et ecclesiam per incarnationem effectam; firmitate autem, quia matrimonium fidelium consummatum in nullo unquam casu dissolvi potest, dum econtra matrimonium etiam consummatum infidelium dissolvi potest. Imo ideo praecise firmius est matrimonium fidelium, quia plenius et perfectius repraesentat mirabilem et indissolubilem unionem Christi cum ecclesia: eo enim firmius est matrimonium, quo plenius et perfectius significat unionem Christi et ecclesiae, atqui matrimonium infidelium repraesentat quidem et ipsum hanc unionem, sed imperfecte tantum, tum quia nullam gratiam confert, tum quia non contrahitur ad conservandum et propagandum regnum Dei; matrimonium autem fidelium multo perfectius illam unionem exhibet, tum quia inservit ad conservandam et augendam ecclesiam, tum quia contrahentibus gratiam confert. Plenissimum vero et perfectissimum signum illius unionis per incarnationem effectae est matrimonium fidelium consummatum, qui ipsa consummatione fiunt una caro.

8. *Qua potestate, an ecclesiastica vel civili, regatur matrimonium.* — Matrimonium ipsum quoad valorem, liceitatem et effectus essentiales iure ecclesiastico, et solum quoad effectus civiles iure politico regitur. Quod quidem enucleatius exponendum est.

1. Auctoritas civilis efficere nequit, ut matrimonium christianum sit invalidum: nam quia contractus matri-

monialis inter fideles non ita est sacramentum, ut aliud sit sacramentum et aliud contractus, sed quia ipse contractus sacramentum est, ut adeo qui conficit contractum, conficiat sacramentum; potestas politica circa ipsum contractum matrimonialem nihil statuere potest. Ergo ad ecclesiam eamque solam spectat, impedimenta matrimonii dirimentia statuere, causas matrimoniales et sponsalium et divortii diiudicare et dirimere[1]); impedimenta autem dirimentia ab auctoritate civili statuta nunquam eam vim habere possunt, ut matrimonium vere constituant invalidum.

2. Auctoritas civilis efficere nequit, ut matrimonium christianum sit illicitum: nam circa rem sacram auctoritas civilis nullam prorsus potestatem habet; ergo neque circa liceitatem matrimonii quidquam statuere potest. Ergo ecclesia eaque sola impedimenta matrimonii impedientia statuit, quia a sola ecclesia fideles discere possunt, an et quando licite sacramentum suscipiant. Si ergo auctoritas civilis leges condat, quae certa matrimonia prohibeant, eas fideles per se in conscientia servare non tenentur.

Nihilominus legibus civilibus, quae certa matrimonia prohibent, fideles morem gerere non solum licite possunt, sed eis etiam commendandum est, ut servent conditiones, quas potestas politica ad validum vel licitum matrimonium praescribit; non quasi directe in conscientia illae obligent, sed ne eorum matrimonia careant effectibus civilibus in proprium et liberorum detrimentum; indirecte ergo ex caritate erga se ipsos et liberos suos eas leges servare tenentur.

3. Auctoritas civilis effectus civiles matrimonii propria potestate regere potest: cum enim contrahentes sint membra societatis civilis, eorum matrimonium etiam iura et obligationes civiles parit, quae effectus civiles nuncupari solent; iam circa hos effectus potestas civilis, eaque sola leges ferre potest.

a. Effectus matrimonii alii sunt essentiales, alii accidentales; essentiales sunt obligatio cohabitandi et legitimitas prolis, qui ideo essentiales dicuntur, quia ex ipso contractu matrimoniali necessario consequuntur. Porro hi effectus ad forum ecclesiae pertinent: qui enim de ipso matri-

[1]) Conc. trid. sess. 24. can. 4. 12.

monio iudicat, etiam de iis, quae necessario exinde sequuntur, iudicare debet. Effectus accidentales iique temporales, ad auctoritatem civilem pertinent.

b. Effectus civiles matrimonii seu iura et obligationes, quae iure proprio ad potestatem politicam pertinent, sunt *α.* contractus coniugum circa bona temporalia; *β.* ius uxoris et filiorum participandi in bonis, dignitatibus et titulis mariti vel patris; *γ.* ius succedendi tamquam heres legitimus in bona defuncti.

c. Leges politicae, quibus reguntur effectus civiles matrimonii, in conscientia obligant: sunt enim leges ab auctoritate competente in bonum commune latae; ergo nihil eis deest, quominus in conscientia obligent.

4. Auctoritas civilis potest, si bonum commune id exigat, quaedam matrimonia ex parte vel etiam ex toto effectibus civilibus privare; at non potest matrimonia privare effectibus, qui necessario ex valido matrimonio consequuntur.

Quaenam matrimonia valida sint, quaenam invalida, potestas politica discere debet ab ecclesia; iam vero matrimoniis, quae ecclesia habet pro validis, concedere, iis vero, quae ecclesia pro invalidis habet, negare tenetur effectus civiles. Quodsi tamen matrimonium, quod in facie ecclesiae validum est, bono communi vere adversaretur, potestas politica eiusmodi matrimonio effectus civiles negare potest, quin tamen de eius validitate aut de effectibus essentialibus quidquam statuere praesumat.

9. *De matrimonii divisionibus.* **Matrimonium dividitur:**

1. In matrimonium *in fieri* et matrimonium in *facto esse;* illud est ipse contractus matrimonialis, qui mutuo consensu viri et mulieris perficitur; hoc est vinculum coniugale, quod ex contractu matrimoniali inter coniuges oritur; consistit autem hoc vinculum in mutuis iuribus et obligationibus, quibus coniuges invicem adstringuntur.

2. In matrimonium legitimum, ratum et consummatum.

a. *Legitimum* est matrimonium rite initum inter personas de iure habiles, quod tamen rationem sacramenti non habet, quale nunc inter iudaeos et gentiles initur.

b. *Ratum* est matrimonium, quod rationem sacramenti habet, sed nondum copula carnali consummatum est, quale inter christianos nullo iure impeditos habetur. Dicitur *ratum,* quia ecclesia illud ratum habet et approbat.

c. *Consummatum* est matrimonium, quod actu ad generationem apto completur.

Patet matrimonium tum legitimum tum ratum consummatum esse posse. Ut matrimonium vere consummatum dici possit, requiritur α. ut copula carnalis sit perfecta i. e. ad generationem apta; β. ut ante copulam verum matrimonium adfuerit; hinc si duo ante matrimonium copulam habeant et deinde matrimonium contrahant, hoc ante novam copulam in ipso matrimonio peractam non dicitur consummatum.

3. Matrimonium verum, praesumtum putativum.

a. Verum, quod reipsa valide contractum et qua tale probatum est aliquo ex iis argumentis (e. g. testimonio parochi), quibus et cetera negotia probari solent.

b. Praesumtum, quod a iure praesumitur; nunc tamen matrimonium praesumtum nullum amplius existit.

Ante concilium tridentinum ad matrimonium validum mutuus contrahentium consensus sufficiens erat, id quod adhuc valet in locis, ubi decretum tridentinum circa matrimonia claudestina non viget. Iam consensus matrimonialis atque adeo matrimonium validum per praesumtionem iuris adesse censebatur in casu, quo inter duos sponsos post sponsalia inita copula carnalis haberetur. Haec autem praesumtio a s. pontifice mediante s. officio abrogata est.[1])

c. Putativum dicitur, quod legitime contractum existimatur, cum tamen reipsa ob latens aliquod impedimentum sit nullum.

Ut matrimonium putativum iuris effectus producat et praesertim ut proles in eo nata censeatur legitima, requiritur α. ut contrahatur bona fide saltem ab uno ex coniugibus, qui impedimentum ignoraverit; β. ut contrahatur publice et in facie ecclesiae i. e. coram parocho et duobus testibus et praemissis proclamationibus, nisi super his dispensatum fuerit.

4. In matrimonium canonicum et politicum: *canonicum* dicitur matrimonium, in quo omnia habentur, quae a iure ecclesiastico ad verum matrimonium requiruntur; *politicum* dicitur, in quo etiam ea habentur, quae a iure civili in matrimonio exiguntur; sine his matrimonium a potestate politica ut illegitimum habetur, ideoque effectibus civilibus caret.

5. Ad matrimonium canonicum referri solet tum matrimonium morganaticum tum matrimonium conscientiae.

a. Matrimonium *morganaticum* est matrimonium cum muliere inferioris conditionis ea lege initum, ut nec uxor

---

[1]) S. Offic. 15. febr. 1892.

nec liberi in dignitate, titulis et insignibus mariti aut patris neque in omnibus eius bonis succedant[1]).

b. Matrimonium *conscientiae* est matrimonium coram parocho et duobus testibus absque praeviis proclamationibus clam initum eo pacto, ut omnes ad secretum servandum teneantur.

Articulus tertius.

De proprietatibus matrimonii.

Duae sunt praecipuae matrimonii proprietates, eius nempe *unitas* atque *indissolubilitas.*

10. *De Unitate.* 1. Unitas matrimonii seu *monogania* in eo consistit, ut sit coniunctio unius viri cum una muliere. Unitati matrimonii opponitur *polygamia,* quae simultanea et successiva esse potest. Polygamia *simultanea* aut est *polyandria*, si una mulier plures maritos habet; aut *polygynaecia,* si unus vir plures simul mulieres habet.

2. *Polygamia simultanea* est contra legem naturae; quae unitatem matrimonii exigit; quare tum polyandria tum polygynaecia iuri naturae adversatur, sed diverso modo:

a. Polyandria ita est contra legem naturae, ut repugnet fini matrimonii primario scilicet generationi et educationi prolis; generationi quidem, quia mulier, ad quam plures viri accedunt, redditur sterilis, educationi autem, quia ignoratur pater susceptae prolis. Ideo ne Deus quidem ab hab lege dispensare potest.

b. Polygynaecia ita est contra legem naturae, ut repugnet fini matrimonii secundario, vitae consuetudini et mutuo adiutorio. Repugnat etiam legi positivae divinae: *omnis, qui dimittit uxorem suam et aliam ducit, moechatur*[2]*).* Ab hac lege Deus dispensare potest et reipsa dispensavit: post diluvium enim patriarchis et populo israelitico concessa fuit polygamia, quae concessio etiam ad gentiles extendebatur. Per Christum tamen, qui matrimonium primaevae integritati restituit, dispensatio haec etiam quoad infideles sublata est, ut adeo etiam inter infideles secundum matrimonium durante priore invalidum sit.

---

[1]) In eiusmodi casu tum uxori tum liberis donum nuptiale seu determinata portio bonorum tempore sponsalium addicitur; quod donum cum *Morgengabe* diceretur, inde per corruptionem *morganaticum* ortum est.

[2]) Luc. 16, 18. Cf. Conc. trid. sess. 24. can. 2.

3. *Polygamia successiva* tam viro quam mulieri etiam in nova lege permittitur: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit; quod si dormierit vir eius, libera est; cui vult nubat; tantum in Domino*[1].

11. *De indissolubilitate.* Matrimonium tum iure naturae tum lege positiva divina quoad vinculum solvi nequit. Perpetuitatem matrimonii potissimum exigit eiusdem finis essentialis, apta scilicet prolis educatio et mutuum adintorium.

Deus matrimonium initio instituit indissolubile; postea facta est quidem hebraeis potestas matrimonium in certis adiunctis solvendi; at Christus sublata hac dispensatione illud ad primaemam indissolubilitatem revocavit his verbis: *Itaque iam non sunt duo, sed una caro; quod ergo Deus coniunxit, homo non separet*[2]. Idem *Paulus* docet: *Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat*[3]. Attamen non omnia matrimonia eodem modo et gradu indissolubilia sunt: in triplici enim casu matrimonii vinculum solvi potest.

1. Matrimonium *fidelium ratum et consummatum* nunquam solvi potest nisi per mortem alterius coniugis; de hoc potissimum matrimonio docet *s. Paulus*: *mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit*[4]; nec ecclesia unquam hoc matrimonium quoad vinculum solvit, quia potestatem hoc matrimonium solvendi divinitus non accepit. Ratio autem interna tantae firmitatis est, quia hoc matrimonium est perfectum signum indissolubilis unionis Christi et ecclesiae.

Eadem indissolubilitas asserenda est etiam de matrimonio, quod per dispensationem summi pontificis a fideli cum infideli contrahitur[5].

---

[1]) 1. Cor. 7, 39.
[2]) Mt. 19, 6.
[3]) 1. Cor. 7, 10. 11.
[4]) 1. Cor. 7. 39.
[5]) S. Off. 1. aug. 1759. 4. iul. 1855.

2. Matrimonium *ratum et non consummatum* ex gravi causa solvi potest *per dispensationem* summi pontificis.

a. Duplex ergo conditio requiritur, ut matrimonium ratum et non consummatum solvi possit: *α.* ut constet illud non fuisse actu coniugali consummatum: *β.* ut adsit gravis causa, quae solutionem exigat. Hanc causam publicam esse debere, antiquitus theologi contendebant, ex hodierna autem praxi ecclesiae dispensatio haec etiam ex gravi causa boni privati conceditur.

b. Olim inter doctores acris controversia agitabatur, num summo pontifici divinitus collata sit haec potestas dispensandi; nunc vero de ea amplius dubitari nequit: nam *α.* ecclesia de facto saepius utitur hac potestate; atqui nedum temerarium, verum etiam impium foret, ecclesiae negare potestatem, qua ipsa utitur. *β.* Obligationes iuris divini, quarum existentia in particulari casu ab humana voluntate dependet, ecclesia quandoque per dispensationem solvere potest ut de votis et iuramentis constat.

3. Matrimonium *ratum et non consummatum* solvitur *per professionem solemnem* unius coniugis in religione ab ecclesia approbata.

a. Ut matrimonium hoc modo solvatur, requiritur *α.* ut constet, illud non fuisse actu coniugali consummatum; *β.* ut emittatur valida professio religiosa: vim enim solvendi matrimonium professio religiosa habet ratione voti solemnis castitatis, quod in ea continetur. Ideo matrimonium non solvit *α.* votum simplex castitatis extra religionem emissum; *β.* nec votum simplex castitatis in religione emissum[1]); *γ.* nec votum solemne in subdiaconatu emissum.

b. Si quaeritur, cur votum solemne castitatis matrimonium dirimat, responderi potest, id fieri per dispensationem summi pontificis statuentis, ut posita hac conditione matrimonium ipso iure solvatur.

---

[1]) Vota simplicia scholasticorum in societate Iesu matrimonium contrahendum quidem dirimunt, contractum autem non solvunt.

c. Ut coniuges de capessenda religione deliberare possint, a iure conceditur eis bimestre post matrimonii celebrationem, quo tempore non tenentur debitum coniugale reddere. Hoc privilegio etiam illi uti possunt, qui de capessenda religione non cogitant.

4. Matrimonium *etiam consummatum infidelium* solvi potest in casu *privilegii paulini* seu in casu *apostoli* ut dicunt[1]).

12. *De privilegio paulino.* Privilegium, quod dicitur paulinum, quia a *s. Paulo* promulgatur, in eo consistit, quod, si coniux infidelis convertatur ad fidem et altera pars nolit cohabitare cum ipso aut saltem id nolit absque contumelia creatoris, pars fidelis ex divina concessione aliud matrimonium inire potest. Est igitur privilegium paulinum ius divinitus concessum et a *s. Paulo* promulgatum in certis adiunctis transeundi ad alias nuptias.

1. Ad verba citata *s. Pauli* haec duo notanda sunt: *a.* Matrimonium in infidelitate contractum et consummatum solvi posse, edicitur verbis: *non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi;* atqui grave onus imponeretur fideli, si ad novas nuptias transire non posset. *b.* Privilegium paulinum transeundi ad alias nuptias ex ipsis verbis *s. Pauli* et ex constanti interpretatione doctorum pendere a conditione, quod nempe pars infidelis *discedat* i. e. nolit servare pacem cum comparte fideli; ergo non valet hoc privilegium, ubi pars infidelis consentit pacifice cohabitare cum comparte fideli.

2. Conditiones, quae requiruntur, ut pars fidelis ad alias nuptias transire possit; hae sunt:

a. Ut matrimonium *in infidelitate contractum* sit; quocirca si coniux a fide deficiat per apostasiam, alia pars fidelis non potest novum matrimonium inire.

[1]) Si quis frater uxorem habet infidelem et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Quodsi infidelis discedit, discedat: non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi; in pace autem vocavit nos Deus. 1. Cor. 7, 12 ss.

b. Ut una pars per susceptum baptismum *ad fidem convertatur:* privilegium enim concessum est in favorem eorum, qui ad fidem convertuntur, hinc quidem ne ab amplectenda fide absterreantur, eo quod servare debeant continentiam, si pars infidelis discedat, inde vero ne cum periculo amittendae fidei cogantur cohabitare cum infideli.

Ideo catechumenus non potest uti hoc privilegio; quoniam autem conversio ad fidem per susceptionem baptismi fit, ideo hoc privilegio frui potest etiam infidelis, qui ad sectam haereticam convertitur, modo valide baptizetur.

c. Ut pars infidelis *discedat,* id quod accidit in hoc duplici casu: *α.* si infidelis nolit cohabitare cum comparte fideli; *β.* si velit quidem cohabitare, sed solum cum contumelia creatoris.

Creatori contumelia seu iniuria irrogari censetur, si fidelis ex cohabitatione cum parte infideli exponitur periculo amittendae fidei aut comittendi peccata; econtra infidelis dicitur pacifice cohabitare cum fideli, si hunc nec a fide avertere nec ad alia peccata pertrahere conatur.

Si pars infidelis renuat quidem converti, at pacifice cum converso habitare velit, hic non potest vi privilegii paulini ad alias nuptias transire, attamen potest ab infideli se separare, imo per dispensationem summi pontificis etiam ad alias nuptias transire potest.

d. Ut praecedat *interpellatio* coniugis infidelis, an velit ad fidem converti aut saltem cohabitare sine contumelia creatoris[1]).

α. Interpellatio ab ecclesia in hunc finem praecipitur, ut certitudo habeatur de voluntate alterius partis; quapropter si de voluntate partis infidelis iam constat, ut ubi vir infidelis uxorem conversam e domo eiiciat, non est necesse, ut fiat interpellatio.

β. Interpellatio necessaria est ad liceitatem, non autem ad valorem novi matrimonii; hinc peccat, qui omissa interpellatione ad alias nuptias transit, matrimonium autem validum est, si infidelis reipsa renuat et invalidum est, si consentiat pacifice cohabitare.

γ. Si maritus ad fidem conversus plures uxores habuit, interpellanda est tantum legitima, quae est prima, nisi constet matrimonium cum prima fuisse invalidum. Quodsi una ex uxoribus ad fidem convertitur, maritus conversus, aliis dimissis, hanc tamquam legitimam uxorem retinere potest, etsi non sit prima, quam duxerat[2]).

---

[1]) C. *Quanto* 7. de divortiis.

[2]) Constitut. Pii V. *Romani pontificis* (1571).

δ. Si circa voluntatem partis infidelis certitudo haberi nequit, sive quia adiri et interpellari non potest sive quia ad interpellationem non respondet, ad alias nuptias transire licet, ubi ad hoc concessum fuerit indultum s. pontificis[1]).

ε. In regionibus, in quibus ad removendum scandalum aut perversionis periculum lege ecclesiastica prohibetur, ne pars fidelis cum infideli cohabitet, illa ad alias nuptias transire potest, etsi infidelis pacifice cohabitare velit.

3. Matrimonium in infidelitate contractum non solvitur, quando suscipitur baptismus, nec quando pars infidelis declarat, se nolle cohabitare, sed quando aliud matrimonium initur. Hinc si pars fidelis novum matrimonium non contrahit et postea etiam alia pars convertitur, non licet amplius uti privilegio paulino, quia cessante fine privilegii per conversionem partis infidelis cessat ipsum privilegium.

An matrimonium in infidelitate contractum et consummatum per dispensationem summi pontificis solvi possit, si aut una aut utraque pars ad fidem convertitur.

1. Matrimonium infidelium sive legitimum sive consummatum a summo pontifice solvi non potest, quia infideles eius iurisdictioni non subiacent; cum primum vero saltem unus coniugum ad fidem convertitur, matrimonium ratione partis fidelis iurisdictioni summi pontificis subiicitur, qui pro potestate suo illud solvere potest, etsi in infidelitate consummatum fuerit, modo post conversionem consummatum non sit.

2. Ratio interna, ob quam s. pontifex matrimonium in infidelitate consummatum solvere possit, cum primum eius potestati subest, desumenda est ex minore firmitate, quae matrimoniis infidelium convenit: matrimonium enim consummatum infidelium minus firmum est, quam ratum fidelium, quia minus perfecte significat unionem indissolubilem Christi et ecclesiae; matrimonium autem ratum

---

[1]) Mentione dignum est indultum *a Gregorio XIII* (1585) concessum missionariis societatis Iesu, ex quo constat, matrimonium a parte fideli contractum etiam in eo casu validum esse, quo coniux infidelis pacifice cohabitare voluisset, imo quo ad fidem conversus fuisset.

fidelium a summo pontifice solvi potest; ergo etiam matrimonium in infidelitate contractum et consummatum.

3. Ratio externa desumitur ex facto: nam summus pontifex eiusmodi matrimonia, eaque innumera reipsa solvit; ergo ea solvere potest. Et sane

a. Solvitur matrimonium in infidelitate contractum et consummatum, si pars infidelis de sua voluntate cohabitandi interrogari non potest;

b. Solvitur matrimonium si pars infidelis pacifice cohabitare vellet, sed ob legem aut consuetudinem prohibentem non potest;

c. Solvitur matrimonium, si maritus fidelis plures uxores habuit et eam retinet, quae cum ipso convertitur, etsi non sit prima seu legitima.

Iam dico, certum est, matrimonium in infidelitate contractum et consummatum in his casibus dissolvi; ergo aut solvitur vi privilegii paulini, aut per dispensationem summi pontificis; atqui non vi privilegii paulini, quippe cuius vis a conditione dependeat, quod pars infidelis discedat, in his casibus autem non discedit; ergo non restat, nisi ut per dispensationem summi pontificis solvatur.

Quaestio secunda.

De sponsalibus.

Articulus primus.

De natura sponsalium.

13. *Sponsalia* (a spondendo) late accepta significant quemlibet contractum seu quamlibet susceptionem obligationis; stricte vero significant particularem aliquem contractum, nempe promissionem matrimonii, et definiri possunt: *promissio mutua futuri matrimonii.*

a. Promissio mutua; pertinent ergo sponsalia ad contractus onerosos, quam ob rem omnia principia, quae de his contractibus in genere valent, sponsalibus applicari debent. *Futuri matrimonii:* his verbis obiectum exprimitur, circa quod contractus sponsalium versatur; ideo dicuntur etiam *sponsalia de futuro,* et qui sibi mutuo promittunt matrimonium postea contrahendum, dicuntur *sponsi de futuro.* E contra *sponsalia de praesenti* significant ipsum matrimonium ratum, et *sponsi de praesenti* dicuntur ipsi contrahentes antequam matrimonium consumment.

b. Etsi matrimonio non debeant necessario praemitti sponsalia, plures tamen rationes afferri solent, ob quas matrimonio praemittantur *α.* ut sponsi interim parent ea, quae necessaria sunt ad vitam coniugalem ducendam; *β.* ut alter indolem et mores alterius interim experiatur: licet enim iam ante sponsalia haec investigatio necessaria sit, ipsa tamen tempore sponsalium continuari potest et debet; et si inde constaret, matrimonium infelicem exitum habiturum esse, haec praevisio sufficiens ratio esset recedendi a sponsalibus; *γ.* ut crescat desiderium futuri matrimonii; *δ.* ut interim matrimonium futurum denuntiari atque ut exquiri possit, num aliquod impedimentum inter sponsos subsistat.

14. Ut sponsalia veram obligationem inducant, omnes illas conditiones habere debent, quae ad contractum validum requiruntur. Quae si in definitione explicite ponantur, sponsalia uberius definiri possunt: *promissio vera, deliberata, mutua, signo sensibili expressa futuri matrimonii inter personas habiles ad contrahendum.*

1. *Vera,* i. e. interna et seria cum animo se obligandi et obligationem implendi, non externa et ficta tantum.

An teneatur stare promissioni, qui ficte matrimonium promittit.

a. Qui promittit cum animo quidem se obligandi, sed cum animo non implendi promissionem, vera sponsalia facit, ideoque promissioni suae stare tenetur.

b. Qui verbis exterius quidem promittit, at sine animo se obligandi, vera sponsalia non facit, quare vi sponsalium non tenetur inire matrimonium etsi fictae promissioni iuramentum addidisset; si tamen ex ficta promissione alteri parti ortum est damnum, quod alio modo reparari non potest, ficte promittens ex iustitia tenetur inire matrimonium promissum, non quidem vi contractus, qui nullus est, sed ad reparandum damnum iniuste illatum.

2. *Deliberata,* i. e. cum plena advertentia et perfecto consensu: cum enim agatur de re magni momenti, quae gravem obligationem inducit, merito etiam plena et per-

fecta deliberatio requiritur. Sufficit autem illa deliberatio, quae ad mortale peccatum requiritur.

a. Ideo qui non sunt capaces sufficientis deliberationis ut infantes, semifatui, semiebrii etc. neque sponsalium sunt capaces.

b. Ad valide igitur contrahenda sponsalia per se sufficit aetas septem annorum, imo iam ante septennium valide contrahi possunt, si malitia suppleat aetatem i. e. si adsit sufficiens usus rationis.

c. Ordinarie valida sunt sponsalia, quae in aestu passionis vel vehementi libidine impellente contrahuntur, quia aestus passionis raro aufert deliberationem, quae ad graviter peccandum requiritur.

d. Libertati sponsalium sicut aliorum contractuum maxime obsunt error et metus. Error, qui contractum matrimonialem constituit invalidum, irritat etiam sponsalia; de sponsalibus autem ex metu initis haec notanda sunt:

An valeant sponsalia ex metu iniusto inita.

a. Si metus *gravis* est, sive absolute sive etiam solum relative, sponsalia quidem valida sunt tum iure naturae tum iure ecclesiastico, quod sponsalia ex metu gravi et iniusto inita non declarat invalida, nisi constet consensum non fuisse verum et internum attamen rescindi possunt ex parte eius, qui metum passus est: huic enim iniuria infertur, quae eo removeri debet, quod pro arbitrio a contractu recedere possit.

b. Si metus *levis* est, sive absolute sive relative, sponsalia certe valida sunt, sed pari modo rescindi possunt ex parte eius, qui metum passus est, quia huic iniuria infertur, quae removeri debet.

3. *Mutua:* non sufficit, ut una pars promittat et altera promissionem acceptet, sed requiritur, ut altera pars repromittat: solum enim si promissio acceptata per repromissionem confirmata est, habetur obligatio ex utraque parte, id quod ad contractum sponsalium, utpote onerosum, requiritur. Iam etsi verum non est, in acceptatione necessario contineri repromissionem, tamen concedi debet, in acceptatione implicite contineri posse et in hac acceptatione per se etiam contineri repromissionem.

Ad quaestionem *an pars promittens ante repromissionem teneatur stare promissis,* cum distinctione respondendum est: *a.* si absolute et gratuito promittere intendit,

tenetur stare promissis, aut ex fidelitate aut ex iustitia pro ratione intentionis, quam habuit promittendo, modo alia pars promissionem acceptaverit.

b. Si autem sponsalia contrahere intendit, ante repromissionem ad nihil obligatur, ideoque resilire potest: verba enim contrahentium intelligenda sunt secundum naturam contractus; sed sponsalia natura sua sunt contractus mutuus; quare non continent sponsionem simplicem, sed conditionatam: *promitto, si etiam tu promittis.*

4. *Signo sensibili expressa:* neque enim de acceptatione promissionis nec de repromissione constare potest, nisi ex utraque parte adhibeantur signa externa. Requiruntur autem et sufficiunt illa signa, quae vel ex se vel ex usu vel ex adiunctis significant promissionem matrimonii determinatae personem factam.

a. Quare non fiunt sponsalia his verbis: non aliam ducam nisi te; vel si quis patri plures filias habenti dicat; unam de filiabus tuis sumam in uxorem *b.* Ergo praeter verba etiam alia signa e. g. traditio et acceptatio annuli, porrectio manus etc. adhiberi possunt, quae, si praecesserit tractatio de futuro matrimonio, sufficienter consensum sponsalitium significant.

An taciturnitas praesentis mulieris sit signum sufficiens consensus. — Quaestio intelligenda est de hoc casu: si parentes filiam praesentem promittunt viro in matrimonium, et ipsa non contradicit, an eius taciturnitas sit signum consensus. *a.* In favorabilibus qui tacet, consentire videtur, et cum sponsalia sint aliquid favorabile, taciturnitas habetur pro signo consensus, modo sponsalia cum tali viro sint favor. *b.* Quia tamen ex taciturnitate tamquam ex signo solum praesumitur consensus internus, si iste revera non adest, nulla fieri sponsalia manifestum est.

5. *Inter personas habiles. Habiles* sunt, qui valide et licite matrimonium inire possunt; qui ergo aetatem a iure praescriptam habent et nullo impedimento nec dirimente nec impediente prohibentur. Inhabilitas aut ex iure naturae aut ex iure ecclesiastico provenit. Et iure naturae quidem soli illi inhabiles sunt, qui nunquam nec valide nec licite matrimonium inire possunt, iure autem eccle-

siastico plures alii constituuntur inhabiles ut patebit ex tractatu de impedimentis.

15. *Quaestiones particulares.*

1. *De sponsalibus impuberum,* quales sunt pueri ante annum 14. et puellae ante annum 12. completum. — Sponsalia impuberum ex iure ecclesiastico valida censentur, sed suspensa: scilicet tempore impubertatis eiusmodi sponsalia non possunt, ne mutuo quidem consensu, rescindi; postquam autem pubertatem adepti sunt, sponsalia rescindere possunt et quidem uterque, si ambo impuberes erant, vel impuber, si cum alio iam pubere sponsalia fecit.

2. *De sponsalibus invitis parentibus initis. a.* Sponsalia propter ipsum dissensum parentum non sunt invalida: consensus enim parentum nec iure naturae nec lege positiva ad valida sponsalia requiritur. Pari modo matrimonium certe validum est, etsi insciis vel invitis parentibus contrahatur. Per accidens autem fieri potest, ut sponsalia, quae invitis parentibus fiunt, invalida sint. *b.* Si parentes iustam rationem habent dissentiendi, sponsalia sunt invalida non propter dissensum, sed quia matrimonium in hoc casu illicitum est; ad rem illicitam autem nulla est obligatio. Quod quidem valet, etsi sponsalia iuramento fuerint firmata, imo etsi sponsus virginem deflorasset. Ratio primi est, quia iuramentum nequit esse vinculum iniquitatis; ratio secundi est, quia non potest esse obligatio ad actum, qui sine peccato impleri non potest; at virginem dotare debet. *c.* Si parentes sine iusta ratione dissentiunt, sponsalia quidem valida sunt, at eatenus illicita esse possunt, quatenus filii sine iusta ratione consensum parentum neque exposcere conati sunt.

Omnes consentiunt, parentes iuste dissentire, si matrimonium cedit in *dedecus familiae,* vel si ex eo *gravia scandala aut dissensiones* oritura praevidentur: filii enim dedecus familiae ex iustitia et scandala ac dissensiones ex caritare praecavere tenentur; unde eorum matrimonium in hoc casu illicitum esset. Utrum iuste dissentiant parentes *propter notabilem disparitatem conditionis* utriusque sponsi, sive ex nobilitate sive ex divitiis ea oriatur, an vero sponsi in hoc casu teneantur stare promissis, non aeque consentiunt auctores. Notandum est, quaestionem sup-

ponere. sponsos tempore sponsalium disparitatis inter ipsos existentis sibi conscios fuisse: etenim si eam ignorassent, sponsalia aut invalida aut saltem rescindibilia essent. Itaque *a.* si matrimonium propter disparitatem conditionis utriusque sponsi affert aut dedecus familiae aut scandala sive odia et dissentiones propinquorum, sponsalia propter hos effectus futuri matrimonii invalida sunt. Quodsi *b.* nihil horum ex futuro matrimonio timendum est, sponsalia censeri debent valida; et sane illicitum non est, ut nobilis cum plebea, dives cum paupere matrimonium ineat.

3. *De sponsalibus inter eos initis, qui aliquo impedimento sive dirimente sive impediente laborant.*

a. Sponsalia inter personas impedimento laborantes, in quo ecclesia aut non potest, aut non solet dispensare, invalida sunt: cum enim matrimonium propter impedimentum nunquam possit valide inire, spondentes se obligant ad rem illicitam et impossibilem; ad rem autem illicitam vel impossibilem nulla est obligatio. Atque idem dicendum est de sponsalibus *absolute* initis inter personas impedimento dispensabili laborantes: quamdiu enim impedimentum existit, non possunt licite contrahere; ergo neque ad contrahendum absolute se obligare possunt.

b. Sponsalia inter personas laborantes impedimento dispensabili inita sub conditione expressa vel tacita: *si papa dispensaverit* *α.* ante dispensationem obtentam certe non sunt vera sponsalia nec inducunt impedimentum publicae honestatis; attamen *β.* ex ipsis oritur obligatio procurandi et expectandi dispensationem eamque, si conceditur, acceptandi quare sponsalia interim cum alia persona inita, utpote illicita et iniusta, essent invalida; *γ.* quando conceditur dispensatio sponsalia conditionata eo ipso transeunt in absoluta et obligant ad ineundum matrimonium, quin renovetur consensus.

Sententia illorum, qui dicunt sponsalia haec conditionata de *iure ecclesiastico* non obligare ad acceptandam dispensationem nec per se transire in absoluta, sed concessa dispensatione demum ineunda esse sponsalia per mutuum consensum, haec inquam sententia, licet videatur fundari in variis decisionibus congregationum romanarum, solida probabilitate caret.

16. Sponsalia *dividuntur:*

a. In *solemnia* seu ecclesiastica, quae coram parocho et testibus celebrantur, et *privata* seu clandestina, quae a

solis contrahentibus nemine praesente aut coram parentibus tantum fiunt.

Sponsalia privata valida et licita sunt, quia nullo iure ad sponsalia sive valida sive licita praesentia parochi aut testium requiritur. Statuta tamen dioecesana in quibusdam locis exigunt, ut sponsalia in facie ecclesiae seu coram parocho celebrentur, tum ut promissiones illicitae, inconsultae et dubiae praecaveantur, tum ut serio ac religiose perficiantur, tum denique ut parochus ad denuntiationes procedere possit[1]).

b. In *simplicia* et *poenalia*, in quibus poena adiecta est, si alterutra pars sine legitima causa a sponsalibus recedit.

c. In *absoluta* et *conditionata* prout sub aliqua conditione aut sine illa ineuntur. De sponsalibus conditionatis eadem valent, quae supra de matrimonio conditionato dicta sunt.

Articulus secundus.

De effectibus sponsalium.

17. Triplex effectus sponsalium distinguendus est.

1. Obligatio iustitiae eaque gravis ad matrimonium postea contrahendum.

Oritur *obligatio,* quia sponsalia sunt contractus; obligationi autem in utroque contrahente respondet ius exigendi ab alio matrimonium. *Iustitiae,* quia sponsalia sunt contractus onerosus. *Gravis,* quia obiectum contractus est res gravis. *Ad matrimonium* vel, si iniuste a sponsalibus receditur, ad poenam solvendam, si qua addita est, vel saltem ad reparandum damnum, quod ex solutione iniusta ortum est. *Postea* i. e. tempore determinato, si quod in contractu sponsalium praefinitum est, aut si nullum definitum fuit, quando una pars matrimonium rationabiliter postulat. Quare matrimonium ultra id tempus sine iusta causa notabiliter differre, peccatum grave est.

2. Invaliditas sponsalium, quae cum alia persona contrahuntur: futurum enim matrimonium cum alia persona stantibus prioribus sponsalibus est res illicita quod enim vi promissionis uni iam debetur, non potest alteri pro-

[1]) Ex iure speciali in hispania non valent sponsalia, nisi publica scriptura firmata sint. Lex ista in se quidem invalida per consuetudinem ab ecclesia approbatam vim legis obtinuit. Cf. Acta s. Sedis XIII. 191.

mitti; ad rem vero illicitam non potest contrahi obligatio. Matrimonium autem stantibus sponsalibus cum alia persona initum, etsi illicitum, certe tamen validum est: sponsalia enim sunt impedimentum impediens, non dirimens.

Hinc si quis cum duabus feminis sponsalia contraxit et cum secunda peccavit, ut adeo haec grave damnum pateretur, si eam non duceret, priori quidem suaderi potest, ut iuri suo sponte renuntiet, praesertim si ipsa ex eo nisi leve damnum pateretur; ius vero exigendi matrimonium non amisit, proindeque viro incumbit obligatio primam ducendi: secunda enim sponsalia nulla sunt et damnum, quod secunda mulier passa est, reparari quidem debet, sed quantum fieri potest sine iniuria prioris.

3. Impedimentum dirimens publicae honestatis, quod ex sponsalibus validis semel ortum remanet, etsi sponsalia iuste fuissent soluta.

Articulus tertius.

De dissolutione sponsalium.

Sponsalia sunt contractus suapte natura dissolubilis, quippe cuius perpetuitatem nec lex divina ut in matrimonio nec lex humana ut in professione religiosa exigat; ideo ex variis causis dissolvi possunt etsi iuramento sint firmata. Quae quidem causae apte in duas classes dividuntur, quarum aliae ex utraque parte, aliae vero ex una parte tantum sponsalia rescindunt.

18. *Causae, ob quas sponsalia ex utraque parte solvuntur.* Existente causa, quae sponsalia ex utraque parte solvit, utriqui parti conceditur libertas aliud matrimonium ineundi.

1. *Mutuus consensus*, quo valide quidem semper, etsi fuerint iuramento firmata, licite autem solum existente rationabili causa solvuntur: sicut enim mutuo consensu orta sunt, ita etiam mutuo consensu solvuntur.

a. Videntur venialiter peccare, qui absque rationabili causa remittunt sibi mutuam obligationem, praesertim si iuramento fuerit firmata.

b. Per mutuum consensum resolvi censentur etiam sponsalia *sub conditione* inita, si conditio sine utriusque culpa non fuit impleta. Si tamen unus contrahentium culpabilis causa est, cur conditio impleta non sit, iste adhuc tenetur.

2. *Professio religiosa* i. e. professio solemnis in religione emissa, — qua sponsalia ex utraque parte penitus dissolvuntur, quin unquam reviviscant: si enim ex dispositione iuris per professionem religiosam solvuntur sponsalia de praesenti, a fortiori solventur sponsalia de futuro. Et sane sponsalia semper fiunt hac tacita conditione: *nisi perfectiorem vitam eligam*. Insuper qui professionem emittit, fit inhabilis ad contrahendum, cum professio solemnis sit impedimentum dirimens matrimonium.

3. Per *susceptionem ordinis sacri* solvuntur sponsalia ex utraque parte: etsi enim ordini sacro a iure non concedatur, ut matrimonium contractum dirimat; ipse tamen constituit impedimentum dirimens matrimonium contrahendum, ideoque ordinatum constituit inhabilem ad contrahendum.

Susceptio *ordinum minorum* non solvit sponsalia ex utraque parte, tum quia ordines minores matrimonium non impediunt, tum quia non constituunt statum perfectiorem; per eorum tamen susceptionem, quae fiat inscia sponsa, huic conceditur libertas aliud matrimonium ineundi, quia in sponso accidit notabilis mutatio; sponsum vero ab obligatione non liberat, quia matrimonium adhuc inire potest.

a. Omnes concedunt, *per ingressum in religionem*, per *votum ingrediendi religionem, emittendi pofessionem, suscipiendi sacros ordines* et *per votum simplex castitatis* sponsalia solvi ex alia parte, quia huic eo ipso conceditur libertas; quoad partem vero ingredientem aut voventem non sunt eiusdem sententiae. Dum enim alii contendunt, in ingrediente aut vovente manere obligationem contrahendi cum alia parte, si ipsa velit, quia Deus non acceptat promissionem, quae est contra ius alterius; alii docent sponsalia ex utraque parte solvi ideoque, ingredientem aut voventem ab obligatione immunem esse.

b. Probabilis dicenda est sententia eorum, qui affirmant, sponsalia ex his causis ab utraque parte solvi: etsi enim enumeratae circumstantiae matrimonium non reddant impossibile, sponsalia tamen semper contrahuntur hac tacita conditione: *nisi meliorem statum eligam;* atqui per ingressum in religionem vera et sincera voluntate peractum et per vota supra enumerata perfectior status eligitur; ergo per ipsum ingressum et per vota supra dicta sponsalia ex utraque parte solvuntur. Cum igitur haec sen-

tentia vere probabilis sit, sponso ingredienti religionem vel emittenti unum ex nominatis votis non potest imponi obligatio unquam contrahendi cum alia parte, etsi ipsa velit.

c. Ad quaestionem, an unus sponsorum licite possit sine consensu alterius partis religionem ingredi, sacros ordines suscipere aut unum ex votis supra nominatis emittere, dicendum est: *α.* ex omnium sententia potest unus sponsorum inscia, imo invita alia parte votum emittere ingrediendi religionem vel emittendi professionem et potest religionem ipsam ingredi; *β.* at sacros ordines suscipere aut votum emittere ordines suscipiendi vel castitatem servandi inscia vel invita alia parte solum ex eorum sententia potest, qui censent sponsalia ex his causis ab utraque parte solvi.

4. *Impedimentum* superveniens, quo matrimonium promissum redditur invalidum. Solum impedimentum dirimens sponsalibus superveniens ea solvit, et si utraque pars est innocens (e. g. impotentia), sponsalia ex utraque parte penitus dissolvuntur; si una pars culpa est impedimenti, sponsalia certo solvuntur ex parte innocentis; ex parte nocentis autem probabiliter sponsalia non solvuntur, sed suspenduntur solum, donec impedimentum auferatur, quo sublato vis sponsalium reviviscit. Duo autem impedimenta dirimentia, quae sponsalibus supervenirc possunt, praecipue considerari debent.

a. Impedimentum *ligaminis ob matrimonium initum.* In hoc casu *α.* matrimoninm, quod ab una parte post inita sponsalia contrahitur cum alia persona, validum est; *β.* sponsalia autem per matrimonium probabilius non solvuntur, sed solum suspenduntur; quare contrahens soluto matrimonio ad priora sponsalia redire tenetur; *γ.* pars innocens vero ab obligatione sponsalium immunis est, quia contrahens eo ipso libertatem concedit.

b. Affinitas ex copula illicita. In hoc casu pars innocens ab obligatione liberatur; alia autem pars probabiliter non liberatur, sed si prior pars velit, tenetur procurare dispensationem et matrimonium promissum inire, nisi requirantur magnae expensae et longa mora.

5. *Dispensatio summi pontificis.* Episcopus quidem nequit dispensare in legitimis sponsalibus, s. pontifex autem praeditus est potestate dispensandi, ubi de validitate disceptant, scilicet quando altera pars non remittit ius, quod in aliam habet, existit autem iusta causa solvendi sponsalia: potest enim dispensare in matrimonio rata; ergo potest etiam in sponsalibus, at solum ex iusta et gravi

causa: nam sine causa nequit alteri auferre ius suum. Cf. Acta s. Sedis XV. p. 586.

19. *Causae, ob quas sponsalia ex una parte solvuntur.* Existente causa solvendi sponsalia ex una parte, haec pars pro lubitu sponsalia solvere potest; si autem ipsa a sponsalibus recedere nolit, alteri parti, quae causam solvendi dedit, recedere non licet, nisi forte matrimonium ei notabiliter gravius existat.

1. Quaelibet actio, qua ab alia parte *fides sponsalium frangitur:* nam fidem frangenti fides servanda non est; actiones autem, per quas fides sponsalitia violari censetur, sunt potissimum sequentes.

a. Nimis differre matrimonium contrahendum. Vel enim sponsalibus praefixus est terminus matrimonii contrahendi vel nullus praefixus est. Si primum, vel terminus praefixus est ad finiendam obligationem, quo in casu elapso termino sponsalia ex utraque parte soluta sunt; vel terminus praefixus est ad urgendam obligationem, quo in casu pars innocens a sponsalibus resilire potest. Quod si nullus terminus matrimonii contrahendi praefixus fuit, illa pars, quae diutius moras trahit, alteri parti potestatem recedendi a contractu facere censetur. Quanto autem tempore expectare haec debeat, ut a sponsalibus iure resilire possit, prudentum iudicio consideratis adiunctis determinandum est.

b. Sine consensu alterius partis alio se conferre, quin spes sit, ipsum brevi rediturum esse; alio migrans censetur hac agendi ratione sponsalibus renuntiare, et alia pars acquirit libertatem cum alio contrahendi.

c. Alia sponsalia inire; et sponsalia quidem contra fidem priorum contracta invalida sunt, etsi iuramento firmata essent, utpote illicita; alia autem pars innocens ab obligatione liberatur.

d. Fornicationem committere cum alia persona. In fornicatione, quam sponsi committunt, duo attendi debent: qui fornicatur frangit fidem et redditur ex fornicatione

vilior; iste tamen effectus magis sponsam afficit, quam sponsum. Ideo α. propter fornicationem *post sponsalia* commissam potest pars innocens (sive sponsus sive sponsa) a sponsalibus resilire, quia alteri parti fidem fregit. β. Si fornicatio ex utraque parte commissa fuit, habetur quidem delicti mutua compensatio, nihilominus sponsus recedere potest, quia sponsa facta est vilior; sponsa autem resilire nequit, nisi sponsus prolem ex alia habuerit, aut habitum fornicandi contraxerit: sponsus enim ex fornicatione non censetur factus notabiliter deterior. γ. Propter fornicationem *ante sponsalia* commissam sponsus ab obligatione immunis est; non autem sponsa, nisi sponsus prolem ex alia habuerit, aut habitum fornicandi contraxerit: in hoc enim casu timendum est, ne fidem sponsae suae non servet.

2. *Status rerum diversus* ab eo, qui antea cognitus fuerat; si nimirum contractis iam sponsalibus una pars in cognitionem circumstantiae devenit tempore sponsalium iam existentis, quam si antea cognovisset, sponsalia non fecisset. Si autem error est mere concomitans, qui sponsalibus ansam non dedit, haec non solvuntur.

3. *Mutatio notabilis*, quae sponsalibus superveniat: sponsalia enim censentur inita sub hac tacita conditione, *si res in eodem statu permanent*, idque ne matrimonium infelicem exitum sit habiturum. Ut tamen legitime solvi possint sponsalia, mutatio debet esse talis, ut nuptiae vere reddantur molestae et gravosae.

Status diversus esse vel mutatio accidere potest.

a. In bonis animi: gravis morum asperitas, propensio ad ebrietatem, ludum, impietatem; si atrox crimen committit: atrox crimen illud censetur, quod grave damnum aut infamiam parit ut haeresis, homicidium, grave furtum.

b. In bonis corporis: morbus insanabilis vel contagiosus, amissio venustatis praesertim in sponsa; caecitas, abscissio membri.

c. In bonis fortunae: superveniens paupertas in utroque sponso, si sponso adveniat pinguis hereditas; si sponsa detegitur non habere dotem; si alteruter esset nimio aere alieno gravatus, quin adsit spes, fore ut solvere possit; si sponsus evadit ineptus ad acquirendum officium pro sustentatione familiae necessarium.

20. *Quaestiones.*

1. *An sponsa defectus, quibus laborat, sponso manifestare teneatur et vicissim sponsus sponsae.*

1. Defectus, qui matrimonium reddunt invalidum, quantumvis probrosi, manifestandi sunt, aut a matrimonio abstinendum est.

Eiusmodi defectus sunt duplicis generis: aut est defectus, cuius absentiam sponsus exigit *tamquam conditionem sine qua non,* e. g. si virgo est; si illud crimen non commisit, aut est defectus, qui *impedimentum dirimens* continet.

2. Defectus, qui alteri parti matrimonium reddituri sunt vel damnosum vel notabiliter difficilius, quamvis probrosi sint, sub gravi manifestari debent, tum ante tum post sponsalia, si iam initis supervenerint; alias enim peccaretur *contra iustitiam*, sicut contra iustitiam agit, qui merces inutiles vel nocivas vendit ei, qui haec vitia ignorat. Insuper *caritas* exigit, ne quis se exponat periculo ineundi matrimonium infaustum.

Eiusmodi defectus sunt morbus praesertim contagiosus, proles ex alio viro relicta, impragnatio, sterilitas, status viduitatis, alia religio.

3. Non est obligatio (saltem gravis) manifestandi sive ante sive post sponsalia defectus, qui matrimonium non reddunt notabiliter difficilius, etsi illud minus appetibile reddant et aliteri parti aliquam tristitiam afferant. Nemo enim tenetur seipsum infamare et spe nubendi privare, ubi silentio suo ius alterius non laedit. Insuper nulla est obligatio in contractibus leviores defectus manifestandi. Quodsi manifestatio esset probrosa, posset sponsa interrogata rem dissimulare, modo non dicat mendacium. Si tamen timendum esset, ne post matrimonium res palam fiat et exinde oriatur infaustum matrimonium, saltem ex caritate teneretur pandere aut abstinere a coniunctione.

Eiusmodi defectus sunt: fornicatio ante vel post sponsalia commissa; deformitas; ignobilitas, paupertas; indoles aspera et iracunda; inhabilitas ad gerenda negotia, ad administrandam domum.

2. *An existente iusta causa solvendi sponsalia eadem solvi possint propria auctoritate.*

1. Nec iure naturae nec iure communi positivo prohibetur, ne sponsalia solvantur propria auctoritate per mutuum consensum. Quare si causa solvendi sponsalia *certa* est, propria auctoritate solvi possunt, si autem causa *dubia* est, recurrendum est ad iudicem ecclesiasticum, ne subsistat periculum alterum privandi iure suo.

2. Ex statutis autem particularibus dioeceseon non permittitur, ut sponsalia publice celebrata, vel quae postea facta sunt publice nota solvantur, quin causa ad episcopum deferatur.

Quaestio tertia.

De impedimentis impedientibus.

21. 1. Impedimentum matrimonii generatim dicitur circumstantia, quae ex iuris statuto matrimonium contrahendum prohibet. Impedimenta matrimonii duplicis generis sunt, alia *dirimentia,* quae efficiunt, ut matrimonium nec licite nec valide iniri possit; alia solum *impedientia,* quae efficiunt, ut matrimonium licite iniri non possit. Impedimenta igitur matrimonii sunt leges aut solum prohibentes aut prohibentes et simul irritantes.

2. Impedimenta impedientia alia sunt, quae obstant matrimonio quatenus sacramentum est ut peccatum mortale et excommunicatio; alia quae eidem obstant quatenus contractus est. De posterioribus hic est sermo. Numerantur autem quatuor, quae hoc versu comprehenduntur:

Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum.

a. Horum impedimentorum duo, nempe ecclesiae prohibitio et tempus prohibitum, matrimonium impediunt solo iure ecclesiastico; sponsalia et votum illud impediunt iure naturae et simul iure ecclesiastico.

b. Antiquitus numerabantur sex impedimenta matrimonium impedientia: etenim ad quatuor praedicta accedebant impedimentum *catechismi* et *criminis;* quae tamen iam diu in desuetudinem abierunt.

Articulus primus.

De impedimentis impedientibus in specie.

§ 1. *Ecclesiae vetitum.*

22. 1. *Ecclesiae vetitum* est prohibitio ab ecclesia vel a superiore ecclesiastico facta, ne aliquod matrimonium celebretur.

a. Prohibitio potest esse *generalis* aut *particularis* prout ad omnia et singula matrimonia vel ad determinatum aliquod matrimonium refertur.

b. Tres sunt potissimum prohibitiones *generales*, quae matrimonium faciunt illicitum: *α.* ne contrahatur sine proclamatione bannorum; *β.* ne contrahatur cum acatholico; *γ.* ne contrahatur sine consensu parentum saltem debite exquisito. De primo inferius sermo erit, de secundo, quod impedimentum mixtae religionis vocatur, hic dicetur; de ultimo supra dictum est.

2. Matrimonium in particulari casu ex iusta causa prohibere potest: *a. summus pontifex*, qui illud pro sua potestate non solum prohibere, sed etiam irritare potest; *b. episcopus*, qui matrimonium prohibere, sed non irritare potest; *c. parochus*, qui iurisdictione in foro externo caret et proinde nec leges ferre nec praecepta statuere potest, matrimonium eatenus tantum prohibere potest, quatenus negat assistentiam suam, si aliquod matrimonium lege generali prohibitum deprehendat.

3. Causae, propter quas matrimonium iuste prohiberi potest, tres potissimum numerantur: *a.* reclamatio de sponsalibus, quae alteruter sponsorum prius cum alia persona contraxerat; *b.* suspicio probabilis impedimenti, quod matrimonium aut dirimat aut impediat; *c.* timor probabilis, ne ex matrimonio gravia incommoda ut scandala aut inimicitiae oriantur.

§ 2. *Tempus.*

23. 1. Est determinatum aliquod *tempus*, quo ab ecclesia solemnitates nuptiarum prohibentur. Hoc tempus *feriatum* seu *clausum* dicitur.

Tempus feriatum *nunc* est *a.* a dominica prima adventus usque ad epiphaniam inclusive; *b.* a die cinerum usque ad dominicam in albis inclusive [1]).

2. **Lex tridentina tempore feriato solum *nuptiarum, solemnitates* prohibet.**

Hoc nomine autem prohibentur: *a.* sollemnis benedictio sponsae i. e. missa votiva pro sponsis cum benedictione, quae in hac missa habetur; *b.* traductio sponsae, quae fiat cum strepitu seu cum publicis laetitiae signis; *c.* sollemniora convivia nuptialia.

3. **Lege igitur universali tempore clauso non prohibentur proclamationes nec ipsae nuptiae, quae absque sollemnitate fiant; lege tamen particulari in multis locis ipsum matrimonium prohibetur, nisi in casu necessitatis et de licentia ordinarii.**

§ 3. *Sponsalia.*

24. ***Sponsalia* tum sollemnia tum privata, nisi legitime soluta sint, constituunt impedimentum matrimonii impediens: obligatio enim iustitiae cum hac persona contrahendi efficit, ut matrimonium cum alia persona sit illicitum.**

a. Ut sponsalia impedimentum matrimonii constituant, requiritur: *α.* ut valide contracta sint; *β.* ut ab ea parte, quae aliud matrimonium intendit, iuste rescindi non possint.

b. Quia impedimentum hoc solum impediens est, matrimonium cum hoc impedimento contractum validum erit, etsi illicitum.

§ 4. *Votum.*

25. 1. **Quatuor sunt *vota* matrimonium impedientia: *a.* votum non nubendi; *b.* votum castitatis; *c.* votum ingrediendi religionem; *d.* votum suscipiendi sacros ordines.**

2. **Haec vota matrimonium impediunt, quia status matrimonialis cum obligatione horum votorum componi**

---

[1]) Concil. trid. sess. 24. de ref. m. c. 10. Ante concilium tridentinum tempus clausum multo latius protendebatur.

nequit; hinc graviter peccat, qui tali voto ligatus matrimonium contrahit. Ut ergo licite matrimonium inire possit, antea dispensationem a voto petat oportet.

3. Qui tali voto ligatus matrimonium contraxit, eatenus a voto solvitur, quatenus eius observatio facta est impossibilis; tenetur autem voto in iis, quae adhuc impleri possunt, nisi obtinuerit dispensationem. Et ordinarie quidem consulendum est, ut obligatio voti per dispensationem penitus auferatur.

a. Quoad votum castitatis (perfectae) tamen notandum est: si ille, qui hoc voto ligatus contrahit matrimonium, non habeat intentionem illud consummandi nec periculum adsit sive votum infringendi sive ius alterius partis laedendi, contrahendo non peccaret.

b. In praxi quandoque difficulter discerni potest, num quis votum non nubendi seu coelibatus (virginitatis nonnulli vocant), an vero votum castitatis emiserit. Ad rem discernendam vovens interrogandus est, qua intentione votum emiserit: etenim si ea intentione votum emisit, ut ab oneribus matrimonii liber facilius et perfectius Deo servire possit, coelibatum, quodsi amore puritatis votum emisit, potius castitatem promisisse censendus est.

4. *Ad quid tenetur, qui voto ligatus contraxit? a.* Qui contraxit cum *voto non nubendi,* absque dispensatione matrimonio uti potest: cum enim eius observatio iam sit impossibilis, ad nihil aliud tenetur, nisi ut de peccato, quod contrahendo commisit, doleat.

b. Qui contraxit cum *voto castitatis: α.* primo bimestri debitum nec petere nec reddere potest; *β.* elapso bimestri reddere tenetur, sed petere non potest, nisi aut a veto dispensatus fuerit, aut alia pars votum irritaverit.

c. Qui contraxit cum voto *ingrediendi religionem*: *α.* primo bimestri debitum nec reddere nec petere potest, sed tenetur ingredi; *β.* elapso bimestri non cessat obligatio voti; ideo tenetur petere compartem, ut permittat ingressum, quam si concedat, ingredi tenetur, si non concedat, debitum reddere et petere potest.

d. Qui contraxit cum *voto suscipiendi sacros ordines: α.* tenetur petere compartem, ut permittat impletionem voti per separationem a toro et mensa; *β.* si id permittat,

tenetur ordines suscipere, si non permittat, ad nihil tenetur, sed potest petere et reddere debitum.

5. Soluto matrimonio, quod cum tali voto contractum fuerat, per mortem alterius coniugis: *a.* votum non nubendi ad nihil obligat, cum iam factum sit impossibile; *b.* tria alia vota, durante matrimonio suspensa, hoc soluto denuo obligant, quare ad alias nuptias sine dispensatione transire non licet.

Qui contraxit cum voto ingrediendi institutum, in quo vota simplicia emittuntur, solum tenetur petere a comparte, ut ingressum permittat, quam si non permittit, ad nihil tenetur. Mortua autem comparte obligatio voti reviviscit, nisi impletio eius interim e. g. ob senium voventis facta sit impossibilis.

Articulus secundus.

De impedimento mixtae religionis.

26. 1. Ecclesia *prohibet*, ne catholicus matrimonium ineat cum acatholico (baptizato). Mala enim et incommoda, quae ex eiusmodi matrimoniis sequuntur, tam magna sunt, ut ecclesia ea detestetur et non nisi aegre ab hac prohibitione dispenset [1]. Haec prohibitio est lex ecclesiastica universalis, quae non cessat, si in casu particulari nulla ex illis rationibus locum habet, ab quas matrimonia mixta prohibentur.

a. Haec prohibitio dicitur *impdimentum mixtae religionis;* hinc *matrimonium mixtum* seu matrimonium mixtae religionis est matrimonium, quod contrahitur inter catholicum et haereticum aut schismaticum.

b. Matrimonia mixta ecclesia semper detestata est; et antiquitus quidem ea nunquam permisit, nisi hac conditione, quod acatholicus promiserit, se ad veram fidem rediturum esse. Post ortum vero haeresis lutheranae ea etiam sine hac conditione permittere incepit, semper tamen certas cautiones exigit, sine quibus licentia ineundi matrimonium cum acatholico non conceditur.

2. *Rationes*, ob quas ecclesia matrimonia mixta detestatur et prohibet, sunt potissimum sequentes:

---

[1]) Cf. constitutio Benedicti XIV. *Magnae nobis* 29. iun. 1748.

a. Periculum perversionis, quod subit pars catholica; et licet non adsit periculum amittendae fidei, tamen adest saltem periculum indifferentismi.

b. Periculum perversionis, quod subit proles ex matrimonio mixto nascitura; et licet non educetur in haeresi, tamen adest saltem periculum neglectae educationis vere catholicae.

c. Scandalum ob magnam cum haereticis familiaritatem, quae propter contractam affinitatem evadit fere necessaria.

d. Periculum dissensionis atque adeo infelicis matrimonii, cum pax et concordia inter eos vigere vix possit, qui in rebus summi momenti, ut sunt religiosa fides et officia religiosa, animos habent dissidentes.

e. Magna deformitas, quam haec matrimonia continent, quia non parum deficiunt ab unione Christi et ecclesiae, cuius matrimonium esse debet signum et imago.

f. Communicatio in sacris, quam committunt contrahentes, dum pars catholica sacramentum administrat haeretico et vicissim ab haeretico sacramentum recipit. Cui insuper accedit, quod pars catholica sacramentum administret indigno et sic ad eius sacrilegium cooperetur.

3. **Matrimonia mixta quandoque licita evadere possunt: nam haec matrimonia sunt quidem intrinsecus mala, non ita tamen, ut aliquando non possint fieri licita. Et sane matrimonia mixta imprimis prohibentur *iure divino a.* quatenus coniugem catholicum et prolem ex matrimonio oriundam exponunt periculo perversionis; *b.* quatenus involvunt periculum dissensionis et *c.* quatenus continent periculum scandali; deinde prohibentur etiam iure *ecclesiastico;* atqui prohibitio iuris divini cessare potest, si in casu particulari cessat periculum perversionis, dissensus et scandali; prohibitio autem iuris ecclesiastici cessare potest per dispensationem s. pontificis. Porro haec dispensatio tum solum concedi potest, ubi periculum perversionis, dissensus et scandali aut omnino cessat aut saltem non est nisi remotum; et ubi insuper adest gravis ratio dispensandi.**

a. Sunt, qui dicant, matrimonium mixtum nunquam licitum esse posse, quia ab eo separari non potest vetita communicatio in sacris. Verum haec communicatio in sacris lege ecclesiastica prohibetur; concessa autem dispensatione ineundi matrimonium mixtum, eo ipso etiam haec communicatio in sacris permittitur. Quod autem pars catholica sacramentum administret indigno et insuper ad eius sacrilegium cooperetur, ex aliis principiis licitum esse posse ostenditur.

b. Scandalum eo ipso cessat, quod publice nota sit concessa dispensatio: eo ipso enim publice notum est, exhibitas fuisse necessarias cautiones et adesse gravem causam permittendi mala, quae ex matrimonio mixto sequuntur.

c. Causae, ob quas concedi solet dispensatio, ad has ab auctoribus revocantur: *α.* spes sopiendi graves discordias; *β.* spes alicuius magni boni pro ecclesia; *γ.* spes conversionis coniugis haecetici; *δ.* si mulier inter catholicos nequeat reperire coniugem paris conditionis[1]).

4. Licentia ad ineundum matrimonium mixtum etiam existente gravi causa non conceditur, nisi *debitae cautiones* praestentur: per has enim cautiones ecclesia praecavere intendit transgressionem legis naturalis et divinae; hinc earum *obiectum* est: *a.* ut universa proles in religione catholica educetur; *b.* ut parti catholicae plena libertas concedatur exercendi suam religionem; *c.* ut pars catholica promittat, se procuraturam esse conversionem partis acatholicae; quibus in nonnullis regionibus additur *d.* promissio utriusque partis non ineundi matrimonium coram ministello haeretico.

a. Cum impedimentum mixtae religionis sit lex universalis ecclesiae, solus summus pontifex in ea dispensare potest, et existente gravi causa reipsa, licet aegre, quandoque dispensat[2]).

b. Patet ab his cautionibus praestandis nunquam dispensari posse: illis enim non serio exhibitis matrimonium mixtum esset contra legem naturalem et divinam.

c. Etsi affirmari possit, matrimonium mixtum concessa dispensatione quandoque licite iniri posse, ordinarie tamen etiam supposita dispensatione non contrahitur sine peccato; ideo merito *Sporer:* „Quia communiter maiora mala inde quam bona oriuntur, idcirco reor, esse rarum casum, quo sint a parte rei et in individuo licita haec connubia."

d. Graviter peccat matrimonium mixtum contrahendo *α.* qui voluntatem habet permittendi educationem prolis in haeresi, aut manifesto periculo se exponit, ne proles in

---

[1]) Cf. *Ballerini-Palmieri* n. 1097.

[2]) Per se solum urgente vitae periculo episcopus dispensare potest; extra Italiam autem episcopi facultatem dispensandi plerumque accipiunt.

haeresi educetur; β. qui se exponit manifesto periculo perversionis; γ. qui non habet seriam voluntatem procurandi conversionem partis acatholicae.

5. Determinata *forma*, qua istae cautiones praestari debeant, ab ecclesia non praescribitur. Olim quidem scripto exarari aut iuramento firmari debebant; nunc autem sufficit ea promissio, quae in pactum deducta praebeat morale fundamentum de veritate executionis, ita ut prudenter eiusmodi executio expectari possit[1]). Statuta autem dioecesana quandoque scriptum vel iuramentum aut alias insuper cautiones exigunt.

Nota. Quia matrimonia mixta per se tum legi divinae tum legi ecclesiasticae adversentur et summus pontifex ea semper aegre ferat; quia insuper eiusmodi matrimonia ordinarie infelicem exitum sortiuntur: parochus omnem curam adhibebit, ut partem catholicam a contrahendo eiusmodi matrimonio avertat. Quodsi omnis conatus irritus erit, id saltem curabit, ut requisitae cautiones ita exhibeantur, ut certa spes praebeatur futurae executionis.

Quaestio quarta.

De impedimentis dirimentibus.

Articulus primus.

De impedimentis dirimentibus in genere.

27. Impedimenta dirimentia aut sunt iuris naturalis, aut divini aut ecclesiastici. Ecclesiam eamque solam habere potestatem statuendi impedimenta dirimentia matrimonium christianum, supra innuimus; iam quaeritur:

1. *Quinam in ecclesia impedimenta dirimentia statuere possint.*

---

[1]) S. Offic. 30. iun. 1842.

a. Certum est summum pontificem et concilium generale statuere posse impedimenta dirimentia tum pro universa ecclesia tum pro determinato territorio.

b. Episcopi et concilia particularia antiquitus quidem impedimenta dirimentia pro sua quisque regione statuere poterant; at nunc temporis summus pontifex hanc potestatem sibi reservavit.

2. Impedimenta iuris naturalis et divini omnes obligant, etiam infideles; impedimenta iuris ecclesiastici obligant solos christianos, eosque per se omnes tum catholicos tum etiam haereticos: sicut enim haeretici aliis legibus ecclesiae per se tenentur, ita nulla est ratio ab his legibus irritantibus generatim eos eximendi. Duplex tamen quaestio in specie instituitur:

a. An ecclesia velit, ut decretum clandestinitatis etiam haereticos obliget seu an matrimonia haereticorum clandestina invalida sint; de qua quidem quaestione infra sermo erit.

b. An ratione consuetudinis contrariae nonnulla impedimenta apud haereticos censeri possint abrogata: constat enim e. g. quartum gradum nec consanguinitatis nec affinitatis apud protestantes haberi tamquam impedimentum dirimens matrimonium. In hac autem quaestione solvenda auctores non consentiunt. Sententia eorum, qui negant, haec impedimenta contraria consuetudine abrogari posse, valde confirmatur recenti sacri officii decreto, quo edicitur: „nullum temporis spatium sufficit, ut lex tridentina vim obligandi amisisse censeatur per simplicem non observantiam haereticorum“ [1]).

3. Quia impedimenta dirimentia rationem legis irritantis habent, ab iis incurrendis ignorantia per se non excusat; quaeritur autem:

An impedimenta dirimentia, quae rationem poenae ha-

---

[1]) S. Officium.

bent, ab ignorantibus incurrantur. Quaestio ad impedimentum criminis potissimum refertur. Itaque

a. Sententia probabilis est, haec impedimenta non incurri ab iis, qui ignorant, illis criminibus dirimi matrimonium: nam magni nominis canonistae et praesertim plures moralistae affirmant, haec impedimenta principaliter habere rationem poenae vindicativae et quidem extraordinariae; ignorantia autem ab incurrenda poena eaque extraordinaria excusat. Cum haec sententia sit probabilis, aliquando usui esse potest.

b. Theoretice praeferenda videtur sententia eorum, qui docent, haec impedimenta aut non habere aut solum secundario habere rationem poenae; principaliter autem habere rationem inhabilitatis, quam etiam ignorantes contrahunt: ecclesia enim primario non ut delinquentes puniat, sed ut fidei coniugali prospiciat et coniugicidia impediat, haec impedimenta statuit. Secundario utique haec impedimenta etiam rationem poenae habent.

4. *An licitum sit, matrimonium inire cum impedimento dubio.* — Impedimentum dubium hic intelligitur impedimentum, quod non certo, sed probabiliter tantum existit. Porro dubium (probabilitas) potest esse iuris vel facti; et dubium iuris potest esse iuris divini aut iuris ecclesiastici. His praemissis *a.* licitum est, matrimonium inire cum impedimento dubio, si dubium est iuris idque ecclesiastici, quia in hoc casu ecclesia supplet; *b.* non licet matrimonium inire cum impedimento dubio, si dubium est iuris divini aut dubium facti, quia in his casibus ecclesia non supplet, et quidem si dubium est iuris divini, quia supplere non potest; si autem dubium est facti, quia non constat ipsam velle supplere; atqui non licet sacramentum exponere periculo nullitatis.

5. *An impedimenta dirimentia cessent in casu gravissimi incommodi privati.* — Leges ecclesiasticae irritantes proindeque impedimenta dirimentia cessare in casu gravissimi incommodi *communis*, omnes concedunt; easdem autem cessare in casu gravissimi incommodi privati, communiter

negatur. Sunt tamen, qui affirment, leges irritantes etiam in hoc casu cessare. Inde est, ut ab auctoribus diversimode solvatur casus, qui circumfertur nomine *casus perplexi*, quique a *s. Alphonso* (n. 613) ita proponitur: „sponsi accedunt ad ecclesiam ad contrahendum matrimonium et alter eorum manifestat confessario impedimentum occultum, dum omnia sunt parata et non possit sine scandalo et infamia matrimonium differri". Ad solvendum hunc casum satis difficilem plures viae ab auctoribus proponuntur; itaque

a. Si adiri potest episcopus, adeundus est, ut ipse dispenset: ex communi enim sententia in hoc casu episcopus ab impedimentis iuris ecclesiastici dispensare potest.

b. Si episcopus adiri non potest et poenitens sit in ignorantia invincibili impedimenti, omittenda est monitio et permittenda matrimonii celebratio, postea vero petenda est dispensatio.

c. Si poenitens sit in ignoratia vincibili vel impedimentum ipsum cognoscat, iuxta alios confessarius vel parochus declarare posset, leges ecclesiae etiam irritantes cum tanto incommodo non obligare et proinde ad celebrationem matrimonii procedi posse; postea vero petenda esset dispensatio ad cautelam.

d. Iuxta alios autem, qui censent leges irritantes nunquam cessare neque in casu gravissimi incommodi, permittenda est simulatio contractus matrimonialis, deinde petenda est dispensatio ab impedimento, qua obtenta clam ineundum est matrimonium.

6. Impedimenta dirimentia numerantur omnino *quindecim*, quae his versibus continentur:

1. Error, 2. conditio, 3. votum, 4. cognitio, 5. crimen,
6. cultus disparitas, 7. vis, 8. ordo, 9. ligamen, 10. honestas,
11. aetas, 12. affinis, 13. si clandestinus et 14. impos,
15. si mulier sit rapta loco nec reddita tuto.
Haec socianda vetant connubia, facta retractant.

Quoniam autem nomine *criminis* et pariter nomine *cognationis* tria comprehenduntur impedimenta, universim numerantur *undeviginti* impedimenta matrimonium dirimentia.

28. Impedimenta dirimentia diversimode *dividuntur:*

1. *Ratione originis* in impedimenta *iuris naturae, iuris positivi divini* et *iuris ecclesiastici* pro diversa auctoritate, quae impedimentum constituit.

2. *Ratione extensionis* in *absoluta,* quae matrimonium dirimunt cum qualibet persona: votum, ordo, ligamen, aetas, clandestinitas, impotentia absoluta; et *relativa,* quae matrimonium dirimunt solum cum certis personis: error, conditio, triplex cognatio, crimen, disparitas cultus, metus, honestas publica, affinitas, impotentia relativa, et raptus.

3. *Ratione dispensationis* in impedimenta *dispensabilia,* in quibus dispensari solet; et *indispensabilia,* in quibus aut dispensari non potest, aut non solet.

4. *Ratione finis immediati* in impedimenta *iuris publici,* quorum finis immediatus est bonum publicum, eo quod ad sanctitatem matrimonii intacte servandam ordinantur; ideo parochus ex officio illa investigare et quilibet, qui eorum notitiam habet, ea denuntiare tenetur; et impedimenta *iuris privati,* quae pro immediato fine habent bonum privatum; ideo parochus ea non curat, nisi a nupturientibus manifestentur, et illi tantum ea denuntiare debent, qui illis afficiuntur. Impedimenta iuris privati sunt: error, conditio, metus, impotentia; cetera sunt iuris publici.

5. *Ratione cognitionis,* quam alii de ipsis habent, in impedimenta *publica* et *occulta;* prout aut publice nota, aut omnino occulta vel tot solum personis nota sunt, ut „non sit prudens coniectura futura esse publica“.

Quaedam impedimenta *natura sua publica sunt,* scilicet consanguinitas, affinitas ex copula licita, publica honestas, cognatio spiritualis; quae quidem in ordine ad matrimonium contrahendum ut publica habentur, etsi per accidens occulta sint.

Articulus secundus.

De impedimentis dirimentibus in specie.

29. Quindecim impedimenta dirimentia ad quatuor classes revocari possunt:

1. Impedimenta, quae matrimonium dirimunt, ob defectum *validi consensus:* error, conditio, vis, raptus et aetas;

2. Impedimenta, quae matrimonium dirimunt ob defectum *materiae:* impotentia et ligamen; materia enim aut ideo deficit, quia deest obiectum contractus matrimonialis (impotentia), aut quia obiectum contractus iam alteri traditum est (ligamen).

3. Impedimenta, quae matrimonium dirimunt, ob defectum *formae* ab ecclesia praescriptae: clandestinitas.

4. Impedimenta, quae matrimonium dirimunt ob defectum *habilitatis personarum.* Inhabilitas contrahentium ex diversis fontibus oriri potest: *a.* ex reverentia propinquis debita: cognatio, affinitas, honestas publica; *b.* ex repugnantia cum alio statu libere electo: ordo sacer, votum solemne; *c.* ex reverentia sacramento debita: crimen, cultus disparitas. De his omnibus iam ordine agendum est.

§ 1. Error.

30. 1. *Error substantialis* dirimit; error *accidentalis* non dirimit matrimonium; et error quidem substantialis matrimonium dirimit, etsi tantum concomitans sit, quia etiam in hoc casu deest consensus in obiectum contractus seu in determinatam personam; error autem accidentalis non dirimit matrimonium, etsi antecedens sit, quia adest consensus in obiectum contractus seu in determinatam personam. Insuper quilibet consetur contractum ad eum modum inire, quem exigit eius natura; atqui natura contractus matrimonialis, utpote constituentis statum indissolubilem, exigit, ut matrimonium solum propter errorem substantialem constituatur invalidum: alias enim innumera matrimonia postea in damnum boni communis deprehenderentur invalida.

2. Hoc impedimentum matrimonium dirimit *iure naturae:* qui enim in substantia contractus errat, non consentit in rem, circa quam fit contractus; consensus autem in obiectum contractus ex ipsa natura contractus requiritur.

31. 1. Error circa ipsam *naturam vel proprietatem essentialem matrimonii* est error substantialis, quia contrahens cum tali errore non consentit in verum matrimonium.

Qui ergo matrimonium init putans, illud omnino aliud esse ac revere est e. g. non tradi ius in corpus, sed aliquid aliud, vel matrimonium esse solubile, non contrahit. Qui tamen verum matrimonium inire vel more aliorum contrahere intendit, valide contrahit, etsi essentialem eiusdem obligationem ignoret, et etsi putet, aliam esse eius obligationem: habet enim duas intentiones, aliam generalem ineundi verum matrimonium, aliam erroneam ineundi e. g. matrimonium solubile; iam vero intentio illa generalis praevalet.

2. Error circa *ipsam personam* est error substantialis: deest enim necessarius consensus, cum nempe in aliam prorsus personam feratur.

Qui ergo ex errore cum alia persona contrahit, non cum ea, quam ipse intendit, ut si quis contrahit cum Lia putens esse Rachelem, non contrahit, etsi cognita veritate nihilominus contraxisset.

3. Error *circa qualitatem personae, quae redundat in ipsam personam,* est error substantialis. In duplici autem casu error circa qualitatem in ipsam personam redundare censetur: *a.* si qualitas est *conditio consensus* i. e. si consensus solum datur dependenter ab existentia alicuius qualitatis, ut si quis nolit ducere Bertham nisi sit nobilis: deficiente enim hac qualitate deficit conditio, sine qua non datur consensus. *b.* Si qualitas est *determinativa personae* i. e. si qualitas in mente contrahentis determinat personam alias ignotam, cum qua contrahere intendit. „Ut si quis animo consentiat contrahere cum primogenita Titii, offeratur autem postea secundogenita, quae primogenitam se esse simulat, nullum erit matrimonium.“

4. Error *circa qualitatem personae, quae non redundat in ipsam personam,* est accidentalis nec irritat matrimonium, etsi sit antecedens, imo etsi dolo causatus sit, quia non deest consensus substantialis.

a. Ergo si quis ducit Annam putans eam esse nobilem, virginem, divitem, sanam, cum non sit, valet matrimonium, etsi falso asserenti id credidisset.

b. Etsi in aliis contractibus error antecedens dolo causatus contractum reddat invalidum seu rescindibilem, matrimonium tamen non reddit

invalidum, modo error non redundet in personam, propter naturam et indissolubilitam huius contractus.

§. 2. *Conditio.*

32. Impedimentum, quod vocatur *conditio* (scilicet servilis) in eo consistit, quod, si homo liber ignoranter contrahat cum servo, matrimonium sit nullum[1]).

a. Nomine *conditionis* intelligitur servitus stricte dicta, quae cum hodie extra imperium turcicum non amplius vigeat, hoc impedimentum minoris est momenti.

b. Licet error circa qualitatem personae, quae non redundet in ipsam personam, matrimonium non dirimat excipiendus tamen est de iure ecclesiastico error circa qualitatem conditionis servilis.

1. Hoc impedimentum est *iuris ecclesiastici;* ex quo sequitur validum esse matrimonium initum inter infidelem liberum et servam infidelem, etsi pars libera ignoret conditionem servilem alterius partis.

Ecclesia hoc impedimentum statuit ad praecavenda incommoda, quae parti liberae ex eiusmodi matrimonio sequerentur: „adversatur enim, ait *Busenbaum: a.* bono sacramenti, cum servus invito domino nequeat cohabitare coniugi; *b.* bono fidei coniugalis, cum non possit solvere debitum ad libitum alterius; *c.* bono prolis, cum servus omnia acquirat domino“.

2. Ut ignorantia circa conditionem servilem matrimonium dirimat, tria requiruntur: *a.* servitus, eaque perfecta unius partis; *b.* libertas alterius partis; *c.* ex parte libera ignorantia servitutis alterius partis.

Ex his sequitur validum esse matrimonium initum inter duas partes servituti subiectas, et pariter validum esse matrimonium initum inter partem liberam et servam, si pars libera conditionem servilem alterius partis cognoscit.

§. 3. *Vis seu metus.*

33. Impedimentum *metus* in eo consistit, quod matrimonium cum eo initum, qui gravem metum in ordine ad contrahendum iniuste incussum passus est, invalidum sit.[2])

a. Termino *vis* non intelligitur coactio absoluta, quae solum actibus externis renitente interius voluntate inferri potest, quae proinde volun-

---

[1]) Lib. 4. decret. t. 9.

[2]) C. Cum locum 14. de spons. et matr.

tarium tollit, sed coactio conditionalis, quae voluntatem ad volendum movet, sub comminatione mali, et quae proinde a metu non differt. Impedimentum igitur vis proprie ad *metum* reducitur, et ad illum quidem metum, qui consensum minuit, sed non tollit.

b. Matrimonium ex gravi metu initum non ideo ab ecclesia declaratur invalidum, ac si deesset verus consensus; sed verum consensum, metu tamen extortum, ipsa declarat invalidum. Ideo autem in matrimoniis ineundis ecclesia postulat consensum a metu gravi prorsus immunem, ut plenae matrimoniorum libertati consulatur, sine qua matrimonia fausta esse nequeunt.

1. Ut metus certo matrimonium dirimat, debet esse *a.* gravis; *b.* iniustus; *c.* incussus in ordine ad matrimonium.

a. Gravis; metus non solum absolute set etiam relative gravis matrimonium dirimit; metus autem *levis* matrimonium non dirimit.

Sunt quidem, qui dicant, etiam metum levem dirimere matrimonium: verum etsi concederetur, hanc sententiam esse probabilem, pro praxi tamen nihil valeret, quia in foro externo in dubio standum est pro valore actus.

Si dubium est, an metus censendus sit gravis, standum est pro valore matrimonii, tum ex generali principio tum propter reverentiam sacramenti.

b. Iniustus; metus iniuste incussus dicitur *α.* si quis minatur malum, cuius inferendi ius non habet; *β.* si quis mendacio fingit, alteri grave malum imminere, ut obtineat eius consensum matrimonialem.

c. Incussus in ordine ad matrimonium; nihil autem refert, an incussus sit ab alio contrahente, an ab aliquo tertio e. g. a patre eius: libertas enim aeque laeditur, sive metus ab altero contrahente sive ab aliquo tertio incutiatur.

An metus gravis, sed non incussus ad extorquendum consensum, matrimonium dirimat, non constat inter auctores. Concedunt quidem valere matrimonium, si metus iuste incutiatur; quodsi metus iniuste incutiatur, contendit *Lugo* contra *Sanchez,* matrimonium esse invalidum, quam Lugonis sententiam *s. Alphonsus* dicit veriorem. Metus enim iniuste incussus, etsi non ad extorquendum consensum, efficit, ut alii contractus sint rescindibiles; sed ratio, quae alios contractus facit rescindibiles, matrimonium, quod rescindi non potest, reddit invalidum.

An metus reverentialis dirimat matrimonium. — **Omnes concedunt metum reverentialem, si *gravis* sit et iniuste incussus in ordine ad contrahendum, dirimere matrimonium. Quare si e. g. filia timet odium grave patris aut gravem indignationem aut patrem ipsam durissime tractaturum esse, vel si indesinenter fiunt preces importunae, matrimonium ex hoc metu initum invalidum est.**

Quodsi nihilominus dissidium inter auctores in hac quaestione existit, illud magis ad modum loquendi quam ad rem ipsam referendum est: alii enim concedunt, metum reverentialem etiam gravem esse posse; alii autem contendunt, metum reverentialem natura sua semper levem esse, et affirmant illum metum, quem alii reverentialem gravem dicunt, non esse metum mere reverentialem, sed metum mixtum ex reverentiali et non reverentiali.

2. **Metum dirimere matrimonium *iure ecclesiastico* certum est, an etiam iure naturae controvertitur.**

Qui id *negant,* in hunc modum argumentantur: metus iste non aufert voluntarium, cum sufficientem deliberationem non impediat; ergo adest consensus, qui ad valorem contractus matrimonialis de iure naturae requiritur. Qui id *affirmant,* concedunt adesse consensum, qui de iure naturae ad valorem aliorum contractuum requiritur; contractus autem matrimonialis natura sua exigit plenam omnino libertatem in contrahendo: alii enim contractus initi ex metu iniuste incusso sunt rescindibiles; cum autem matrimonium rescindi non possit, requiritur, ut ab initio sit invalidum. Utraque sententia probabilis est.

3. **Ex his sequitur, impedimentum hoc esse prorsus *indispensabile;* quare solum causa metus sublata matrimonium iniri vel invalide initum convalidari potest: quamdiu enim durat metus iniuste incussus, durat etiam inhabilitas ad contrahendum.**

§. 4. Raptus.

34. **Impedimentum *raptus* in eo consistit, quod inter virum, qui mulierem invitam matrimonii ineundi causa abducit, et mulierem abductam, quamdiu in potestate raptoris existat, matrimonium sit nullum.**

a. Raptus prout est impedimentum dirimens matrimonii definitur: mulieris invitae abductio matrimonii ineundi gratia.

b. Etsi cum raptu plerumqne coniunctus sit metus gravis, impedimentum tamen raptus non ratione metus iniuste incussi matrimonium dirimit, sed est impedimentum speciale a metu distinctum.

1. Impedimentum raptus est *iuris ecclesiastici* tantum, quod statuitur a concilio tridentino[1]). Et quamvis concilium hoc impedimentum statuens intendat etiam punire raptores, non est tamen impedimentum poenale, sed primario statutum est, ne mulier rapta ex metu in matrimonium consentiat, ideoque ad tuendam libertatem consensus matrimonialis.

2. Ut raptus matrimonium dirimat, requiruntur sequentes *conditiones:*

a. Ut sit abductio *mulieris* non viri: concilium enim solum loquitur de raptu mulieris, qui fiat a viro; ideo matrimonium inter mulierem raptricem et virum raptum non est invalidum.

b. Ut sit *vera abductio;* ad hoc autem requiritur, ut fiat abductio de loco in locum ideoque saltem de domo in domum, etsi non longe distantem; at nihil refert, utrum raptor per se, an per alium raptum exequatur.

c. Ut sit *violenta* abductio, quae nimirum fiat invita et repugnante muliere: si enim mulier consentit in abductionem, potius fuga est, quam raptus, quae non dirimit matrimonium, etsi invitis parentibus fiat.

Violenta autem censetur abductio *α.* si fiat per vim physicam vel per metum gravem iniuste incussum; *β.* si fiat fraude et dolosa sollicitatione, etsi consentiente mulieri; at non est violenta, si mulier precibus, blanditiis, muneribus, promissionibus inducatur ad fugiendum.

d. Ut fiat *matrimonii ineundi causa;* concilium enim statuens hoc impedimentum id praecipue intendit, ut salvetur libertas consensus matrimonialis. Si ergo ex alia ratione e. g. solum libidinis explendae gratia abducitur mulier, non oritur impedimentum matrimonii.

3. Hoc impedimentum solum existit *inter raptorem et mulierem raptam;* non autem inter raptam et alios viros, qui e. g. raptum in alterius favorem executi sunt.

4. Impedimentum tamdiu existit, quamdiu mulier *sub potestate raptoris est,* etsi post raptum libere in matrimonium consentiat; cum primum vero libertate donata est,

---

[1]) Sess. 24. de ref. mat. c. 6.

cessat impedimentum absque dispensatione; hinc si extra raptoris potestatem constituta libere consentiat, eam raptor sibi in uxorem habere potest. Nihil autem refert, utrum raptor per se, an per alios mulierem raptam in sua potestate detineat.

§. 5. *Aetas.*

35. Impedimentum *aetatis* in eo consistit, quod matrimonium ante pubertatem initum nullum sit, nisi malitia suppleat aetatem.

a. Pueri ergo ante 14, puellae autem ante 12 aetatis annum completum validum matrimonium inire nequeunt.

b. Ex duplici ratione maior aetas ad valorem matrimonii quam sponsalium requiritur, quia matrimonium tum maiorem iudicii maturitatem tum etiam potentiam generandi postulat. Iure naturae quidem ad validum matrimonium ineundum sufficit potentia generandi remota; iure ecclesiastico autem potentia proxima requiritur; quod tamen non ita intelligendum est, ut matrimonium inter puberes sit invalidum, si nondum proxime ad generandum habiles sint.

1. Hoc impedimentum matrimonium dirimit *iure ecclesiastico*, quod annos pubertatis ad validum matrimonium expresse requirit, nisi malitia suppleat aetatem[1]).

a. Ante 7. aetatis annum completum matrimonium iure naturae nullum est; post 7. aetatis annum completum matrimonium iure naturae quidem validum est, si adest sufficiens cognitio obligationis eiusque perpetuae, quae suscipitur; iure ecclesiastico autem ante pubertatem nullum est, etsi ad pubertatem pauci solum dies deessent. Hinc inter infideles matrimonia impuberum, si aliud non obstet impedimentum, valida sunt.

b. Si malitia supplet aetatem, matrimonium ante pubertatem etiam sine dispensatione validum est; ut autem licite tunc iniri possit, requiritur, ut iudex ecclesiasticus (episcopus) declaret, malitiam supplere aetatem. Malitia dicitur supplere aetatem, si haec duo simul adsunt: *α.* sufficiens discretio seu cognitio obligationum matrimonii et *β.* actualis potentia generandi.

---

[1]) Ex pluribus locis iuris canonici e. g. c. *Continebatur* 6.

c. Si malitia non supplet aetatem, matrimonium ante pubertatem initum sine dispensatione invalidum est, habetur autem pro sponsalibus.

d. Si contrahentes habent quidem legitimam aetatem, at nondum proxime habiles sunt ad generandum, matrimonium validum est: matrimonium enim ante pubertatem solum iure ecclesiastico invalidum est; hoc ius autem ad validum matrimonium ex parte aetatis directe aliud non requirit, nisi annos pubertatis; etsi ipsos annos pubertatis ideo requirat, quia cum pubertate solet incipere proxima potentia generandi.

2. Quia hoc impedimentum est iuris ecclesiastici, summus pontifex per se in eo dispensare potest et reipsa ex gravissima causa quandoque dispensavit; quia tamen dispensatio rarissime conceditur, hoc impedimentum inter ea numeratur, in quibus *dispensari non solet.*

§. 6. Impotentia.

36. Impedimentum *impotentiae* in eo consistit, quod matrimonium inter eos, qui inhabiles sunt ad copulam per se ad generationem aptam, nullum sit.

a. Impotentia stricte accepta prout est impedimentum dirimens definitur: inhabilitas perficiendi copulam ad generationem prolis requisitam. Duo autem ad copulam, quae ad generandam prolem sufficiat, requiruntur, ut in viro adsit semen in muliere ovum et ut copula carnalis haberi possit.

b. Ex recentiorum physiologorum sententia ad generationem non requiritur, ut semen virile intra vas femineum effundatur, sed sufficit, ut ad os vaginae affundatur. An impotentes habendi sint, qui ex qualicunque causa ordinariam copulam cum penetratione vasis feminei habere non possunt, nondum definitum est, sive causa huius impotentiae sit imperfectio organorum virilium sive arctitudo vasis muliebris. Iure naturae quidem non videntur esse impotentes; iure ecclesiastico autem res non est definita.

c. Causae impotentiae variae sunt; ex parte viri quidem, potissimum si testiculis caret, vel si organum virile adeo imperfecte formatum est, ut copulam habere non possit; ex parte mulieris, si utero et vagina caret, si vagina est nimis arcta vel prorsus obstructa; ex parte utriusque si abominatio viri erga mulierem et vicissim mulieris erga virum tanta est, ut copula perfici non possit.

Impotentia est:

a. Perpetua aut *temporalis* prout mediis humanis licitis nec graviter periculosis tolli potest aut non potest.

Ex decretali *Fraternitatis* (l. 4. tit. 15. c. 6.) censetur perpetua illa impotentia, quae removeri non potest absque periculo mortis.

b. Absoluta aut *relativa* prout habetur aut relate ad quamcunque personam, aut tantum relate ad determinatam personam. Impotentia relativa potest esse perpetua i. e. fieri potest, ut non existant media, per quae determinatae personae aptae fiant ad copulam inter he habendam.

c. Antecedens aut *consequens* prout matrimonium antecedit, aut contracto demum matrimonio oritur.

d. Naturalis aut *accidentalis* prout a natura seu a naturali corporis constitutione, aut ex causa accidentali e. g. ex morbo originem ducit.

1. Impotentia *perpetua* et *antecedens* dirimit matrimonium, si *absoluta* est, cum quavis persona, si relativa est, cum illa, quacum copula haberi nequit: licet enim copula carnalis non sit de essentia matrimonii, potentia tamen ad copulam habendam vere est de eiusdem essentia, siquidem obiectum contractus matrimonialis est corpus quatenus aptum est ad copulam coniugalem.

2. Impotentia *temporalis* quaevis et pariter impotentia *consequens* non dirimit matrimonium: et prior quidem, quia non facit simpliciter ineptum ad actum coniugalem, sed solum ad tempus; qui autem simpliciter aptus est ad perficiendam copulam, per se habilis est etiam ad contrahendum, nisi ab ecclesia impediatur, ut reapse impediuntur impuberes. Posterior autem matrimonium non dirimit, quia supervenit matrimonio valido, quod est indissolubile.

Ergo valide quidem contrahunt *steriles*, quia potentiam peragendi copulam habent, etsi careant potentia generandi; invalide autem contrahunt *eunuchi*, quia inepti sunt ad habendam copulam per se aptam ad generationem: hi enim semine prorsus carent; sine semine autem copulam per se ad generationem apta haberi nequit; illi vero semine non carent, etsi hoc per accidens ob senium non sit amplius prolificum.

An impotens sit femina, quae utroque ovario caret.

a. Femina, quae utroque ovario sive a nativitate sive per extirpationem prorsus caret, adeo ut ovum produci omnino nequeat, dicenda est impotens: eius enim copula per se non solum per accidens ad generandam prolem insufficiens est. Eiusmodi mulier, quae ovariis prorsus caret, comparanda est viro, qui nullum semen producere potest et ideo impotens est.

b. Si mulier, cui per operationem chirurgicam extirpatum est utrumque ovarium ex declaratione s. officii (3. febr. 1887) impedienda non est a contrahendo matrimonio, id ob hanc fortasse rationem dictum est, quia ex iudicio medicorum in ordinariis operationibus chirurgicis aliquid ovarii remanet, quo mulier per se apta est ad producendum ovulum atque adeo ad concipiendam prolem.

3. Hoc impedimentum est *iuris naturae:* ius enim naturae exigit, ut contrahentes sibi mutuo dent potestatem ad actum coniugalem; illam autem dare non potest, qui eam non habet.

Quid agendum sit, quando impotentia est certa et quando est dubia.

1. Si impotentia antecedens *certa* est, statim propria coniugum auctoritate facienda est separatio quoad torum; omnimoda autem separatio absque iudice ecclesiastico fieri non potest, quare ad iudicem ecclesiasticum recurrendum et impedimentum rite probandum est; quo facto index sententiam de nullitate matrimonii feret.

2. Si impotentia *dubia* est (dubio positivo), pars dubitans *ante matrimonium* contrahere nequit, nisi re diligenter investigata dubium deposuerit, ne exponat se periculo frustrandi contractum matrimonialem et sacramentum.

3. Si impotentia *dubia* est *post matrimonium* (sive dubium supervenerit sive praecesserit), coniugibus ab ecclesia conceditur *triennalis experientia,* quo tempore debitum petere et reddere possunt, ut hac ratione constet, utrum impotentia revera adsit. Elapso demum triennio, si de impotentia constat, matrimonium declaratur solutum.

4. Si constat, matrimonium non fuisse consummatum, facilior et brevior exstat via solvendi matrimonium, nimirum petendo potius dispensationem in matrimonio rato non consummata, quam declarationem nullitatis, quia impotentia antecedens et perpetua difficulter probari potest.

De hermaphrodismo[1]).

37. Ut status quaestionis poteat, distinguendus est hermaphrodismus perfectus, imperfectus et improprie dictus.

a. Hermaphroditi proprie dicuntur homines, qui utriusque sexus participes sunt, ideoque in opere generationis pro lubitu vel virum vel feminam agere possunt. Eiusmodi hermaphroditos veros atque *perfectos* nunquam exstitisse nec existere unquam posse, hodie ex physiologiae legibus certum est; at hermaphroditos imperfectos et improprie dictos existere et antea exstitisse experientia compertum est.

Ergo *antiquorum de hermaphroditis doctrina,* quam *s. Alphonsus* ex Busenbaum ita proponit: „si alter sexus emineat, secundum illum tantum valebit matrimonium; si uterque sit par, optio illis datur, utrolibet utantur, ita tamen, ut quem semel elegerint, semper retineant“ — haec inquam doctrina haberi debet tamquam antiquata.

b. Hermaphroditi *improprie dicti* sunt homines determinati quidem sexus, qui vero praeter organa sua propria aliquo ex organis essentialibus alterius sexus donati sunt e. g. mas ovario vel utero femineo, femina testiculo virili. Hi quidem ad opus generationis perficiendum non sunt inepti.

c. Hermaphroditi *imperfecti* dicuntur homines dubii sexus, qui nec veri mares nec verae feminae sunt, cum utriusque sexus organa, sed imperfecte et monstruose formata praeferant. Hi ad opus generationis perficiendum inepti sunt, cum in eo nec virum nec feminam agere possint[2]).

§. 7. Ligamen.

38. Impedimentum *ligaminis* in eo est, quod coniux vinculo matrimonii ligatus non possit validum matrimonium inire, nisi prius matrimonium rite fuerit solutum: qui enim ius in corpus suum uni iam tradidit, non potest idem ius alteri tradere, nisi prior contractus legitime solutus sit.

a. Nomine *ligaminis* intelligitur vinculum matrimoniale.

b. Impedimentum hoc fundatur in dogmate de unitate et indissolubilitate matrimonii, quare *iuris divini* est, si vir aliud matrimonium inire attentat vivente adhuc uxore; si autem uxor matrimonium inire attentat vivente adhuc viro, impedimentum *iuris naturae* est.

1. Ut secundum matrimonium *valide* iniri possit, requiritur, ut prius matrimonium *vere* solutum sit. Quadruplex exstat modus quo vinculum matrimonii solvi potest: vel per mortem prioris coniugis, vel per professionem re-

---

[1]) Hermaphroditus (ἑρμαφρόδιτος) dicitur homo, qui a Mercurio (Ἑρμῆς) et Venere (Ἀφροδίτη) natus utriusque sexus particeps est.

[2]) Cf. *A. Eschbach,* Disputationes physiolog. theolog. p. 52.

ligiosam, vel per dispensationem pontificiam, vel per privilegium paulinum.

2. Ut secundum matrimonium *licite* iniri possit, requiritur, ut *morali certitudine* constet, prius matrimonium vere solutum esse, nec sufficit probabilitas de obitu coniugis licet maxima: sacramentum enim extra casum necessitatis exponi non licet periculo nullitatis. Quare secundum matrimonium initum absque certa cognitione de dissolutione prioris graviter quidem illicitum, sed tamen validum est, si prius matrimonium revera solutum sit.

3. De comparanda morali hac certitudine nulla existit difficultas, si agitur de dissolutione matrimonii per professionem religiosam vel per dispensationem pontificam vel per privilegium paulinum; circa modum autem probandi obitum prioris coniugis, ut certo constet de dissolutione prioris matrimonii, plures instructiones s. Officii prodierunt, ex quibus haec habentur: *a.* non sufficit diutina absentia unius coniugis, nec sola fama de eius obitu, nec unius testis affirmatio, nec tandem declaratio mortis facta a iudice saeculari; sed *b.* requiritur probatio positiva eaque legitima ideoque aut documentum authenticum (legaler Todtenschein), aut si hoc haberi nequeat, requiruntur testimonia plurium testium, aut saltem plura indicia, quae simul sumta sufficiant ad moralem certitudinem exhibendam.

4. Si adest certitudo moralis de morte coniugis, potest parochus absque ulteriori dispensatione seu licentia matrimonio assistere; quodsi de morali hac certitudine ei non constat, rem deferre debet ad ordinarium.

§. 8. *Clandestinitas.*

39. Impedimentum *clandestinitatis* in eo consistit, quod matrimonium clandestine i. e. sine sollemnitate ab ecclesia praescripta initum in locis, in quibus promulgatum est decretum tridentinum *Tametsi*, invalidum sit.

a. Sollemnitas seu forma ineundi matrimonii ab ecclesia praescripta est, ut *coram proprio parocho et duobus saltem testibus* contrahatur.

b. Etsi iure naturae ad valide ineundum matrimonium aliud non requiratur, nisi mutuus contrahentium consensus; ecclesia tamen semper detestata est et illicita declaraverat matrimonia clandestina, quae scilicet non contrahuntur publice in facie ecclesiae[1]); ea tamen ante concilium tridentinum non irritaverat; concilium autem tridentinum, volens occurrere malis et peccatis, quae ex clandestinis coniugiis oriuntur, ea non solum illicita, sed etiam irrita et invalida declaravit, capite celeberrimo *Tametsi*[2]).

c. Sponsi ergo, qui in locis, ubi lex tridentina non viget, extra casum necessitatis non in facie ecclesiae sed clam inter se solos aut coram solo magistratu civili contrahunt, graviter peccant; licet eorum matrimonium validum sit.

d. Matrimonium clandestine initum in locis, ubi viget decretum tridentinum, neque *vim sponsalium* habet; nulla ergo ex eo oritur obligatio[3]).

1. Ut invalida sint matrimonia clandestina, ex voluntate concilii tridentini haec requiruntur: *a.* decretum promulgatum esse debet in ipsa parochia, in qua celebratur matrimonium, et quidem *b.* tamquam decretum concilii, ac tandem *c.* decretum triginta demum diebus post factam primam promulgationem valere incipit.

a. Promulgationem in singulis parochiis faciendam statuit concilium, ne haeretici, qui decretum nunquam promulgaturi erant, eo afficerentur.

b. Ubi ergo nondum sunt erectae parochiae ut in regionibus missionum, decretum tridentinum promulgari nequit; quare valida ibi sunt matrimonia fidelium sine sacerdote et testibus inita.

c. Non sufficit, ut haec lex tridentina in synodo provinciali aut dioecesana promulgetur, nec sufficit, ut in singulis quidem parochiis, sed ut lex synodi provincialis aut dioecesanae promulgetur.

d. Factum promulgationis debet esse *certum;* promulgatio tamen praesumitur, si decretum per aliquod tempus in parochia tamquam decretum concilii observatum fuerit[4]).

An consuetudo, qua decretum tridentinum in aliqua parochia observatur, aequivaleat promulgationi. α. Si dubi-

---

[1]) Concil. later. IV. sub Innocentio III.

[2]) Sess. 24. de ref. m. c. 1.

[3]) S. C. C. 17. mart. 1879.

[4]) S. C. C. 29. sept. 1602.

tatur, num promulgatio rite fuerit facta, consuetudo praesumtionem parit, ideoque in hoc casu decretum censetur promulgatum.

β. Si certo constat, decretum non fuisse rite promulgatum, sed solum consuetudine introductum fuisse, auctores non eiusdem sunt sententiae: alii enim matrimonia clandestina pro validis, alii, iique plures, pro invalidis habent.

e. Si alteruter coniugum a lege tridentina exemtus est, e. g. ratione loci, in quo habitat, exemtionem, qua ipse fruitur, alteri parti communicat: matrimonium enim est res individua, quocirca ius unius communicatur alteri, nisi lex aliud statuat. Hinc si unus contrahentium habitat in loco, in quo lex tridentino viget, alius in loco, ubi non viget, et contrahunt in loco exemto observatio legis tridentinae ad valorem matrimonii non requiritur[1]).

f. Matrimonia ergo *clandestina invalida non sunt* in locis, ubi decretum tridentinum aut nunquam promulgatum, aut usu non receptum aut contraria longi temporis consuetudine abolitum fuit, etsi unus tantum sposorum ibi domicilium vel quasi domicilium habeat, alius vero in loco, ubi viget lex tridentina. Ex quibus sequitur, matrimonium *civile*, si aliud non obstat, in his locis validum esse matrimonium.

2. Lex irritans matrimonia clandestina *localis* est inhaerens territorio, unde duo sequuntur: *a*. Lex obligat omnes, qui contrahunt in loco, ubi illa viget, etsi ibi non habeant domicilium nec quasi domicilium, sed illud habeant in loco, ubi decretum tridentinum non viget. Huius rei ratio est, quia ad leges communes servandas etiam peregrini tenentur, quamvis veniat e loco exemto; lex autem tridentina ex intentione ecclesiae est lex universalis, etsi ad actualem eius obligationem ecclesia voluerit, ut in singulis parochiis publicaretur. Insuper ad servandas leges latas circa contractus omnes tenentur tum incolae tum peregrini. *b*. Si aliqua parochia, in qua lex triden-

---

[1]) Benedictus XIV. De syn. l. 6. c. 6. n. 12.

tina promulgata fuerat, in duas dividitur, aut si aliqua pars a territorio parochiali divellitur, non opus est nova promulgatione; si econtra ad parochiam legi tridentinae subiectam accedit aliquod territorium, hucusque ab eadem lege immune, illud suam immunitatem retinet, proindeque parochia ex duabus partibus constat, in quarum alia matrimonia clandestina valida, in alia autem invalida sunt.

An lex tridentina sit personalis i. e. an obliget eos, qui habentes domicilium aut quasi domicilium in loco, ubi lex tridentina viget, contrahunt in loco, ubi non viget.

a. Si alteruter in loco exemto domicilium aut quasi domicilium acquisivit, eoque acquisito contrahit, valet matrimonium, etsi in fraudem legis in locum exemtum migraverint: per domicilium enim fiunt participes privilegii, quo incolae loci fruuntur.

b. Si in fraudem legis in locum exemtum migraverint et nullo acquisito domicilio contrahunt, non valet matrimonium[1]). Dicuntur autem in fraudem legis in locum exemtum se conferre, qui aut unice aut principaliter ad contrahendum matrimonium eo se conferunt.

c. An valeat matrimonium, si unus saltem contrahentium in locum exemtum se confert, non nubendi causa, sed in alium finem e. g. ad negotium gerendum vel sanitatis aut voluptatis causa, auctores disputant. Et quoniam sententia affirmans validitatem matrimonii est certe probabilis, matrimonium practice dicendum est validum, id quod ex iis sequitur, quae supra de impedimentis dubiis dicta sunt.

Ceterum negari non potest, sententiam, quae matrimonium in hoc casu validum esse affirmat, cum principiis iuris apprime cohaerere: peregrini enim non tenentur legibus loci sui, si extra illum versantur in loco exemto, id quod praesertim de contractibus valet, in quibus ineundis servare debent leges loci, in quo versantur.

---

[1]) S. C. C. 14. aug. 1627, cuius decretum ab Urbano VIII. confirmatum et a Benedicto XIV. 19. mart. 1758 innovatum est.

3. Elenchum locorum, in quibus decretum tridentinum promulgatum est, exhibet *Lehmkuhl* (n. 788), ex quo suae quisque parochiae legem cognoscere potest.

An cesset impedimentum clandestinitatis in gravi necessitate, si parochus adiri non possit.

a. Si impotentia adeundi parochum in aliquo loco sit *communis*, ex omnium sententia cessat impedimentum. Iam si praevidetur, parochum aut alium sacerdotem, qui eius vices subeat, *intra spatium unius mensis* adiri non posse, censetur adesse illa impotentia, in qua impedimentum cesset. Quodsi non adsit parochus, matrimonium saltem coram duobus testibus iniri debet, ut validum sit.

b. Si impotentia adeundi parochum sit *particularis*, censet *Ballerini* (n. 1199) probabilem esse sententiam, quae affirmat, in gravi necessitate impedimentum cessare[1]).

40. *De matrimoniis clandestinis haereticorum.*

1. Valida sunt in locis, in quibus decretum tridentinum nunquam promulgatum aut nunquam receptum est.

Auctores communiter docent, matrimonia haereticorum valida esse etiam in iis locis, in quibus lex tridentina olim promulgata per contrariam longi temporis desuetudinem abrogata fuit; et hanc suam doctrinam confirmant ex litteris Pio VII. ad archiepiscopum moguntinum (8. oct. 1803) affirmantis matrimonia mixta coram ministro acatholico contracta valida esse in locis, in quibus decretum tridentinum in desuetudinem abiit. Attamen decretum s. officii nuper editum declarat, legem tridentinam vim obligandi non amittere, eo quod ab haereticis non observetur.

2. Valida sunt in locis, pro quibus data, vel ad quae extensa est *declaratio benedictina.*

a. Declaratio benedictina dicitur constitutio *Benedicti XIV. Matrimonia* (4. nov. 1741), qua summus pontifex declarat et statuit, matrimonia in foederatis Belgii provinciis *inter haereticos* contracta et in posterum contrahenda, etiamsi forma tridentina in iis celebrandis non fuerit servata, dummodo aliud non obstiterit impedimentum,

---

[1]) Exemplo sit, si virgo clandestine contrahat, ne ab iniquo tutore tradatur viro indignissimo; vel si parochus fugiat, ne assistat matrimonio, quod prohibet lex civilis. Cf. n. 27. 5.

pro validis habenda esse. Idem declarat etiam de matrimoniis *mixtis*, quae a catholicis cum haereticis contrahuntur.

b. Haec declaratio initio pro Hollandia data postmodum speciali s. sedis declaratione ad plures alias regiones extensa est. Elenchum locorum, ad quae declaratio benedictina extensa est, exhibet *Lehmkuhl* n. 785 s.

c. Utrum constitutio haec Benedicti XIV. rationem habeat *dispensationis* a lege tridentina, an potius sit, eiusdem legis *interpretatio*, qua summus pontifex declarat, matrimonia haereticorum et matrimonia mixta in illis locis semper valida fuisse, disputant. Attamen praeferenda est sententia, quae tenet, matrimonia illa semper valida fuisse. Ratio autem, ob quam summus pontifex haec matrimonia valida declarat, est dubium satis fundatum circa promulgationem decreti tridentini apud haereticos illarum regionum; promulgatio autem decreti dubia non sufficit ad irritanda matrimonia.

3. An valida sint in locis, ubi decretum tridentinum viget, controvertunt.

a. Decretum tridentinum viget pro haereticis illarum regionum, in quibus illi eo tempore, quo decretum promulgatum est, nondum separatum coetum formarunt, sed mixti cum catholicis vivebant; et in quibus post promulgatum decretum proprium coetum formarunt, qui in locum parochiae catholicae successit.

b. Expresse monet Benedictus XIV. ex declaratione, quae valida dicit matrimonia haereticorum in Hollandia, nihil inferri posse circa validitatem illorum matrimoniorum, quae haeretici inter se contrahunt in locis, pro quibus non viget declaratio benedictina.

c. Tota quaestio eo revocatur, utrum ecclesia haereticos hac lege obligatos esse *velit*[1]). Iam qui hanc ecclesiae voluntatem *negant* et proinde haereticorum matrimonia valida esse affirmant, dicunt *α.* concilium tridentinum legem suam ad haereticos extendere noluit; *β.* si haereti-

[1]) Cf. supra n. 27. 2.

corum matrimonia dicerentur invalida, mala ingentia sequerentur: praeter innumeros enim concubinatus, qui existerent, haeretici ab ecclesia catholica alienarentur. Qui vero ecclesiae voluntatem obligandi haereticos *affirmant* et proinde haereticorum matrimonia valida esse negant, dicunt *α.* haeretici tenentur legibus ecclesiae, nisi ab iis declarentur exemti; ecclesia autem haereticos ab hac lege nunquam declaravit exemtos; *β.* econtra ecclesia haec matrimonia habet pro invalidis, id quod constat praesertim ex praxi congregationum romanarum[1]).

4. Matrimonia *mixta*, quae clandestine contrahuntur sive coram magistratu civili sive coram ministro haeretico:

a. Valida sunt in regionibus, in quibus, lex tridentina nunquam promulgata aut nunquam recepta est: nam propter individuitatem contractus exemtio partis acatholicae communicatur parti catholicae, nisi ecclesia aliud statuat.

b. Valida sunt in regionibus, pro quibus data vel ad quas extensa est declaratio benedictina: declaratio enim haec non refertur solum ad matrimonia, quae haeretici contrahunt inter se, sed etiam ad matrimonia mixta.

c. Invalida sunt in regionibus, in quibus lex tridentina viget.

§. 9. Cognatio.

Cognatio generatim sumta definitur propinquitas personarum ex generatione orta. Pro diversitate generationis triplex distinguitur cognatio: *naturalis* seu consanguinitas, *spiritualis* et *legalis*.

Consanguinitas.

41. Impedimentum *consanguinitatis* in eo consistit, quod personae in certo aliquo gradu consanguineae validum matrimonium inire non possint.

a. Consanguinitas est propinquitas personarum ex eodem stipite proximo per naturalem generationem descendentium, oritur ergo ex participatione eiusdem sanguinis. Dicitur *proximo:* qui enim a communi remoto

[1]) Cf. *Matharan,* Casus de matrimonio n. 361.

stipite (ultra quartam generationem) descendunt, non solent amplius vocari consanguinei.

b. Consanguinitas est *α. legitima,* si ex matrimonio legitimo, et est illegitima, si ex natalibus illegitimis oritur; est *β. simplex,* si ex uno tantum fonte, et *multiplex,* si ex duplici vel multiplici fonte oritur.

c. Consanguinei in primo gradu lineae collateralis sunt *germani* aut *non germani* prout utrumque parentem aut unum tantum communem habent. Non germani dicuntur *uterini,* si eandem matrem, sed diversum patrem, et dicuntur *consanguinei* tantum, si eundem patrem, sed diversam matrem habent.

d. Consanguinei distinguuntur in *agnatos* et *cognatos* prout consanguinitas per patrem aut per matrem oritur.

1. Consanguinitas *in linea recta* matrimonium dirimit usque *ad quartum gradum,* imo probabiliter indefinite in quocunque gradu. In praxi ergo ad cautelam petenda esset dispensatio.

2. Consanguinitas in *linea collaterali* matrimonium pariter dirimit usque *ad quartum gradum,* sed non ultra, etsi remotior gradus sit mixtus cum propinquiore e. g. quintus cum tertio vel secundo.

a. Impedimentum, quod olim extendebatur usque ad septimum gradum, coarctatum est a concilio lateranensi IV. sub Innocentio III. et postea a concilio tridentino.

b. Impedimentum consanguinitatis pari modo intercedit tum inter eos, qui solum ex eodem patre, tum inter eos, qui solum ex eadem matre sive legitimis sive illegitimis natalibus oriuntur: inter omnes enim vera consanguinitas existit.

3. *Impedimenti origo.* *a.* In primo gradu lineae rectae impedimentum certo est *iuris naturae;* in aliis gradibus lineae rectae matrimonia non sunt iure naturae certo invalida, etsi iure naturae sint illicita propter gravia incommoda, quae inde sequerentur.

b. In primo gradu lineae collateralis (inter fratrem et sororem) impedimentum iuxta nonnullos auctores est iuris naturae. Ex s. scriptura[1]) autem constare videtur, etiam in hoc gradu matrimonium solo iure ecclesiastico dirimi; ecclesia tamen in hoc impedimento nunquam dis-

---

[1]) Gen. 20, 12.

pensavit. In aliis gradibus lineae collateralis certò est *iuris ecclesiastici.*

Quare matrimonia, quae infideles consanguinei intra gradus ab ecclesia prohibitos ineunt, si nihil aliud obstat, valida sunt; et si coniuges ad fidem convertantur, in contracto matrimonio absque dispensatione manere possunt.

c. Ratio prohibendi matrimonia inter consanguineos contrahenda potissimum triplex est, alia *socialis,* ut mutua caritas et amicitia magis dilatetur; alia *moralis,* ut ablata spe matrimonii refrenetur amor carnalis inter membra familiae; alia demum *physica,* ut prospiciatur proli: constat enim consanguineorum coniugia aut esse infoecunda, aut proles morbis et defectibus laborare.

42. Ut hoc impedimentum rite intelligatur, tria explicanda sunt: quid sit stipes, quid linea, quid gradus.

1. *Stipes* dicitur illa persona, ex qua aliae per naturalem generationem descendunt.

2. *Linea* est series personarum ab eodem stipite descendentium.

Linea est *recta* vel *collateralis* seu transversalis, prout est series personarum, quarum una ab alia descendit sive immediate ut filius a parentibus sive mediate ut nepos ab avis, aut series personarum, quae omnes ab eodem stipite nulla autem ab alia descendit ut fratres et patrueles. Linea *recta* in duas dividitur, quarum alia est *ascendentium,* a quibus aliquis originem habet scilicet pater, avus, proavus etc., alia *descendentium*, qui ab aliquo originem habent scilicet filius, nepos, pronepos etc.

Linea *collateralis* aut est *aequalis* aut *inaequalis,* prout duae personae a communi stipite aut eodem aut diverso gradu distant sic duo patrueles, qui duobus gradibus a communi avo tamquam communi stipite distant aequalis, Titius vero et eius ex fratre Sempronio nepos inaequalis lineae sunt.

3. *Gradus* est mensura distantiae unius personae ab altera in eadem linea. Gradus potest esse *simplex* vel *mixtus.*

43. Ad computandos gradus consanguinitatis tres regulae statui solent:

1. In *linea recta* tot numerantur gradus, quot personae demto stipite.

Ergo pater et filius in primo, avus et nepos in secundo, proavus et pronepos in tertio, abavus et abnepos in quarto gradu consanguinei sunt.

2. In *linea collaterali aequali* tot numerantur gradus, quot personae ex una parte demto stipite.

Ergo frater et soror in primo, filii fratris et filii sororis (patrueles et consobrini) in secundo, nepotes fratris et nepotes sororis in tertio, pronepotes in quarto gradu consanguinei sunt.

3. In *linea collaterali inaequali* tot numerantur gradus, quot sunt personae ex parte remotiore stipite demto.

a. Si ergo ex parte Sempronii sunt tres personae demto stipite et ex parte Annae quatuor, Sempronius et Anna consanguinei sunt in quarto gradu; et si ex parte Sempronii tres aut duae tantum personae sunt stipite demto, ex parte vero Annae quinque, Sempronius et Anna consanguinei sunt in quinto gradu, seu potius non amplius consanguinei sunt.

b. Mixtus eiusmodi gradus in hunc modum exhiberi solet: Sempronius et Anna consanguinei sunt in gradu quarto mixto cum tertio, aut etiam *in gradu quarto tangente tertium.*

4. Series *consanguineorum ascendentium* in linea recta ex parte patris et matris:

Primus gradus: pater, mater; Vater, Mutter.
Secundus gradus: avus, avia; Grossvater, Grossmutter.
Tertius gradus: proavus, proavia; Urgrossvater, Urgrossmutter.
Quartus gradus: abavus, abavia; Ururgrossvater, Ururgrossmutter.

5. Series *consanguineorum descendentium* in linea recta ex parte patris et matris:

Primus gradus: filius, filia; Sohn, Tochter.
Secundus gradus: nepos, neptis; Enkel, Enkelin.
Tertius gradus: pronepos, proneptis; Urenkel, Urenkelin.
Quartus gradus: abnepos, abneptis; Ururenkel, Ururenkelin.

6. Series *consanguineorum descendentium in linea collaterali ex parte patris:*

Primus gradus: frater, soror; Bruder, Schwester.

Secundus gradus: patrueles, Geschwisterkinder, wenn die beiden Väter Brüder sind; amitini, Geschwisterkinder, wenn der Vater des einen und die Mutter des anderen Geschwister sind.

Tertius gradus: patrueles magni, amitini magni; andere Geschwisterkinder.

Quartus gradus: propatrueles, proamitini; dritte Geschwisterkinder.

7. Series consanguineorum *descendentium* in linea collaterali *ex parte matris:*

Primus gradus: frater, soror; Bruder, Schwester.

Secundus gradus: consobrini; Geschwisterkinder, deren Mütter Schwestern sind.

Tertius gradus: consobrini magni; andere Geschwisterkinder.

Quartus gradus: proconsobrini; dritte Geschwisterkinder.

8. Series consanguineorum *ascendentium* in linea collaterali *ex parte patris:*

Primus gradus: patruus, amita; Onkel, Tante (Vatersbruder, Vatersschwester).

Secundus gradus: patruus magnus, amita magna; Grossonkel, Grosstante (Grossvatersbruder, Grossvatersschwester).

Tertius gradus: propatruus, proamita; Urgrossvatersbruder, Urgrossvatersschwester.

9. Series consanguineorum *ascendentium* in linea collaterali *ex parte matris:*

Primus gradus: avunculus, matertera; Oheim, Muhme (Muttersbruder, Muttersschwester).

Secundus gradus: avunculus magnus, matertera magna; Grossoheim, Grossmuhme (Grossmuttersbruder, Grossmuttersschwester).

Tertius gradus: proavunculus, promatertera; Urgrossoheim, Urgrossmuhme (Urgrossmuttersbruder, Urgrossmuttersschwester.

Cognatio spiritualis.

44. Impedimentum *cognationis spiritualis* in eo consistit, quod matrimonium inter personas initum, quae ex collatione et susceptione baptismi et confirmationis cognationem contraxerunt, sit invalidum.

a. Cognatio spiritualis est propinquitas personarum orta ex regeneratione spirituali in sacramento baptismi et confirmationis. Quandoquidem regeneratio spiritualis similitudinem habet cum generatione naturali, ex illa impedimentum oritur sicut ex generatione naturali.

b. Cognatio spiritualis duplex est, alia vocatur *paternitas,* quae intercedit hinc inter baptizatum seu confirmatum, inde inter ministrum et patrinum, qui per sacramentum fiunt eius patres spirituales; alia vocatur *compaternitas,* quae intercedit hinc inter parentes baptizati seu confirmati, inde inter ministrum et patrinum.

1. Ex concilio tridentino[1]) impedimentum cognationis spiritualis contrahitur:

a. inter ministrum et subiectum sacramenti;

b. inter ministrum et parentes baptizati aut confirmati;

c. inter patrinum et subiectum sacramenti;

d. inter patrinum et parentes baptizati aut confirmati.

Versus memoriales exhibentes eos, inter quos impedimentum existit, sunt:

Baptizans, baptizatus, baptizatique parentes.
Levans, levatus levatique parentes.
Confirmans, confirmatus confirmatique parentes.
Ligans, ligatus ligatique parentes.

2. Ut cognatio spiritualis oriatur, requiritur, ut haec sacramenta valide conferantur, et ex parte patrini, ut is valide, non autem ut etiam licite patrinum egerit[2]).

a. Qui patrini munus per procuratorem exercet, ipse, non procurator cognationem contrahit[3]).

---

[1]) Sess. 24. de ref. matr. c. 2.

[2]) Quid requiratur, ut quis valide sit patrinus, docuimus *de sacramentis* n. 39.

[3]) S. C. C. 11. iun. 1881.

b. Minister, qui post baptismum privatim collatum ceremonias sollemniter in ecclesia supplet, non contrahit cognationem spiritualem.

3. Hoc impedimentum est solum *iuris ecclesiastici*; iuris enim naturalis esse non potest, quia oritur ex collatione et susceptione sacramenti; iuris autem divini non est, quia nullum voluntatis divinae afferri potest argumentum. Quare in hoc impedimento dispensari potest; multo autem difficilius in paternitate quam in compaternitate spirituali dispensatur.

Notandum est, multiplicem cognationem spiritualem intercedere *a.* si alter alterius filium vicissim tenuit in baptismo vel in confirmatione; *b.* si quis alterius filium tenuit in baptismo et in confirmatione; *c.* si quis ex alterius filiis unum tenuit in baptismo, alium in confirmatione; at *d.* si quis eiusdem personae filios in eodem sacramento tenet, cognatio spiritualis non augetur [1]).

4. In *dubio de validitate baptismi* etiam dubia est cognatio: in praxi tamen, si de actu i. e. de collato sacramento constat, in foro externo praesumitur valor actus seu sacramenti, nisi contrarium demonstretur.

5. In *baptismo conditionato* ita distinguendum est: *a.* si baptismus iteratur ob leve dubium de valore prioris, nulla censetur oriri cognatio; *b.* si baptismus iteratur ob grave dubium seu ob probabilem rationem de invaliditate prioris, probabiliter oritur cognatio, ideoque probabiliter contrahitur impedimentum; quare nullum certum, sed solummodo dubium est impedimentum.

6. Ex *baptismo privato a. minister* sacramenti certo contrahit cognationem spiritualem, modo baptismus sit valide collatus; *b.* quoad *patrinos* autem disputant. Auctores antiqui communiter negant, recentiores plerique ex decretis s. C. C. affirmant contrahi cognationem. Quare impedimentum in hoc casu haberi potest tamquam dubium donec ecclesia quaestionem definiat [2]).

---

[1]) S. Offic. 29. apr. 1894.

[2]) *Cognatio legalis* est propinquitas ex *adoptione* legali orta. Ex adoptione autem, quae fit secundum iura moderna, vix unquam *certo* oritur impedimentum dirimens matrimonium; quare interim hoc impedimentum omittitur.

An pater, qui prolem suam privatim baptizat, contrahat cognationem cum matre infantis.

a. Si pater filium suum *illegitimum* baptizat, certo contrahit cognationem spiritualem cum matre prolis et cum ipsa prole, etsi in necessitate eandem baptizet; ideo non potest absque dispensatione matrimonium inire cum matre prolis.

b. Quodsi pater prolem suam *legitimam* baptizat, cognationem cum uxore sua non contrahit sive in necessitate sive extra necessitatem baptizet; quare non prohibetur petere debitum.

§ 10. *Affinitas.*

45. Impedimentum *affinitatis* in eo consistit, quod matrimonium inter personas in certo gradu affines sit invalidum.

a. Affinitas est propinquitas personarum orta ex copula carnali perfecta inter eum, qui copulam habuit, et consanguineos personae, quacum copulam habuit: per copulam enim utraque pars cognationi alterius partis inseritur.

b. Affinitas contrahitur *ex quavis copula* tum licita tum illicita, tum libera tum coacta, modo fuerit perfecta; at non contrahitur ex sponsalibus, nec ex matrimonio rato non consummato, nec ex actibus luxuriae imperfectis, nec ex ipsa copula, si fuerit imperfecta vel inter impuberes habita.

c. Affinitas contrahitur a solo viro cum consanguineis mulieris, quacum copulam habuit, et a sola muliere cum consanguineis viri, quocum ipsa copulam habuit.

Ergo affinitas non contrahitur *α.* a viro et muliere copulam habentibus; nec *β.* a consanguineis unius cum consanguineis alterius; ideo duo fratres possunt ducere duas sorores, imo pater et filius possunt ducere matrem et filiam, et generatim quilibet consanguineus mariti potest ducere consanguineam uxoris et vicissim quilibet consanguineus uxoris potest ducere consanguineam mariti: *nam affinitas non parit affinitatem.*

d. Affinitas gradus et lineas non habet, sed sequitur gradum et lineam consanguinitatis; quare in determinanda affinitate haec regula servanda est: qualis est gradus et

linea consanguinitatis unius partis, talis est linea et gradus affinitatis alterius partis. Qui ergo uxoris consanguineus est in primo gradu lineae rectae vel collateralis, is marito affinis est in primo gradu lineae rectae vel collateralis.

e. Sicut consanguinitas ita etiam affinitas potest esse *multiplex.*

f. Distinguendum est inter affinitatem *antecedentem,* quae matrimonium praecedit et affinitatem *supervenientem,* quae matrimonium iam initum consequitur. Haec eo quidem oritur, quod unus coniugum copulam habet cum consanguineo alterius partis in primo vel secundo gradu.

Nomina personarum affinium.

1. *In linea recta*

a. Vitricus, noverca; Stiefvater, Stiefmutter.

b. Socer, socrus; Schwiegervater, Schwiegermutter.

c. Privignus, privigna; Stiefsohn, Stieftochter.

d. Gener, nurus; Schwiegersohn, Schwiegertochter.

2. *In linea collaterali.*

a. Levir, glos; Schwager, Schwägerin.

b. Sororius, fratria; der Schwester Mann, des Bruders Frau.

46. 1. Affinitas *ex copula licita* matrimonium dirimit usque ad *quartum gradum* inclusive tum lineae rectae tum lineae collateralis[1]).

2. Affinitas *ex copula illicita* matrimonium dirimit usque ad *secundum gradum* inclusive in utraque linea et non ultra.

a. Qui fornicatus est cum sorore sponsae suae, cum neutra potest valide contrahere; imo nec cum earum consobrina vel matertera.

b. Cum copula *in matrimonio civili* habita sit simpliciter fornicaria, affinitas ex ea orta matrimonium dirimit solum usque ad secundum gradum[2]).

c. Utrum affinitas ex copula *in matrimonio invalido* habita matrimonium dirimat usque ad secundum, an vero usque ad quartum gradum, disputant; quare in casu habetur impedimentum dubium.

---

[1]) Conc. trident. sess. 24. de ref. matr. c. 4.

[2]) S. C. C. 17. mart. 1879.

3. Affinitas *superveniens* matrimonium rite initum dirimere nequit, hunc tamen effectum habet, ut pars, quae peccatum commisit, debitum petere non possit; illud autem reddere tenetur, si pars innocens debitum petit. Imo si ipse incestuosus in gravi incontinentiae periculo versatur, nec statim dispensationem petere potest, licet ei debitum petere: lex enim ecclesiastica non obligat cum tanto incommodo.

a. Cum hoc impedimentum rationem *poenae* habeat, ab eo contrahendo excusat *ignorantia facti*, personam nempe esse comparti consanguineam, ignorantia *iuris*, legis scilicet hunc incestum peculiariter prohibentis, et ignorantia *poenae*, legis scilicet in poenam imponentis privationem iuris petendi debitum: ab incurrenda enim poena gravi et extraordinaria excusat ignorantia.

b. Coniuges plerumque hanc poenam ignorant; quare si eiusmodi incestum confitentur, de ea monendi sunt, ut in posterum certius ab hoc crimine abstineant.

c. Coniux igitur, qui tale peccatum commisit, et ideo cum comparte affinitatem contraxit, dispensatione indiget, ut licite debitum petere possit. Dispensationem concedit episcopus, qui potestatem dispensandi etiam aliis delegare potest; ex privilegio summi pontificis dispensare possunt etiam regulares mendicantes.

4. Affinitas, qua late patet, est *iuris ecclesiastici;* nec videtur admittendum, affinitatem in primo gradu lineae rectae, etsi orta sit ex copula licita, matrimonium dirimere iure naturae.

a. Si affinitas in primo gradu orta est ex copula illicita, matrimonium certe non dirimit iure naturae: nam ecclesia in hoc impedimento dispensavit. Sed etsi ecclesia in affinitate in primo gradu ex copula licita non dispenset, matrimonium tamen non dirimit iure naturae. Ex iure naturae quidem est, ut oriatur affinitas; sed ex iure naturae non est, ut matrimonium dirimat.

b. Quamvis ergo affinitas etiam inter infideles existat; impedimentum tamen affinitatis inter eos non existit.

Quare si ad fidem convertuntur, qui cum affinitate matrimonium contraxerunt, non sunt separandi; infideles autem ad fidem conversi, tenentur impedimento affinitatis, quam in infidelitate contraxerant [1]).

§ 11. *Publica honestas.*

47. Impedimentum *publicae honestatis* in eo consistit, quod matrimonium inter eos initum, qui ex sponsalibus vel ex matrimonio rato facti sunt quasi affines, invalidum sit.

a. Impedimentum publicae honestatis ex duplici capite oritur, ex sponsalibus de futuro et ex sponsalibus de praesenti seu ex matrimonio rato.

b. Publica honestas est quaedam *propinquitas* personarum orta ex sponsalibus vel ex matrimonio rato non consummato: qui enim sponsalia vel matrimonium init, quandam propinquitatem contrahit cum consanguineis illius personae, quacum sponsalia vel matrimonium init.

c. Haec propinquitas vocatur *quasi-affinitas:* quemadmodum enim ex copula oritur coniunctio carnis seu vera affinitas, ita ex sponsalibus et matrimonio rato oritur coniunctio animorum seu quasi-affinitas inter sponsum vel coniugem et consanguineos alterius partis.

d. Impedimentum vocatur *publica honestas,* quia morum honestas exigit, ut non solum inter affines, sed etiam inter quasi-affines matrimonium non contrahatur.

48. 1. Ex *sponsalibus* validis oritur impedimentum dirimens matrimonium usque ad *primum gradum* [2]).

a. Etiam ex sponsalibus *occultis* oritur impedimentum publicae honestatis, ut saepius declaravit ecclesia [3]), etsi ex sponsalibus occultis non possit oriri quasi-affinitas, quae laedat publicam honestatem.

b. Ex sponsalibus *invalidis* nullum oritur impedimentum, quaecunque sit causa invaliditatis.

---

[1]) C. de prop. fide 23. aug. 1852.

[2]) Concil. trid. sess. 24. de ref. matr. c. 3.

[3]) S. Poenit. 10. sept. 1834. S. Offic. 11. aug. 1852.

c. Neque ex sponsalibus *conditionatis* oritur impedimentum, quia conditione nondum impleta non sunt vera sponsalia; conditione autem impleta transeunt in sponsalia absoluta, quare eo ipso oritur etiam publica honestas.

d. Ex sponsalibus *dubiis*, i. e. probabiliter validis oritur impedimentum dubium publicae honestatis; quare si sponsalia dubia sunt dubio iuris ecclesiastici, licet contrahere, quodsi dubia sunt dubio facti aut dubio iuris naturalis, non licet contrahere absque dispensatione.

e. Ex sponsalibus *incertis* non oritur impedimentum publicae honestatis; incerta autem dicuntur sponsalia, quibus matrimonium non promittitur certae et determinatae personae: ducam unam ex filiabus tuis.

2. Ex *matrimonio rato* oritur impedimentum dirimens matrimonium usque ad *quartum gradum* inclusive.

a. Hoc impedimentum oritur etiam ex matrimonio *invalido,* modo invalidum non sit ex defectu consensus[1]). Si ergo matrimonium invalidum est ratione erroris, conditionis, metus, raptus aut aetatis, non oritur publica honestas; quodsi invalidum est ratione cognationis, affinitatis, impotentiae, disparitatis cultus, criminis vel ligaminis, oritur impedimentum publicae honestatis.

b. An oriatur impedimentum ex matrimonio *propter clandestinitatem invalido,* controvertitur. Unde pro praxi inferendum est, impedimentum esse dubium et proinde nullum.

Sententiae neganti in hoc casu oriri impedimentum, ex declaratione mox citanda grave momentum accedit: etenim si ex matrimonio civili non oritur impedimentum, neque ex matrimonio clandestino, cui civile aequiparari potest, oriri videtur.

c. Ex matrimonio *civili* non oritur impedimentum publicae honestatis in iis regionibus, in quibus viget decretum tridentinum *(Tametsi),* quaecunque sit intentio contrahentium[2]). In iis regionibus, in quibus decretum tridentinum non viget, ex matrimonio civili oriri videtur

---

[1]) Constit. Pii V. *Ad romanum* 1. iul. 1568.

[2]) *Leo XIII.* 17. mart. 1879.

publica honestas: matrimonia enim civilia valida sunt, etsi illicita utpote clandestina.

3. Impedimentum, qua late patet, *iuris ecclesiastici* est, et quidem iuris publici; quare cum ab infidelibus hoc impedimentum non contrahatur, valida sunt eorum matrimonia, quae ineuntur cum consanguineis prioris sponsae.

4. Hoc impedimentum *perpetuum* est i. e. semel contractum non cessat, etsi sponsalia mutuo consensu et matrimonium ratum auctoritate ecclesiastica rite soluta essent; quare solum per dispensationem tolli potest.

§ 12. *Votum sollemne.*

49. Impedimentum *voti* in eo consistit, quod, qui votum sollemne castitatis perfectae in ordine religioso sponte emiserint, validum matrimonium inire non possint[1].

a. Votum sollemne: votum enim *simplex* castitatis perfectae in religione emissum matrimonium impedit, non dirimit. *b. In ordine religioso:* votum enim (simplex) castitatis perfectae et perpetuae in aliqua congregatione emissum pariter matrimonium non dirimit. *c.* Castitatis *perfectae:* votum enim sollemne castitatis non perfectae sed coniugalis tantum, quod in nonnullis ordinibus equestribus emittitur, impedimentum non constituit. *d. Sponte:* nam ut votum sollemne matrimonium dirimat, professio religiosa debet esse valida; at non est valida, si non est omnino libera, sed fraude aut metu gravi et iniusto extorta.

b. Votum igitur sollemne castitatis quoad matrimonium duplicem effectum habet, solvendi matrimonium iam contractum, si nondum consummatum est, et dirimendi matrimonium futurum.

1. Impedimentum voti est *iuris ecclesiastici* tantum: etenim si ipsum votum natura sua hunc effectum produceret, etiam votum simplex, quippe quod interna sua natura a sollemni non differat, matrimonium dirimeret; ergo ecclesia sicut voto sollemnitatem, ita voto sollemni hanc vim dirimendi matrimonium adiecit.

Hinc sequitur, summum pontificem eos, qui sollemnem professionem emiserint, ad matrimonium ineundum *dispensare* posse; quae quidem dispensatio, etsi raro et difficile concedatur, a summis pontificibus tum saepius antea, tum nuper (1888) iterum a Leone XIII concessa est.

---

[1]) Conc. trid. sess. 24. can. 9.

2. Duplex est votum, quod, etsi simplex, tamen futurum matrimonium dirimit: *a.* Vota simplicia scholasticorum societatis Iesu, quae ex speciali privilegio a Gregorio XIII. concesso futurum matrimonium dirimunt, nisi generalis dispensaverit[1]; *b.* Votum castitatis perfectae, quod ex iure emittere tenetur uxor, cuius maritus cum ipsius consensu ordinem sacrum suscipit, nisi uxor ordinem religiosum inire cogatur. Hinc etiam defuncto marito sacris initiato validum matrimonium inire nequit.

§ 13. *Ordo sacer.*

50. 1. *Ordo sacer* (subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus) futurum matrimonium dirimit[2]; matrimonium autem antea contractum non solvit, sed solum eius usum impedit.

2. An ordo sacer vim dirimendi matrimonium habeat solum ratione voti sollemnis castitatis, quod in ecclesia latina ordini sacro annexum est, an etiam ratione ipsius ordinis, non satis constat.

In ecclesia graeca, in qua non emittitur votum castitatis in ordinationibus sacris, clericis in sacris iam constitutis non licet uxorem ducere. Iam utrum matrimonium, quod a clerico graeco in sacris constituto contra prohibitionem ecclesiae contrahitur solum illicitum, an etiam invalidum sit, est quaestio inter theologos controversa. Et licet ex documentis ecclesiasticis valde probabile appareat, ipsum ordinem sacrum per se solum habere vim dirimendi matrimonii, lis tamen nondum est omnino diremta[3].

3. Hoc impedimentum est *iuris ecclesiastici:* et licet non sit omnino indispensabile, valde tamen difficile conceditur dispensatio; episcopo autem non constat unquam concessam esse hanc dispensationem.

4. Ex constitutione *Apostolicae sedis* (III. 1.) excommunicationem ordinariis reservatam incurrunt *a.* clerici in sacris constituti, regulares et moniales, qui post votum sollemne castitatis matrimonium contrahunt; *b.* omnes, qui

[1] Constitutio *Ascendente Domino.*

[2] Conc. trid. sess. 24. c. 9.

[3] Cf. *Ballerini-Palmieri* VI. 1143. in nota.

cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahunt, etiam solum *civile*[1]).

§ 14. Crimen.

51. 1. Hoc termino significantur tria impedimenta inter se diversa, quae ob duo crimina scilicet *adulterium* et *homicidium* contrahuntur.

a. Primum contrahitur, quando duo conspirant in occisionem coniugis alterutrius cum intentione ineundi inter se matrimonium.

b. Secundum contrahitur, quando duo committunt adulterium et deinde alteruter occidit coniugem ea intentione cum complice adultero ineundi matrimonium.

c. Tertium contrahitur, quando duo committunt adulterium cum promissione post mortem coniugis alterutrius ineundi matrimonium; ergo nec ex solo adulterio nec ex sola promissione matrimonii oritur impedimentum, sed utrumque simul concurrere debet ad illud producendum.

Impedimentum criminis ergo contrahitur in triplici casu: *a.* ob solum homicidium; *b.* ob homicidium cum adulterio; *c.* ob solum adulterium. Triplex hoc impedimentum, denominatione sumta a solo homicidio, etiam in hunc modum exhiberi solet, ut dicatur, illud contrahi ob crimen *a.* utroque patrante; *b.* uno patrante; *c.* neutro patrante.

2. Tria haec impedimenta sunt omnia *iuris ecclesiastici;* attamen in solo tertio dispensari solet. Ecclesia autem statuens hoc impedimentum intendit consulere fidei coniugali et vitae coniugum: ademta enim omni spe matrimonii contrahendi cum complice sive occisionis sive adulterii, simul praeripit ansam committendi haec crimina.

Cum impedimentum istud non solum occultum, sed inter fideles plerumque etiam ignotum sit, saepius accidit, ut contracto demum matrimonio detegatur. Iam quaeritur, an incurrant impedimentum, qui illud ignorant (n. 27).

---

[1]) S. Offic. 22. dec. 1880.

52. *Ut ex solo homicidio* seu ex crimine utroque patrante oriatur impedimentum, haec tria requiruntur:

1. *Mutua conspiratio* in occisionem coniugis alterutrius ipsorum. Habetur autem conspiratio tum in casu cooperationis etiam remotae, modo scienter fiat, tum in casu inductionis, qua una pars aliam consilio, precibus aut solo consensu ad necem movet.

Si ergo alteruter tantum machinatur mortem coniugis, inscia alia parte, nec inter eos intercessit adulterium, non contrahitur impedimentum, etsi pars ignara postea mortem coniugis approbaverit.

2. Ut mutua conspiratio in occisionem coniugis fiat saltem ab una parte *ex intentione ineundi matrimonii* cum complice homicidii.

3. *Mors realiter secuta* ex actione physica vel morali alterutrius complicis.

53. Ut *ex homicidio cum adulterio* seu ex crimine uno patrante oriatur impedimentum, haec tria requiruntur:

1. Adulterium verum, ex utraque parte formale et perfectum.

Verum, quod supponit validum matrimonium saltem ex parte unius adulteri; ergo non contrahitur impedimentum, si complex adulterii putat aliam partem esse coniugatam, cum non sit; vel si alia pars habeatur pro coniugata cum tamen non sit, quia eius matrimonium propter occultum impedimentum est invalidum.

Ut *formale* sit adulterium requiritur, ut notus sit status coniugalis illius, quocum committitur adulterium; si ergo ambo adulteri coniugati sunt, non sufficit, ut uterque sciat, se esse coniugatum, nisi uterque sciat, unum ipsorum esse coniugatum.

Perfectum, i. e. de se aptum ad generandam prolem; ceterum si copula reipsa intercessit, praesumitur perfecta, nisi de contrario constet.

2. Homicidium ab una parte patratum cum intentione ineundi matrimonii cum complice adulterii.

3. Mors coniugis realiter secuta.

Si adulteri ambo sunt coniugati et ambo statum coniugalem alterius partis cognoscunt, suppositis aliis conditionibus, oritur duplex impedimentum criminis.

54. Ut ex *solo adulterio cum promissione* matrimonii seu ex crimine neutro patrante oriatur impedimentum, haec requiruntur:

1. Adulterium verum, formale, perfectum ut supra explicatum est.

2. Promissio matrimonii post mortem coniugis ineundi vera et mutua i. e. ex una parte facta et ex altera acceptata cum repromissione.

a. Matrimonium attentatum etiam solum civile locum tenet promissionis; hinc si una pars adultera vivente coniuge matrimonium attentat cum alia parte adultera, etiam mortuo coniuge ad contrahendum cum parte adultera inhabilis est.

b. Cum sententia, quae docet, incurri impedimentum ex adulterio cum promissione ab alia parte acceptata, sed absque repromissione, solum probabilis sit, impedimentum exinde ortum non est nisi impedimentum dubium, impedimentum autem dubium, impedimentum nullum.

c. Adulterium et promissin fieri debent *durante eodem coniugio.* Nihil autem refert, utrum promissio praecedat vel comitetur vel sequatur adulterium et pariter nihil refert, quanto tempore ab invicem distent adulterium et promissio, modo durante eodem coniugio facta sint. Quodsi vero promissio matrimonii ante adulterium revocaretur, nullum oriretur impedimentum.

§ 15. *Disparitas cultus.*

55. Impedimentum *disparitatis cultus* in eo consistit, quod inter baptizatum et non baptizatum matrimonium validum iniri non possit.

a. Disparitas cultus intelligitur diversitas religionis, quae existit inter baptizatum (etsi invalide) et non baptizatum. Ergo existit etiam inter baptizatum et catechumenum; at non existit inter baptizatum et acatholicum (haereticum), qui quacunque de causa non est valide baptizatus.

b. Quid faciendum sit, ubi de valore baptismi in ordine ad ineundum matrimonium dubitatur, docet decretum s. Officii 17. nov. 1830. Scilicet

α. Quoad haereticos, quorum sectae ritualia praescribunt collationem baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari casus particularis.

β. Quoad alios, qui iuxta eorum ritualia baptizant valide, validum censendum est baptisma.

γ. Quodsi dubium persistat etiam in primo casu, censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii.

1. Hoc impedimentum quatenus *dirimens* est, est *iuris ecclesiastici:* etsi enim testimonium iuris canonici non exstet, longo tamen usu ecclesiae certum est, disparitatem cultus matrimonium dirimere.

a. Statutum est hoc impedimentum, ne ex arcta familiaritate cum infideli fidelis periculum amittendae fidei subeat; deinde etiam ne matrimonium, quod inter baptizatos sacramentum est, contrahatur a baptizato cum non baptizato.

b. Hoc impedimentum afficit etiam haereticos et apostatas, quippe qui per baptismum subiciantur ecclesiae eiusque legibus teneantur. Hinc si haereticus ducit iudaeam vel apostata mahomedanam, matrimonium invalidum est.

c. Ecclesia ergo in hoc impedimento dispensare potest; et in regionibus quidem infidelium ex causa urgenti facilius dispensat, in nostris autem regionibus valde difficile conceditur dispensatio, et multo adhuc difficilius permittitur matrimonium christiani cum iudaeo. Quodsi ecclesia ex gravi causa in hoc impedimento dispensat, id solum fit sub iisdem conditionibus, sub quibus matrimonia mixta permittuntur.

2. Hoc impedimentum quatenus *prohibens* est, est *iuris naturalis et divini:* ratio *primi* est perversionis periculum, quod tum coniugi fideli tum proli futurae imminet; ratio *secundi* est prohibitio, quae in s. scripturis habetur: *nolite iugum ducere cum infidelibus*[1]).

---

[1]) II. Cor. 6, 14.

Quaestio quinta.

De dispensationibus matrimonialibus.

Articulus primus.

De potestate dispensandi.

Dicendum est: *a.* de potestate dispensandi in impedimentis impedientibus; *b.* de potestate quasi-ordinaria episcopi dispensandi in impedimentis dirimentibus; *c.* de potestate delegata episcopi; *d.* de potestate summi pontificis.

56. *Quoad impedimenta impedientia.* 1. Episcopus dispensare potest: *a.* a proclamationibus bannorum; *b.* in votis non reservatis; *c.* in votis reservatis ante matrimonium contractum, si non potest recurri ad summum pontificem et periculum est in mora; *d.* in voto reservato perfectae castitatis unius coniugis post matrimonium contractum in ordine ad petendum debitum.

Ergo dispensare non potest: *a.* in voto ingrediendi religionem; *b.* in voto perfectae castitatis ante matrimonium, si non est periculum in mora; *c.* in voto perfectae castitatis, si ambo coniuges post matrimonium initum mutuo consensu illud emiserunt.

2. Si contrahentes sunt diversae dioecesis et *a.* impedimentum est unius contrahentis *personale* ut impedimentum voti, contrahens a proprio episcopo dispensari debet; hinc si ambo eiusmodi impedimento constringuntur, a suo quisque episcopo dispensari debet; quodsi *b.* impedimentum est utrique *commune*, utriusque episcopus dispensare potest; convenit autem, ut dispensatio petatur ab episcopo, in cuius dioecesi matrimonium contrahitur i. e. ab episcopo sponsae iuxta adagium: *ubi sponsus ibi sponsalia; ubi sponsa ibi nuptiae.*

57. *In impedimentis dirimentibus episcopus potestate quasi-ordinaria dispensare potest:*

1. In impedimentis *occultis* in casu necessitatis. Duplex ergo conditio requiritur, ut episcopus dispensare possit: *a.* ut adsit casus necessitatis i. e. ut nec matrimo-

nium sine gravi incommodo (scandalum, infamia) differri, nec dispensatio a summo pontifice peti possit; *b.* ut impedimentum sit occultum: etenim si impedimentum publicum est, sponsi ad evitandum scandalum a matrimonio desistere debent, donec adsit dispensatio.

2. In impedimentis *occultis, quae contracto demum matrimonio deteguntur,* quia periculum est in mora, cum coniuges nec sine scandalo aut infamia separari, nec sine periculo peccati cohabitare possint. Requiritur autem, ut matrimonium rite et saltem ex parte unius coniugis bona fide contractum sit.

3. In impedimentis *dubiis dubio facti:* etenim si impedimentum dubium est dubio *iuris,* declarat episcopus matrimonium tuto celebrari posse; si autem dubium est dubio facti, in cautelam dispensare solet.

4. In impedimentis matrimonio *supervenientibus.* Duplex impedimentum matrimonio supervenire potest: affinitas ex copula illicita; et iuxta nonnullos cognatio spiritualis, si unus parentum propriam prolem baptizat (n. 44).

58. *Potestate delegata episcopus dispensare potest.*

1. Ex facultate a Leone XIII. concessa dispensare potest „aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad s. sedem, super impedimentis quantumvis publicis matrimonium ecclesiastico iure dirimentibus excepto sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita proveniente“ [1]).

a. Hanc facultatem episcopi habitualiter delegare possunt parochis pro casibus, in quibus desit tempus ad ordinarios recurrendi [2]).

b. Si dispensandum sit cum iis, qui sacro subdiaconatus aut diaconatus ordine sunt insigniti vel sollemnem professionem religiosam emiserint atque post dispensationem et matrimonium rite celebratum convaluerint, ordinarii de impertita dispensatione supremam sancti officii congre-

---

[1]) Decretum s. Officii iussu Leonis XIII. 20. febr. 1888 editum.

[2]) S. Offic. 9. ian. 1889.

gationem certiorem faciant, et interim omni ope curent, ut scandalum, si quod adsit, eo meliori modo, quo fieri possit, removeatur, tum inducendo eosdem, ut in loca se conferant, ubi eorum conditio ecclesiastica aut religiosa ignoratur, tum, si id obtineri nequeat, iniungendo saltem iisdem spiritualia exercitia aliasque salutares poenitentias atque eam vitae rationem, quae praeteritis excessibus redimendis apta videatur quaeque fidelibus exemplo sit ad recte et christiane vivendum.

2. Praeterea dispensare potest in iis impedimentis, pro quibus delegationem accepit per facultates, quae quinquennales aut triennales aut annuales dicuntur.

59. *De potestate summi pontificis.*

1. Summus pontifex iure ordinario dispensare potest in omnibus impedimentis iuris ecclesiastici. In impedimentis iuris divini declarare potest, ea in certis adiunctis non obligare, at proprie dispensare non potest.

Non tamen in omnibus impedimentis iuris ecclesiastici reipsa dispensat. Et tria quidem sunt, in quibus nunquam dispensat: consanguinitas in primo gradu lineae collateralis, affinitas ex copula licita in primo gradu lineae rectae, crimen publicum; et quinque sunt in quibus admodum raro et solum ex gravissima causa dispensat: aetas, affinitas ex copula illicita in primo gradu lineae rectae, votum sollemne, ordo sacer, cultus disparitas.

2. Summus pontifex ordinarie dispensat per *datariam* et per *poenitentiariam*.

Ordinarie: nam super impedimento disparitatis cultus et super impedimentis ortis ex delicto publico dispensat per s. officium et pro regionibus, quae iurisdictioni congregationis de propaganda fide subiiciuntur, omnes dispensationes ab hac congregatione conceduntur.

a. Dataria dispensat pro *foro externo* (et interno simul) atque adeo in impedimentis actu publicis aut quae publica futura esse praevidentur, etsi natura sua occulta sint; deinde in iis, quae natura sua publica sunt, etsi per accidens occulta manserint.

b. *Poenitentiaria* dispensat pro solo *foro interno* atque adeo in impedimentis, quae natura sua et actu occulta sunt, deinde in impedimentis, quae natura sua quidem publica, actu autem adhuc occulta sunt.

c. *Pro pauperibus*, de quorum paupertate constat ex litteris testimonialibus ordinarii, dispensat poenitentiaria tum pro foro externo tum pro foro interno atque adeo in impedimentis tum publicis tum occultis.

α. Iuxta praxim tribunalium romanorum *vere pauperes* censentur, quorum bona non excedunt circiter tria millia (3000) francorum; et *fere pauperes*, pro quibus pariter poenitentiaria dispensat, ii habentur, quorum bona non excedunt decem millia (10,000) francorum.

β. Dispensationes omnes *gratis* conceduntur; attamen *datariae* solvenda est taxa (componenda, compositio), eaque maior vel minor pro natura impedimenti et conditione oratorum. *Poenitentiariae* autem nulla solvenda est taxa, nisi quod parva aliqua eleemosyna datariae transmittenda exigitur, si in impedimento publico dispensatur et oratores non omnino pauperes sunt.

Articulus secundus.

De causis dispensandi.

60. 1. Ut dispensatio *valida* sit, requiritur *iusta dispensandi causa*, quoties dispensatio vi potestatis delegatae aut quasi-ordinariae conceditur; ut vero dispensatio *licita* sit, semper iusta dispensandi causa requiritur, quaecunque sit potestas, quae dispensat. Ideo sine causa superior nunquam dispensare velle censetur, cum supponi non possit, ipsum facere velle, quod illicitum est.

2. Ut iusta habeatur dispensandi causa, ex concilio tridentino causa *gravis* requiritur[1]; et eo quidem gravior, quo gravius est impedimentum, a quo petitur dispensatio. Hinc fieri potest, ut aliqua causa sufficiat quidem ad obtinendam dispensationem ab impedimento minus gravi et facilius dispensabili, non sufficiat autem ad eam obtinendam in impedimento graviore et difficilius dispensabili.

[1]) Sess. 24. de ref. matr. c. 5.

3. Praeter divisionem causarum dispensandi, quae omnibus dispensationibus communis est, scilicet in causas motivas seu finales et impulsivas[1]); hoc loco notanda divisio in causas *infamantes*, quae originem habent ex oratorum delicto vel in eorum infamatione consistunt, et in causas *honestas*, quae nec delictum nec infamationem continent. Quoad concessionem dispensationis graviores sunt causae infamantes quam honestae.

4. Causae dispensandi *canonicae* illae vocantur, quae ex stilo et consuetudine curiae pro dispensationibus matrimonialibus admitti solent, quarum proinde tum notionem tum vim et efficaciam ius ipsum accurate determinat. Earum praecipuae sunt[2]):

a. Causae honestae: α. aetas feminae superadulta, si scilicet 24. aetatis annum egressa est; β. defectus dotis; γ. angustia loci; δ. graves inimicitiae sedandae inter consanguineos et affines; ε. lites dirimendae; ζ. paupertas viduae numerosa prole oneratae; η. praerogativa dignitatis regiae; ϑ. conservatio illustris familiae vel bonorum eius; ι. excellentia meritorum erga ecclesiam; ϰ. virtutes christianae.

b. Causae infamantes: α. copula habita inter oratores et legitimatio prolis; β. nimia familiaritas suspecta et periculosa vel cohabitatio sub eodem tecto, quae facile impediri non potest; γ. infamia mulieris; δ. periculum matrimonii civilis; ε. periculum matrimonii mixti vel coram ministro acatholico; ζ. periculum concubinatus; η. cessatio concubinatus; ϑ. remotio scandalorum; ι. revalidatio matrimonii.

5. Notandum est:

a. Quandoque dispensatio concedi dicitur *sine causa*, quod significat, dispensationem concedi sine causa canonica aut sine causa expresse allegata. In hoc casu oratoribus pium opus aut largior eleemosyna in compensationem imponitur, ut adeo bonum ecclesiae, quod illo opere promovetur, sit causa dispensandi.

b. Si causa dispensationis cessat antequam dispensatio expediatur aut applicetur, cessat etiam valor dispensationis; quodsi causa dispensationis cessat, postquam dispensatio

---

[1]) Cf. *Principia* n. 55.

[2]) Enumerantur in instructione; quam S. C. de propaganda fide edidit 9. mai. 1877.

expedita et applicata fuit, non cessat valor dispensationis, etsi matrimonium nondum celebratum sit: applicata enim dispensatione tollitur impedimentum, quod postea cessante causa non reviviscit[1]).

c. In omnibus dubiis, quae circa valorem dispensationis oriuntur, valida habenda est dispensatio, quia in dubio standum est pro valore actus[2]).

Articulus tertius.

De modo petendi dispensationem.

61. Dispensatio petitur per libellum supplicem eumque ad episcopum directum, si ipse dispensare potest, ad datariam autem vel poenitentiariam directum, si episcopus dispensare nequit.

Dispensatio pro foro externo petitur a parocho per curiam episcopalem, et dispensatio pro foro interno petitur a confessario pariter per curiam episcopalem, si nullum sit periculum violandi sigillum; existente autem hoc periculo libellus immediate transmittitur ad s. poenitentiariam.

Dispensatio pro foro externo petitur expressis oratorum nominibus; dispensatio autem pro foro interno tectis oratorum nominibus.

1. In libello supplici exprimendum est *impedimentum in infima sua specie:* an sit consanguinitas, affinitas, publica honestas etc.

2. Exprimenda est *circumstantia impedimenti*, quae efficit, ut multo difficilius dispensetur; ideo

a. In *consanguinitate* et *affinitate* indicandus et gradus et linea.

b. In *affinitate*, utrum orta sit ex copula licita, an vero ex illicita.

c. In *honestate publica,* utrum ex matrimonio rato, an vero ex sponsalibus orta sit.

---

[1]) *S. Alphons.* n. 1137.

[2]) *S. Alphons.* n. 1133.

d. In *cognatione spirituali* exprimendum est, utrum habeatur paternitas, an compaternitas et utrum paternitas orta sit ex collatione sacramenti, an vero ex munere patrini.

e. In impedimento *criminis* utrum crimen utroque, an uno, an neutro patrante commissum sit.

3. Exprimendus est *numerus impedimentorum*, scilicet

a. Non solum indicanda sunt impedimenta specie diversa, si plura concurrant e. g. consanguinitas et affinitas, sed indicandum est etiam, quoties adsit idem impedimentum e. g. an adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas.

b. Praeter impedimenta dirimentia indicanda sunt etiam impedimenta impedientia, quamvis episcopus in iis dispensare possit aut iam dispensaverit: si enim cum impedimento dirimente simul concurrit impediens e. g. mixtae religionis, multo difficilius in dirimente conceditur dispensatio.

α. Olim ex variis decretis et instructionibus romanarum congregationum ad validitatem dispensationis exprimi debebat *copula incestuosa* habita inter sponsos, qui dispensationem petunt. Nunc vero abrogatis hisce statutis per decretum s. officii 25. iun. 1885 dispensatio valida est, etsi reticita fuerit copula incestuosa inter sponsos habita. Ex aliis tamen rationibus necessarium esse potest, ut in libello supplici declaretur incestus a sponsis commissis e. g. ad legitimandam prolem ex incestu susceptam.

β. Si cum impedimento publico concurrit impedimentum occultum et oratores in rei manifestationem consentiunt, dispensatio petitur a dataria pro foro externo; quod si oratores in rei manifestationem non consentiunt, dispensatio ab impedimento publico petitur a dataria, dispensatio autem ab impedimento occulto a poenitentiaria. In libello supplici tamen, quod porrigitur poenitentiariae, facienda est mentio impedimenti publici, a quo iam petita vel petenda est dispensatio a dataria: unum enim tribunal integram causam cognoscere debet.

4. Indicandae sunt *causae dispensationis* concedendae.

a. Necesse non est, ut omnes causae dispensationis, quae forte existunt, afferantur; sed pluribus existentibus afferendae pro lubitu eligi possunt, modo veritate nitantur.

b. Nihil impedit, quominus in libello supplici praeter causas canonicas etiam aliae non canonicae e. g. infir-

mitas, deformitas etc. afferantur, quibus canonicae confirmentur.

5. Tandem exponenda sunt varia *adiuncta oratorum:*

a. An matrimonium iam sit contractum, an contractum sit bona fide saltem ex parte unius coniugis, an contractum sit praemissis proclamationibus et in forma tridentina, an iam consummatum sit et an consummatum sit mala fide saltem unius partis.

b. Qualis sit status fortunae oratorum, ut taxa determinari possit vel ut dispensatio gratis concedatur.

62. *An valeat dispensatio, si in libello supplici contineatur error.* — Error versari potest: *a.* circa impedimentum; *b.* circa causas dispensationis; *c.* circa adiuncta oratorum.

1. *Error circa impedimentum.*

a. Si linea collateralis indicatur pro linea recta, invalida est dispensatio.

b. Si gradus inferior simplex indicatur pro gradu superiore simplici, pariter invalida est dispensatio; at invalida non est, si gradus superior pro inferiore indicatur.

c. Si in gradu inaequali remotior non accurate indicatur, invalida est dispensatio; si autem propinquior non accurate indicatur, non est invalida, modo non sit primus.

2. *Error circa causas.*

a. Si una tantum causa motiva affertur eaque falsa, dispensatio invalida est, etsi causa impulsiva sit vera.

b. Si una causa motiva affertur eaque vera, dispensatio valet, etsi causae impulsivae omnes falsae sint.

c. Si plures causae motivae et impulsivae afferuntur, dispensatio valet, modo una causa motiva vera sit.

d. Levis quaedam exaggeratio causae ceteroquin verae dispensationem non reddit invalidam.

3. *Error circa adiuncta.*

a. Error accidentalis circa nomen oratoris dispensationem non reddit invalidam, modo de identitate personae certo constet.

b. Si dispensatio petitur in forma pauperum, dum oratores pauperes non sunt, valet dispensatio, quia paupertas non est causa dispensationis, sed eiusdem gratuitatis.

Articulus quartus.

De modo concedendi et exequendi dispensationem.

63. *De modo concedendi dispensationem.*

1. Dispensationes concedi possunt aut in forma commissoria aut in forma gratiosa. In *forma commissoria* concedi dicuntur, si alicui datur mandatum concedendi seu ut dici solet fulminandi dispensationem; in *forma gratiosa* concedi dicitur, si idem ipse, qui habet potestatem dispensandi (sancta sedes, episcopus), concedit dispensationem et alteri solum iniungit mandatum cum dispensatis ex officio communicandi dispensationem factam.

a. A sancta sede dispensationes solent dari in forma commissoria; ab episcopis autem potius in forma gratiosa. Dispensationes pro foro externo a s. sede committi solent oratorum ordinario, dispensationes vero pro foro interno confessario ab oratoribus eligendo. In dispensationibus ergo matrimonialibus, quae conceduntur in forma commissoria, impedimentum non removetur, quando conceditur rescriptum dispensationis, sed quando fulminatur seu executioni mandatur dispensatio.

b Ad diiudicandum valorem dispensationis attendi debet ad formam, qua illa conceditur: nam ut valida sit dispensatio, causae in libello supplici allatae verae esse debent eo tempore, quo conceditur dispensatio. Hinc si dispensatio conceditur in forma commissoria, causae verae esse debent quando commissarius, et si dispensatio conceditur in forma gratiosa, causae verae esse debent, quando dispensat curia sive romana sive episcopalis.

2. Insuper dispensatio conceditur aut in forma ordinaria aut in forma pauperum. In *forma ordinaria* concedi dicitur, quando occasione dispensationis certa taxa solvenda exigitur; in *forma pauperum* concedi dicitur, quando taxa non exigitur.

Haec diversa forma solum occurrit in dispensationibus, quae a *dataria* conceduntur, quae in forma pauperum dispensat, si cum vere pauperibus in impedimentis publicis ipsa dispensat.

3. Leo XIII. per s. officium 20. febr. 1888 circa commissarios dispensationum, quae in forma commissoria

conceduntur, plura decrevit, quibus ius antiquum immutatur.

a. Dispensationes ordinario commissas exequi potest etiam eius vicarius generalis et sede vacante vicarius capitularis.

b. Dispensationes sede vacante a vicario capitulari petitas exequi potest episcopus successor et eius vicarius generalis.

c. Dispensationes ordinario oratorum commissas exequi potest aut ordinarius, qui libellum supplicem transmisit s. sedi, sive adhuc eorum ordinarius sit sive non amplius sit; aut ordinarius loci, in quo matrimonium contrahunt.

d. Ordinarius, cui dispensatio commissa est, potestatem exequendi dispensationem etiam alteri ordinario delegare potest.

64. *De modo exequendi dispensationem.*

1. Commissarius imprimis investigare debet, an validum sit rescriptum, praesertim vero an causae dispensationis eo ipso tempore verae sint, quo fulminatur dispensatio. Quodsi rescriptum invalidum sit, petenda est eiusdem sanatio, quae conceditur novo rescripto, quod solet dici *Perinde valere*, quia prius rescriptum declaratur perinde valere, ac si nullo defectu laboraret.

2. Accurate adimplere debet clausulas, quae in rescripto continentur: omnes enim rationem praecepti pro qualitate materiae sub gravi vel sub levi obligantis habent, earumque nonnullae etiam conditiones sunt, a quarum executione validitas dispensationis dependet.

3. Declarare debet, se agere vi delegationis pontificiae, ac tandem exprimere debet impedimentum, a quo oratores ipse dispensat.

Determinata formula dispensationis non praescribitur; ideo concessa absolutione sacramentali, si pro foro interno danda est dispensatio, uti poterit his vel similibus verbis: *Insuper auctoritate apostolica mihi commissa dispenso tecum super impedimento . . ut eo non obstante matrimonium inire valeas. In nomine Patris etc.* Si opus fuerit addendum est: *Insuper eadem auctoritate apostolica prolem suscipiendam legitimam renuntio. In nomine Patris etc.*

4. Dispensationis fulminatio pro foro interno ordinarie fit in confessione sacramentali. In gratiam confessariorum, qui aliquando exequi debebunt dispensationem, haec pauca notentur.

a. Litterae dispensationis a s. poenitentiaria concessae solent inscribi: *Confessario ex approbatis ab ordinario;* quare dispensationem exequi potest quilibet confessarius approbatus ab oratore electus.

b. Si in litteris dispensationis haec continentur: *Latorem, audita prius eius sacramentali confessione, a quibusvis censuris etc. absolvas,* non valet dispensatio nisi praemissa confessione sacramentali et in actu confessionis; at non requiritur absolutio sacramentalis; hinc si poenitens non sit dispositus ad obtinendam absolutionem, tamen dispensari potest, et si absolutio esset sacrilega, nihilominus valida esset dispensatio.

c. Vi huius clausulae: *iniuncta poenitentia salutari* iniungi debet poenitentia, quae a poenitentia sacramentali sit distincta. Quandoque iniungenda praescribitur poenitentia gravis et longa, gravis et diuturna, gravissima et perpetua. Haec poenitentia determinanda est ab eo, qui dispensationem exequitur, ratione habita conditionis, aetatis, sexus illius, cui iniungenda est. Poenitentia *gravis et longa* esset opus poenitentiae, quod per annum vel per semestre vel etiam per trimestre singulis hebdomadis peragendum imponitur, e. g. singulis hebdomadis semel aut bis rosarium recitare, singulis hebdomadis semel sacrum audire, singulis dominicis *viam crucis* peragere, saltem semel in mense ss. sacramenta suscipere etc. Poenitentia *gravis et diuturna* esset eiusmodi opus poenitentiae, quod per tres annos, aut per duos aut etiam per unum annum peragendum iniungitur. Poenitentia *gravissima et perpetua* esset eiusmodi opus usque ad mortem peragendum.

d. Si dispensatio manere debet occulta, in rescripto dispensationis continentur haec verba: *praesentibus litteris sub poena excommunicationis latae sententiae per te post executionem statim destructis.* Destructio *statim* i. e. saltem

intra triduum facienda est. Hisce tamen confessarius non prohibetur litteras describere et pro sua instructione apud se retinere, dummodo omnia omittantur, ex quibus persona poenitentis cognosci potest[1]).

Quaestio sexta.

De celebratione matrimonii.

Articulus primus.

De proclamationibus matrimonii.

65. Lex ecclesiae sub gravi obligans praecipit, ut matrimonium, antequam contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter missarum sollemnia publice denuntietur[2]).

a. Denuntiationes publicae matrimonii *banna* vocari solent, quae vox germanica esse et publicam proclamationem significare videtur; etsi hoc sensu nunc non amplius adhibeatur.

b. Legem bannorum in gallia primitus existentem concilium lateranense IV. sub Innocentio III. ad universam ecclesiam extendit[3]); a concilio vero tridentino eadem lex innovata et accuratius definita fuit.

1. Hanc legem *gravem* esse, colligitur *a.* ex gravi eius fine et ex materia, quae ad illum obtinendum multum confert; *b.* ex gravi poena a concilio in transgressores statuta.

Finis legis triplex est: *a.* ut detegantur, si quae forte existant, impedimenta matrimonii contrahendi; *b.* ut elimi-

---

[1]) Notandum est sequens decretum: Dispensatio matrimonialis ab ordinario executioni mandata post habitam notitiam per telegraphum et antequam pervenerit authenticum documentum gratiae concessae invalida est, nisi notitia telegraphica transmissa fuerit ex officio auctoritate s. sedis *S. Officium* 14. aug. 1892.

[2]) Concil. trid. sess. 24. de ref. matr. c. 1.

[3]) Decr. l. 4. t. 3. c. 3. *Cum inhibitio.*

nentur matrimonia clandestina; *c.* ne filii familias contrahant invitis parentibus.

Poena in transgressores statuta duplex est: *a.* ut coniuges, si postea impedimentum detegatur, separari debeant omni spe dispensationis obtinendae ademta; *b.* ut proles illegitima habeatur, etsi coniuges ob ignorantiam impedimenti in bona fide fuerint[1]).

2. Lex bannorum obligat omnes fideles *a.* etiam in regionibus, in quibus matrimonia clandestina valida sunt; *b.* etsi matrimonium contrahendum publice notum sit; *c.* etsi constet, nullum subesse impedimentum matrimonii, quia lex universalis urget, etsi in particulari casu finis legis cesset.

Excipitur tamen *a.* matrimonium principum, quod proclamari non solet, quia eorum genus adeo notum est, ut impedimentum, si quod subsit, facile cognosci possit; *b.* casus urgentis necessitatis, ut si in periculo mortis contrahendum esset matrimonium ad legitimandam prolem.

3. Denuntiatio *ter fieri debet.* *a.* Duas denuntiationes omittere grave censetur, quia lex ecclesiae in re notabili violatur. *b.* Unam denuntiationem omittere grave non est, si per duplicem denuntiationem matrimonium contrahendum sufficienter notum fit, ut adeo finis legis obtineri possit; veniale autem est, quia est contra praeceptum ecclesiae. *c.* Ut parochus tertiam denuntiationem omittere possit, indiget licentia seu dispensatione episcopi.

4. *Diebus festivis* iisque *continuis.* *Festivis* i. e. quibus urget obligatio audiendi sacrum, ergo etiam diebus dominicis, ut adsit concursus populi, non autem diebus festis abrogatis nisi de licentia episcopi[2]). *Continuis* i. e. ita sibi succedentibus, ut nullus dies festivus praetermittatur, ne forte populus denuntiationum obliviscatur. Si tamen dies festus ex aliqua qualicunque causa praetermittitur, sequenti die festivo prosequenda est denuntiatio.

a. Denuntiationes probabiliter etiam fieri possunt diebus festivis immediate sibi succedentibus.

---

1) Conc. trid. sess. 24. de ref. matr. c. 5.

2) S. C. C. 29. apr. 1823.

b. Si factis denuntiationibus matrimonium non statim celebratur, sed diutius differtur, denuntiationes denuo fieri debent. Quamdiu differendum sit matrimonium, ut nova denuntiatio necessaria sit, non est lege generali determinatum: iuxta rituale romanum post duos menses, iuxta particularia statuta dioecesium post tres, alibi post quatuor, in austria post sex menses nova denuntiatio requiritur.

5. *In ecclesia* (scilicet parochiali) *inter missarum sollemnia,* non autem in alia ecclesia nec in missis privatis nec in vesperis.

Attamen *a.* si occasione concionis aut processionis congregatus esset populus, ex iusta causa tunc posset fieri denuntiatio, quia finis legis aeque obtineri potest.

b. Si parochus in missa denuntiationis faciendae oblitus fuisset, eam in vesperis facere posset.

c. Si aliquo die festo in alia ecclesia potius quam in ecclesia parochiali frequens esset populi concursus, ibi fieri posset denuntiatio, quia finis legis ibi melius obtinetur.

6. *A proprio contrahentium parocho*, vel ab alio de eius licentia. Proprius contrahentium parochus est parochus domicilii aut quasi-domicilii.

a. Parochus alium sacerdotem ad denuntiationes faciendas delegare potest: etenim si ad assistendum matrimonio, a fortiori ad denuntiandum matrimonium alium delegare potest. Laicum vero ad id delegare nequit, nisi iis in locis, in quibus ut in hispania legitima consuetudo invaluit, aedituum delegandi.

b. Consuetudo et statuta particularia hanc legem ita interpretata sunt, ut banna proclamari debeant:

α. In propria parochia *utriusque* contrahentis, si diversam habeant, excepto duplici casu, si nempe parochiae adeo vicinae sunt, ut notitia denuntiationis ex una in aliam facile deferri possit, et si in dioecesi viget consuetudo denuntiandi banna in alterutra tantum parochia.

β. In parochia tum veri tum quasi-domicilii, et si quis duo domicilia aut domicilium et quasi-domicilium habet, in utroque facienda est denuntiatio.

γ. Si sponsi, antequam fierent denuntiationes, in alium locum migrarunt, distinguendum est: si ante breve tempus

illuc venerunt, facienda est denuntiatio tum in loco, ubi actu degunt, tum in loco, unde venerunt, quia in priore loco nondum satis noti sunt; quodsi a longo tempore (ante annum) eo se contulerunt, sufficit, ut denuntiatio in loco fiat, ubi nunc degunt.

c. Vagorum matrimoniis parochus assistere nequit, nisi licentiam episcopi obtinuerit[1]). Huius etiam est statuere, quo loco denuntiationes fieri debeant. Ordinarie fiunt in loco, ubi matrimonium contrahitur, quandoque etiam in loco originis.

7. A lege bannorum ex iusta causa *dispensare* potest episcopus, cui concilium tridentinum (c. 1.) hanc potestatem facit, eamque participat etiam vicarius generalis, non autem parochus. Et facilius quidem ab una vel altera denuntiatione quam ab omnibus dispensari potest; semper autem ad validam dispensationem iusta causa requiritur.

a. Parochus a bannorum proclamatione dispensare nequit, nisi ab episcopo ad id delegatus fuerit; urgente autem necessitate declarare potest, legem ecclesiae cum tanto incommodo non obligare; postea tamen ea de re moneri debet episcopus.

b. Si sponsi ad diversas dioeceses pertinent, ab utroque episcopo petenda est dispensatio. Plures tamen auctores censent, episcopum, qui unam partem dispensat, eo ipso etiam aliam dispensare, etsi ad ipsius subditos non pertineat, quia sponsi in ordine ad matrimonium una persona censentur[2]).

c. Iustas dispensandi causas ad duas classes revocat *s. Alphonsus* (n. 1005): aliae sunt, propter quas episcopus dispensare debet, ut si timendum sit, ne matrimonium malitiose impediatur aut si timendum sit scandalum vel infamia contrahentium; aliae sunt, propter quas dispensare potest, ut si sponsi essent expositi pudori aut ludibrio hominum propter senium aut propter disparem conditionem.

---

[1]) Conc. trid. sess. 24. de ref. matr. c. 7.

[2]) Cf. *Matharan,* n. 62.

8. Per se existit *obligatio eaque gravis revelandi* impedimenta matrimonii tum dirimentia tum etiam mere impedientia, modo certa eorum notitia habeatur. Haec obligatio oritur tum ex praecepto religionis, quia agitur de praecavenda irreverentia sacramenti, tum ex praecepto caritatis, quia agitur de impediendo peccato, tum ex praecepto ecclesiae, quae ipso praecepto bannorum id praescribit.

a. Ea revelare debet quilibet, qui eorum notitiam habet, cuiuscunque sit sexus, aetatis, parochiae aut dioecesis, etsi ea sub secreto aut solus cognoscat nec iuridice probare possit. Ratio *primi* est, quia obligatio secreti cessat, ubi illud in damnum tertii cedit; ratio secundi est, quia revelatio non eo tendit, ut aliquis reus condemnetur, sed ut malum praecaveatur.

b. Impedimenta revelare non debet: *α.* qui ea cognoscit sub secreto consilii; at monere debet sponsos, ut a matrimonio desistant; *β.* qui ea revelare non potest sine gravi suo damno aut gravi aliorum scandalo, ut si impedimentum revelari non posset sine propria aut alterius gravi infamia aut sine laesione sigilli.

c. Revelari debent impedimenta omnia etiam occulta. Si tamen impedimentum oritur ex peccato occulto, prius monendi sunt sponsi, ut vel a matrimonio desistant vel dispensationem sibi procurent; quodsi monitio profutura non speretur aut si tempus urgeat, res immediate deferenda est ad parochum.

Articulus secundus.

De assistentia parochi et testium.

§ 1. De parocho proprio.

66. Ut matrimonium sit validum, ex lege tridentina assistere debet *parochus proprius* contrahentium, atque id quidem ut *testis* ab ecclesia deputatus.

1. Nomine *parochi* intelligitur, qui proprio nomine curam animarum actu exercet.

Ergo matrimonio assistere possunt:

a. Summus pontifex in universa ecclesia;

b. nuntius apostolicus intra fines nuntiaturae suae;

c. episcopus (et vicarius generalis) in sua dioecesi et sede vacante vicarius capitularis;

d. parochus in sua parochia: etenim hi omnes nomine proprio curam animarum actu exercent.

2. Matrimonio valide assistit parochus

a. cum primum nominatus est parochus, etsi nondum sit sacerdos, sed solum clericus, et quamdiu manet parochus, etsi sit irregularis, suspensus, interdictus aut excommunicatus etiam vitandus, etsi episcopus id ei prohibuerit, quia assistendo non exercet actum iurisdictionis, sed solum agit testem qualificatum.

b. Valide assistit etiam parochus *putativus*, qui parochus non est, sed errore communi talis esse putatur, modo habeat titulum coloratum; valide autem non assistit parochus *intrusus*, qui non est a legitima auctoritate nominatus.

c. Valide et ex iusta causa etiam licite matrimonio sui subditi assistit parochus extra parochiam et episcopus extra dioecesim; benedictionem nuptialem autem sine licentia parochi vel ordinarii eius loci, in quo celebratur matrimonium, impertire non potest.

3. Assistere debet parochus *proprius* alterutrius contrahentium; si ergo contrahentes ad diversas parochias pertinent, uterque parochus valide assistere potest; convenit autem, ut matrimonium contrahatur coram parocho sponsae: *sponsalia enim ubi sponsus, nuptiae ubi sponsa.* Parochus proprius est *a.* parochus domicilii; *b.* parochus quasi-domicilii contrahentium; parochus ergo valide assistit, quamdiu unus contrahentium in ipsius parochia domicilium aut quasi domicilium habet; convenit autem, ut contrahant ubi actu habitant

Hoc loco quantum fieri potest accurate determinari debet: *a.* quando aliquis acquirat et amittat domicilium; *b.* quando acquirat et amittat quasi-domicilium, ut sciatur, quando parochus matrimonio valide assistere possit.

67. *De domicilio et quasi-domicilio* non lex civilis, sed statuta legis ecclesiasticae servari debent: matrimonium enim regit ius canonicum.

I. *De acquirendo domicilio.* Duplex distinguitur domicilium: *voluntarium,* quod aliquis per se i. e. propria electione acquirit, et *legale* seu necessarium, quod quis per alium seu ex dispositione legis acquirit.

1. Ad acquirendum *domicilium voluntarium* duo simul concurrere debent: *a.* factum habitationis i. e. ut quis actu in aliquo loco habitare incipiat; et *b.* animus perpetuo ibi manendi, nisi nova aliqua ratio eum avocet.

α. Domicilium acquiritur ex eo die, quo haec duo simul adsunt, et necesse non est, ut quis per aliquod tempus iam ibi habitaverit.

β. Si de animo perpetuo ibi manendi non constat, ille ex variis indiciis, quae moralem certitudinem pariant, concludi debet.

2. Domicilium *legale* acquirunt personae in lege determinatae: *a.* uxor acquirit domicilium mariti; *b.* filii habent domicilium parentum, donec sui iuris effecti e patria potestate se subtrahunt; *c.* nutritii domicilium habent tutorum.

II. *De amittendo domicilio:*

Amittitur domicilium, si haec duo simul concurrunt: *a.* actualis discessus e loco domicilii et *b.* animus non redeundi. Sicut solus discessus e loco domicilii ad amittendum domicilium non sufficit, ita nec solus animus non amplius in eo loco manendi sufficit.

Domicilium ex eo die amittitur, quo haec duo simul adsunt, neque necesse est, ut alibi domicilum aut quasi-domicilium acquisitum sit.

III. *De acquirendo quasi-domicilio.*

Acquiritur quasi-domicilium, si haec duo simul concurrunt: *a.* factum habitationis in aliquo loco; et *b.* animus ibi manendi per longius tempus i. e. saltem per quatuor menses.

α. Etiam quasi-domicilium acquiritur ex eo die, quo haec duo simul adsunt, nec requiritur, ut quis per aliquod tempus iam ibi habitaverit.

β. Quamdiu necesse sit, ut in loco manere velint, auctores non conveniunt: alii enim requiri dicunt, ut animum habeant manendi per maiorem anni partem adeoque per sex menses; alii sufficere censent tempus aliquot (quatuor) mensium.

γ. Ergo officiales publici, iudices, professores, discipuli, famuli, ancillae etc. qui ratione officii, studii vel negotii gerendi in aliquo loco degunt cum intentione per longius tempus ibi manendi, in eo loco quasi-domicilium habent.

δ. Si de animo per longius tempus in aliquo loco manendi non constat, is ex variis indiciis concludi debet. Qua de re notandum est decretum s. officii pro statibus Americae confoederatis 6. maii 1886 editum: „In statibus Americae confoederatis se transferentes e loco, ubi viget caput *Tametsi*, in alium locum, dummodo ibi continuo commorati fuerint per spatium saltem unius integri mensis censendos esse ibidem habere quasi-domicilium in ordine ad matrimonium, quin inquisitio facienda sit de animo ibi permanendi per maiorem anni partem."

IV. *De amittendo quasi-domicilio.*

Amittitur quasi domicilium, si haec duo simul concurrunt: *a.* actualis discessus e loco quasi-domicilii et *b.* animus non redeundi.

68. *De matrimoniis vagorum.*

1. *Vagi* dicuntur, qui nullibi nec domicilium nec quasi-domicilium habent. Distinguuntur *habitualiter* vagi, qui continuo carent domicilio aut quasi-domicilio, et *actualiter* vagi, qui eo quidem tempore, quo matrimonium contrahunt, domicilio carent, antea vero illud habebant et postea iterum habituri sunt.

2. Ex supra dictis (n. 39. 2.) in contrahendo matrimonio servare debent formam tridentinam, si versantur in loco, ubi viget decretum tridentinum; quodsi versantur in loco, in quo decretum tridentinum promulgatum non est, validum est eorum matrimonium, etsi clandestine contrahant.

3. Contrahere possunt coram parocho, in cuius parochia actu versantur; quodsi unus tantum sponsorum sit vagus, contrahere possunt coram parocho, in cuius parochia vagus actu versatur.

4. Parochus ex praescripto concilii tridentini (habitualiter) vagorum matrimonio sine facultate episcopi licite assistere nequit[1]); matrimonio autem actualiter vagorum praemissis debitis promulgationibus assistere potest.

---

[1]) Sess. 24. de ref. mat. c. 7.

§. 2. De sacerdote delegato.

69. Vi decreti tridentini proprius parochus delegare potest alium, qui loco sui matrimonio assistat[1]).

1. *Delegare* possunt omnes, qui potestatem assistendi ordinariam habent: summus pontifex pro tota ecclesia, episcopus pro dioecesi, parochus pro parochia.

Subdelegare possunt: *a.* qui generalem delegationem habent; *b.* qui a summo pontifice delegati sunt; *c.* qui ad subdelegandum specialem facultatem acceperunt; et praestat, ut haec facultas semper addatur, ut pro casibus non praevisis consultum sit.

An capellanus seu vicarius, qui ab episcopo aut a parocho generalem delegationem habet, ut adeo omnibus matrimoniis suae parochiae valide assistat, *alium sacerdotem subdelegare possit.* — Cum delegatus sit ad universitatem causarum, per se etiam subdelegare potest; in praxi tamen attendendum est, ad locorum consuetudinem nec non ad statuta dioecesana.

2. *Delegari* solum potest *sacerdos,* ut adeo si delegatus non sit sacerdos, valide non assistat: totum enim decretum tridentinum, quod expresse statuit, ut delegatus sit sacerdos, habet vim legis irritantis.

3. Delegatio debet esse expressa sive in scriptis sive viva voce conceditur, aut saltem tacita, non aliquo signo consensum manifestante significata, nec sufficit praesumta; et a delegato debet esse cognita nec prodest ignorata. Valet etiam delegatio metu extorta, modo non sit revocata.

An *coadiutores parochorum* (capellani, vicarii) immediate ab ipso episcopo accipiant potestatem assistendi matrimoniis, an vero parochi eam ipsis committant, cognosci debet ex consuetudine vel ex statutis dioecesis.

§. 3. De testibus.

70. Ut matrimonium sit validum, ex decreto tridentino duo saltem testes eidem assistere debent.

---

[1]) Concil. trid. c. *Tametsi.*

1. Testes esse possunt omnes, qui de aliquo facto testificari possunt; ergo ad matrimonii validitatem nihil refert sive testes sint mares sive feminae, sive fideles sive infideles, sive consanguinei sive extranei, sive puberes sive impuberes, modo rationis usum habeant et de contracto matrimonio testari possint.

2. Ut de matrimonio valide testari possint, aliud non requiritur, nisi ut ita praesentes sint, ut de mutuo consensu testimonium ferre possint; hinc physice adesse debent, ut scire possint, quae aguntur. Quod quidem etiam de parocho valet, quippe qui solum munus testis qualificati agat.

a. Ergo etiam qui casu adest, qui dolo vi aut metu ad testificandum inducitur, valide testis esse potest.

b. Ergo etiam caecus, modo ex contrahentium verbis, et surdus, modo ex contrahentium signis cognoscat, quid agatur, valide testis esse potest; qui autem surdus et simul caecus est, valide assistere nequit.

c. Parochus, qui sibi aures obturat et oculos claudit, valide assistit, si saltem ex actibus antecedentibus vel consequentibus percipit consensum contrahentium, ut si viderit sponsum manum sponsae tenentem vel ei annullum tradentem.

3. Hi testes omnes (parochus cum duobus testibus) *simul* adesse debent: de eodem enim actu fidem facere debent, quod non possent, si successive interessent.

Articulus tertius.

De ipsa celebratione matrimonii.

Ad matrimonii celebrationem aliud ex parte contrahentium, aliud ex parte parochi requiritur.

71. Ex *parte contrahentium* requiritur:

1. Ut sint in statu gratiae, quia sacramentum vivorum suscipiunt; ideo statuta particularia quandoque praescribunt, ut matrimonio praemittatur confessio; lege tamen universali confessio non praecipitur: concilium enim tridentinum solum *hortatur* sponsos, ut ante matrimonium confiteantur[1]).

[1]) Sess. 24. de ref. matr. c. 1.

2. Ut benedictionem nuptialem accipiant: etsi enim ecclesia eam nupturientibus non praecipiat, enixe tamen desiderat, ut eam petant et accipiant.

Nomine *benedictionis nuptialis* designantur tres orationes, quae in missa pro sponsis in missali habentur, quarum duae post *Pater noster* tertia vero post *Ite missa est* vel *Benedicamus domino* super sponsos recitantur. Cum benedictio nuptialis a missa pro sponsis separari nequeat, monendi sunt nupturientes, ut nuptias celebrent, quando missa dicitur.

72. Ex *parte parochi* requiritur:

1. *Copulatio* seu coniunctio sponsorum, quae sub gravi fieri debet publice *in ecclesia*[1]; in oratoriis vel in domibus privatis solum de licentia episcopi fieri potest.

2. Parochus utrumque contrahentem *interrogare* debet de consensu, ut testes de contracto matrimonio fidem facere possint. Interrogationis omissio venialis est.

3. Intellecto consensu sponsos copulare debet his vel similibus verbis iuxta receptum provinciae usum: *ego vos in matrimonium coniungo in nomine P. et F. et Sp. s.* Horum omissio pariter veniale non excedit.

Benedictio annuli est sacramentale, quae propterea non est omittenda.

4. Peracta copulatione sponsis, si nihil obstat, *benedictionem nuptialem* impertiri debet.

a. Benedictio nuptialis, ubi ex praescripto ecclesiae licet, semper concedenda est, si sponsa eam nondum accepit, sive haec virgo sive vidua sive deflorata sit, etsi sponsus sit viduus et benedictionem iam semel acceperit.

b. Benedictio nuptialis concedenda non est in his casibus:

α. Si sponsa vidua est et benedictionem iam accepit;

β. Si nuptiae tempore clauso, etsi permittente episcopo, celebrantur;

γ. Si matrimonium mixtum, etsi cum dispensatione summi pontificis, contrahitur.

c. Missa votiva pro sponsis solum propter benedictionem nuptialem dici potest, quare haec missa dici nequit, ubi benedictio non conceditur, etsi per rubricas missa votiva dici posset.

---

[1]) Constit. Benedicti XIV. *Satis vobis.*

An parochus assistere possit matrimonio eorum, qui sunt in statu peccati aut excommunicati. — Parochus, quantum potest, curare debet, ut sponsi digne contrahant, ideo eos opportune moneat et a committendo sacrilegio avertat: ex officio enim salutem suorum parochianorum procurare eorumque peccata impedire debet. Quodsi Deo reconciliari nolint

a. Assistere potest et debet, tum si solum ex confessione novit, eos esse in statu peccati, tum si non sunt publici peccatores; primum ne laedat sigillum, alterum ne laedat eorum famam.

b. Si sunt publici peccatores, per se assistere nequit, quia assistendo cooperatur eorum duplici sacrilegio; attamen quia haec cooperatio materialis est, ex causa proportionate gravi assistere potest. Et quandoquidem eiusmodi causa fere semper adest — ad evitanda nimirum mala, quae ex negata assistentia orerentur — ordinarie assistere potest.

c. Si unus tantum contrahentium est in statu peccati mortalis, multo facilius permitti potest assistentia: praescindendo enim ab aliis rationibus iam ad favorem praestandum parti innocenti parocho assistere licet.

d. Quoad *notorie excommunicatos* „parochus ordinarium consulat, qui habita rerum et circumstantiarum ratione omnibusque perpensis, quae a probatis auctoribus et praesertim a s. Alphonso traduntur, ea declaret, quae magis expedire in domino iudicaverit, exclusa tamen semper missae celebratione“[1]).

Articulus quartus.

De celebratione matrimonii mixti.

78. 1. De iure communi omittendae sunt *proclamationes* huius matrimonii; ubi tamen activa parochi assistentia permittitur, tolerari potest, ut consuetae procla-

---

[1]) S. Poenit. 10. dec. 1860.

mationes fiant, praetermissa religionis nupturientium mentione, et de factis proclamationibus litterae testimoniales concedi possunt.

2. De iure communi parocho non licet praestare nisi *assistentiam passivam*, etsi necessariae cautiones exhibitae sint; quodsi ex negata assistentia activa gravia incommoda timenda essent, episcopus assistentiam activam permittere posset; exclusa tamen semper missae celebratione cum benedictione nuptiali.

a. Assistentia passiva est materialis tantum praesentia, quae fit extra ecclesiam (ad quam in hoc casu etiam sacristia pertinet), sine vestibus sacris et sine ullo ritu sacro; attamen non excludit interrogationes de voluntate ineundi matrimonium.

b. Ubi assistentia activa permittitur, semper tamen excluditur celebratio missae cum benedictione nuptiali; licet autem adhibere aliquem ritum sacrum e. g. benedictionem sponsorum, qualis in ritualibus dioecesanis haberi solet.

3. In matrimoniis mixtis *illicitis*, in quibus nempe necessariae cautiones exhibitae non sunt, ne assistentia passiva quidem praestari licet; parochi enim assistentia esset coöperatio ad actionem graviter malam; ad maiora tamen mala vitanda tolerari potest, tum ut proclamationes fiant, tum ut assistentia materialis praestetur.

Mala, ad quae praecavenda episcopus assistentiam permittere potest, sunt: *a.* si alias excitarentur haereticorum querimoniae et odia adversus fideles et ecclesiam; *b.* si alias adirent ministellum haereticum ad sacrilegam benedictionem obtinendam; *c.* si non servarentur debitae cautiones praesertim de universa prole in catholica religione educanda.

4. *De adeundo ministello haeretico. a.* Ministrum haereticum tamquam officialem civilem adire sive ante sive post matrimonium contractum licet, ubi lex civilis id praecipit ad actum civilem implendum.

b. Ministrum haereticum adire tamquam ministrum sacrorum et munere parochi fungentem non licet, et qui id faciunt, graviter peccant ratione prohibitionis ecclesiasticae, scandali et vetitae communicationis in sacris et insuper excommunicationem incurrunt tamquam fautores haeresis.

c. Si nupturientes declaraverint, se velle postea etiam coram ministro haeretico contrahere vel si eum iam adierint, antequam matrimonium contrahatur coram parocho catholico, hic non potest matrimonio assistere, nisi in hoc altero casu et sub conditione, quod pars catholica „facti poenitens, praeviis salutaribus poenitentiis, absolutionem a contractis censuris rite prius obtinuerit“.

d. Si parochus interrogatur a sponsis, an liceat adire ministrum haereticum, vel si certo sciat, eos illum adituros esse, non potest silere, sed sponsos de gravi ecclesiae prohibitione et de censuris monere debet, et si in proposito persistant, non potest ullam assistentiam praebere.

e. Si parochus non interrogatur a sponsis, an liceat adire ministrum haereticum, si tamen praevideat, eos forsan illum adituros esse, et si insuper praevideat, monitionem non esse profuturam, olim de prohibitione ecclesiae silere poterat, attamen cum nunc dispensatio ineundi matrimonium mixtum non concedatur, nisi hac expressa conditione: *dummodo nec ante nec post adeant ministrum acatholicum,* monitionem omittere amplius non potest.

Quaestio septima.

De revalidatione matrimonii.

74. 1. *Revalidatio* matrimonii est ille actus, quo matrimonium eousque invalidum redditur validum: si enim contractus hucusque invalidus valorem accipit, revalidari dicitur. Duplex distinguitur matrimonii revalidatio, alia per dispensationem seu *modo ordinario facta,* alia per *sanationem in radice.*

2. Quandoquidem per matrimonii revalidationem sacramentum administratur et recipitur, quantum fieri potest, curari debet, ut coniuges sint in statu gratiae, quando matrimonium revalidatur i. e. quando renovatur consensus aut applicatur sanatio.

Quid confessario agendum sit, quando advertit aliquod matrimonium esse invalidum. — Cavere debet, ne incaute statim matrimonii nullitatem declaret; itaque

1. Si coniuges *in bona fide* sunt et ex declarata matrimonii nullitate maiora mala sequerentur, in bona fide relinquendi sunt. Id tum praesertim accidit, ubi impedimentum, quod detegitur, occultum et indispensabile est, ideoque coniuges nec sine scandalo separari nec sine periculo peccandi cohabitare possunt.

2. Si matrimonii nullitas utrique *nota est*, revalidatio autem obtineri nequit, coniuges omnino separandi sunt. Quaenam autem separatio urgenda sit, ex adiunctis dependet; scilicet

a. Si nullitas matrimonii iuridice probari potest, per sententiam iudicis ecclesiastici perfecte separandi sunt.

b. Si nullitas matrimonii iuridice probari non potest et ex cohabitatione oritur incontinentiae periculum, sub specie divortii a toro et cohabitatione separandi sunt.

c. Si ex cohabitatione non oritur incontinentiae periculum, sufficit, ut a communi toro separentur et tamquam frater et soror cohabitent.

3. Si matrimonii revalidatio obtineri potest, ea procurari debet; interim vero, donec matrimonium obtenta dispensatione revalidari possit, haec servanda sunt.

a. Si matrimonii nullitas *publice nota* est, coniuges a toro et cohabitatione separandi sunt, donec obtineatur impedimenti dispensatio.

b. Si matrimonii nullitas *utrique parti tantum* nota est, et ex cohabitatione non oritur peccandi periculum, sufficit, ut a toro separentur; quodsi existit peccandi periculum, sub aliquo praetextu e. g. itineris etiam a habitatione separari debent.

c. Si matrimonii nullitas *uni tantum parti* nota est, haec compartem, si fieri potest, monere debet, ut ab usu matrimonii abstineat; si eam monere non potest, sub aliquo praetextu a debito reddendo, etiam sub quocunque incommodo, abstinere debet, quia copula, utpote fornicaria, prorsus illicita esset.

d. Si matrimonii nullitas *neutri parti* nota est et monitio obfutura praevideatur, relinquendi sunt in bona fide, donec obtineatur dispensatio et matrimonium convalidari possit.

Articulus primus.

De revalidatione ordinaria.

Matrimonium invalidum esse potest aut propter defectum consensus aut propter defectum formae tridentinae aut propter impedimentum dirimens, quod contrahentes reddit inhabiles ad matrimonium ineundum.

75. *De revalidatione ob defectum consensus.* Si matrimonium invalidum est propter defectum consensus, sive quod ficte aut ex errore aut ex metu consensus exhibitus fuerit, aliud ad eius convalidationem non requiritur, nisi ut novus consensus vel ex utraque parte vel saltem ex una parte formaliter exhibeatur et quidem:

1. Si consensus ex *utraque parte* defuit, ab utraque parte formaliter exhiberi debet ac si primo contraheretur matrimonium, quia contractus matrimonialis iniri non potest absque mutuo consensu.

Utrum consensum simul ponere debeant, vel an sufficiat, ut illum seorsim ponant, ex supra (n. 3.) dictis colligitur.

2. Si consensus *ex una parte* tantum defuit, haec certe eundem supplere debet; et si alia pars sine incommodo de nullitate matrimonii moneri potest, id sane faciendum est, ut consensus ex utraque parte renovari possit vel saltem ut melius constet, consensum ex alia parte adhuc perdurare; hoc autem necesse non est, sed sufficit, ut una pars consensum suum addat consensui alterius, qui initio verus et validus erat et moraliter adhuc perdurat.

a. Sunt, qui renovationem consensus ex utraque parte factam etiam in hoc casu necessariam dicant, at immerito: matrimonium enim sequitur naturam contractus; ad valide autem contrahendum non requiritur, ut utraque pars simul actu consensum eliciat, sed sufficit, ut unius consensus adhuc moraliter perduret, quando alius consensum formaliter elicit.

b. Illud autem omnino requiritur, ut consensus sit externus ideoque signo aliquo exprimatur; exprimi autem potest vel per verba, vel per cohabitationem vel per copulam cum intentione habitam consentiendi in matrimonium.

76. *De revalidatione ob defectum habilitatis.* Si matrimonium invalidum est, propter impedimentum dirimens, obtenta prius dispensatione ab impedimento,

1. Renovari debet consensus, et quidem ab utraque parte, sive utraque pars sive una tantum impedimentum cognoverit: nam si utraque pars impedimentum cognovit, ex omnium sententia prior consensus invalidus ideoque renovandus est. Si una tantum pars impedimentum cognovit, huius consensus ab omnibus dicitur invalidus atque renovandus; atqui affirmari debet, etiam alterius consensum fuisse invalidum propter legem ecclesiae irritantem consensum eius, qui cum impedimento dirimente contrahit; quare etiam huius consensus renovari debet. Etenim si unus tantum consensum renovat et huius novus consensus accedit ad consensum alterius virtualiter perdurantem, non efficitur matrimonium, cum istius consensus ad hoc sit ineptus.

Quod contra hanc argumentationem opponitur, nempe consensum eius, qui impedimentum ignoravit, non esse absolute et ex natura rei ineptum, sed solum propter impedimentum, quo sublato per dispensationem fit ex natura rei validus; — hoc inquam nullius est momenti: consensus enim, quem lex ecclesiae declarat irritum, tum iure naturae tum iure ecclesiastico est invalidus. Insuper quoad valorem consensus nihil refert, an contrahens impedimentum cognoverit, an ignoraverit: existentia enim, non cognitio legis irritantis consensum reddit invalidum; hinc si invalidus est consensus eius, qui impedimentum cognovit, invalidus est etiam eius, qui illud ignoravit.

2. Elici debet consensus novus a priore independens: etenim si tantummodo prior consensus renovatur, non sufficit ad efficiendum verum matrimonium, cum ille sit invalidus. Quam ob rem alia pars de nullitate matrimonii moneri debet: si enim nullitatem matrimonii non cognoscit, non elicit novum consensum, sed solummodo ratum habet priorem.

Ideo s. poenitentiaria in rescriptis dispensationis ab impedimento dirimente quandoque exigit, non solum ut renovetur consensus, sed etiam ut alia pars de nullitate matrimonii certior reddatur. Quodsi haec clausula addita sit, censetur esse conditio necessaria, sine cuius observatione dispensatio est invalida. Attamen propter magnam difficultatem certiorandi aliam partem de nullitate matrimonii, s. congregatio plerumque solam renovationem consensus exigit „iuxta regulas a probatis auctoribus traditas.“

77. Ex his pro praxi statuenda sunt, quae sequuntur:

1. Si nullitas matrimonii *utrique parti nota est*, utraque consensum formaliter exprimere debet.

2. Si nullitas matrimonii *uni parti nota est*, et altera de ea sine incommodo *moneri potest*, vel si certioratio praescribitur, id fieri debet, ut ambo simul consensum renovent.

3. Si nullitas matrimonii *uni parti nota est* et altera de ea *moneri non potest* sine gravis damni periculo, sive quia vehementer tristaretur, sive quia in cognitionem criminis veniret, propter quod matrimonium invalidum est, sive quia in matrimonium amplius non consentiret, ubi eius invaliditatem cognosceret, petenda est dispensatio in radice.

In praxi oritur difficultas certiorandi aliam partem de nullitate matrimonii, ut validum a priore independentem consensum eliciat, quin tamen de causa nullitatis cognitionem acquirat. Hinc varios modos proponunt auctores certiorandi aliam partem et cum ea renovandi consensum[1]).

a. Pars nullitatis conscia alteri dicat: „Timeo, ne matrimonium nostrum non sit validum; rogo te, ut ad paccandam conscientiam meam me denuo in coniugem accipias prout ego te modo in coniugem accipio. Si altera pars dicat; „Consentio vel denuo te in coniugem accipio“, datus est novus consensus; si vero causam interroget, pars conscia verbis ambiguis declinare potest directam responsionem.

b. Vel dicere potest: „Non habui verum consensum, quando matrimonium contraxi; novum nunc praestare volo, vis et tu praestare“: vel ita: Dixit mihi confessarius, matrimonium nostrum non esse legitimum, ideo renovemus consensum.“

c. Si dicat: „Dic quaeso, si nullum esset nostrum matrimonium, nonne iterum contrahere velles“ vel similiter, valde dubitari potest, num altera pars praestet novum consensum a priore independentem, quia eius nullitatem non cognoscit.

---

[1]) Cf. s. Alphons. n. 1117. *Benedict. XIV.* Instructio.

78. In duplici casu, quo matrimonium invalidum est ob defectum consensus vel ob inhabilitatem contrahentium, supponitur matrimonium initio initum fuisse servata forma tridentina, ubi viget c. *Tametsi*, iam quaeritur:

An consensus renovandus sit in forma tridentina.

1. Si nullitas matrimonii *publice nota* est, vel nota fieri praevidetur, etsi matrimonium in facie ecclesiae contractum fuerit, publice coram parocho et testibus renovandus est consensus: finis enim, quem ecclesia praescribens formam tridentinam intendit, obtineri non potest, nisi in facie ecclesiae renovetur consensus. Ecclesia nempe impedire voluit, ne coniuges contracto matrimonio compartem relinquere et aliud matrimonium inire possint.

Si tamen putativi coniuges aegre adduci possunt, ut denuo publice contrahant, episcopus a proclamationibus dispensare et concedere potest, ut consensus occulte coram parocho et duobus testibus renovetur. Attamen ad removendum scandalum opportune divulgari debet, matrimonium fuisse convalidatum.

2. Si nullitas matrimonii, quod in facie ecclesiae contractum fuit, *occulta* est, non est necesse, ut consensus renovetur coram parocho et testibus, sed sufficit ut privatim inter solos contrahentes id fiat. Cum enim matrimonium iam fuerit in facie ecclesiae celebratum, iam obtineri potest finis ab ecclesia intentus, dum formam tridentinam praescriberet; quare necesse non est, ut denuo in facie ecclesiae celebretur.

79. *De revalidatione ob defectum formae.*

1. Si matrimonium invalidum est, quia *clandestine* contractum fuit, renovari debet in forma tridentina, ubi haec praescribitur: ubi enim decretum tridentinum viget, forma tridentina ad valorem cuiusvis matrimonii requiritur, nisi ab hac lege obtineatur dispensatio, quae valde raro conceditur.

2. Si nullitas matrimonii *publice nota* est et contrahentes non renuunt se sistere coram parocho et testibus, consensus publice renovari debet ad removendum scandalum; quodsi nullitas matrimonii *occulta* est, sufficit, ut

coram parocho et duobus testibus secreto renovetur consensus ad praecavendam coniugum infamiam.

Si matrimonium, quod ab initio in facie ecclesiae initum fuit, invalidum est, propter defectum in ipsa forma tridentina eumque occultum, quia e. g. sacerdos matrimonio assistens non erat parochus proprius aut quia valide delegatus non erat, sufficit secreto renovare consensum omissa forma tridentina; imo in hoc casu saepe consultum erit, omissa monitione coniugum de nullitate matrimonii, petere sanationem in radice.

3. Si aut utraque aut alterutra pars adduci nequit, ut ad renovandum consensum coram parocho et testibus compareat, in hunc modum agendum est[1]):

a. Si *una pars* tantum renuit comparere coram parocho et testibus, curandum est, ut ea per procuratorem vel epistolam directam ad eum, qui de iure matrimonio assistit, consensum suum coram parocho et testibus exprimat; quodsi nec istud obtineri possit, sanatio matrimonii in radice petenda est, modo constet, consensum matrimonialem non fuisse revocatum.

b. In utraque pars renuit comparere coram parocho et testibus, nihil fieri potest, nisi quod preces pro aeterna eorum salute fundatur: pro iis enim, qui in leges ecclesiae contumaces sunt, non est petenda gratia dispensationis.

c. Si una vel utraque pars solum renuit pergere ad ecclesiam, at non renuit consensum renovare coram parocho et testibus, coniungendi sunt in domo sua vel in alio loco, ad quem pergere parati sunt.

Articulus secundus.

De sanatione in radice.

80. 1. Sanatio in radice est illa revalidationis species, qua et matrimonium hucusque invalidum redditur validum et simul omnes nullitatis eiusdem effectus auferuntur ac si ab initio validum fuisset.

a. Sanatio matrimonii in radice ita intelligenda est. Radix matrimonii sananda est consensus. Iam vero propter

---

[1]) Cf. instructio cardinalis *Caprara* apud Scavini IV.

impedimentum dirimens, quod obstabat ab initio, consensus invalidus erat, qui consensus invalidus adhuc perdurat. Iam summus pontifex per dispensationem aufert legem consensum irritantem, qua sublata consensus initio invalidus sanatur et aptus redditur ad efficiendum validum matrimonium. Dispensatio ordinaria non versatur circa consensum, sed solum aufert legem irritantem, qua sublata putativis coniugibus datur potestas eliciendi novum eumque validum consensum; dispensatio autem in radice versatur circa consensum ab initio invalidum, quem ablata lege irritante facit validum. Insuper per eundem actum sanationis vult summus pontifex, ut matrimonium quoad effectus iuridicos ita habeatur, ac si ab initio validum fuisset.

b. Tria igitur efficit haec sanatio: *α.* tollit impedimentum, quod ab initio matrimonio obstabat, per dispensationem; *β.* eo ipso sanat consensum in principio praestitum et adhuc perdurantem; *γ.* tollit effectus iuridicos matrimonii hucusque invalidi, praesertim illegitimitatem prolis.

c. Ex his patet, duplex potissimum esse discrimen inter utramque revalidationis speciem: *α.* sanatio in radice novum consensum proprie et necessario non requirit; in revalidatione autem ordinario modo facta novus consensus formaliter exhiberi debet; *β.* sanatio in radice suos effectus extendit etiam ad tempus praeteritum; revalidatio ordinaria autem solum ad tempus futurum. Quamobrem dici solet: per sanationem in radice matrimonium incipit valere *ex tunc* i. e. ex eo tempore, quo matrimonium invalide contractum fuit; pro revalidationem ordinariam autem matrimonium incipit valere *ex nunc* i. e. ex eo tempore, quo revalidatio locum habet. Ubi tamen notandum est, per sanationem in radice matrimonium quoad effectus quidem considerari ut validum ex tunc, ipsum autem matrimonium revera validum esse solum ex nunc, etsi vi primi consensus.

2. Sanatio in radice duplici modo fieri potest, vel ita ut renovatio consensus exigatur, vel sine renovatione con-

sensus. Ex usu ecclesiastico autem sanatio sine renovatione fieri solet, praesertim ubi putativi coniuges nullitatem sui matrimonii ignorant nec de ea moneri possunt. Licet autem in sanatione per ipsam dispensationem sine novo consensu utrumque obtineatur, ut matrimonium incipiat esse validum et ut effectus nullitatis eiusdem auferatur; nihilominus s. pontifex quandoque praecipit renovationem consensus. Id praesertim tum fieri solet, et quidem in poenam, ubi una pars tempore celebrationis mala fide egit. Quodsi novus consensus praescribitur, is ad valorem matrimonii necessarius est.

Ex his patet, sanationem matrimonii etiam *inscia utraque parte* fieri posse et reipsa fieri, quoties ex monitione damnum timetur.

3. Quatuor conditiones requiruntur, ut sanatio in radice fieri possit:

a. Ut impedimentum, quod validitati matrimonii a principio obstabat, sit *iuris ecclesiastici*: in alio enim ecclesia dispensare ac proinde consensum vitiatum sanare nequit.

Hinc matrimonium invalidum propter impedimentum iuris divini e. g. ligaminis vel iuris naturalis e. g. erroris convalidari non potest per sanationem, sed solum per novum utriusque partis consensum, quia legem Dei aut naturae ecclesia per dispensationem auferre non potest.

b. Ut in principio *consensus verus* datus sit: sanatur enim radix matrimonii seu consensus; sed sanari non potest, quod nullo modo existit.

α. Si tamen una pars verum consensum dedit et bona fide putat matrimonium esse validum, eius consensus sanari potest; alia autem pars consensum renovare debet.

β. Matrimonium civile in radice sanari potest, modo ab initio verus consensus matrimonialis datus sit.

c. Ut consensus in principio datus *ex utraque parte perduret:* matrimonium enim per sanationem incipit esse validum, sed validum matrimonium incipere non potest nisi per mutuum consensum; at consensus in sanatione non renovatur; ergo saltem perdurare debet.

Quaestio autem an consensus virtualiter perdurare debeat, an vero sufficiat, si habitualiter tantum perduret, videtur esse inutilis: nam in coniugibus, qui cohabitant et vitam matrimonialem agunt, certe virtualiter perdurat. Ex his sequitur *α.* dolor de matrimonio inito semel conceptus

aut etiam saepius iteratus sanationi non obest. β. Pariter intentio interpretativa discedendi non obest durationi requisitae consensus; sed solum absoluta voluntas solvendi matrimonium. γ. Matrimonium sanari non potest, ubi uterque aut alteruter coniugum defunctus est; nihil autem impedit, quominus defunctis coniugibus matrimonium sanetur quoad effectus iuridicos, praesertim quoad legitimitatem prolis. δ. Matrimonium sanari potest etiam insciis coniugibus, quia ex parte eorum, nisi exigatur novus consensus, ad sanationem nullus actus requiritur.

d. Ut adsit *causa proportionate gravis:* etsi enim sanatio valeret, quam summus pontifex sine causa concederet, ad dispensationem tamen licite concedendam requiritur causa, quae eo gravior esse debet, quo maior est gratia, quae hac dispensatione conceditur.

In triplici casu adest causa satis gravis adeoque in hoc triplici casu peti potest sanatio in radice:

α. si una pars ad renovandum consensum adduci nequit et nihilominus in matrimonio vult permanere;

β. si uni tantum parti nota est nullitas matrimonii, quae alteri parti absque gravi incommodo revelari nequit;

γ. si ambo coniuges sunt in bona fide et de nullitate matrimonii sui moneri non possunt.

Etsi in exequenda sanatione matrimonii in radice nulla formula sit necessaria, apte tamen haec vel similis adhibetur: *Ego auctoritate apostolica mihi concessa matrimonium a te contractum cum N. in radice eius sano et prolem susceptam et suscipiendam legitimam declaro. In nomine Patris etc.*

Quaestio octava.

De dissolutione matrimonii.

81. Triplex matrimonii dissolutio distinguenda est: *a.* quoad *vinculum* seu plena; *b.* quoad *cohabitationem* seu quoad mensam et thorum; *c.* quoad thorum. Matrimonii solutio in iure divortium vocatur. *Divortium* a divertendo generice et etymologice separationem quamcunque, specifice autem separationem coniugum significat. Triplex ergo divortium seu coniugum separatio distinguitur: *a.* a

thoro; *b.* a thoro et mensa seu a cohabitatione; *c.* perfecta. Iam de solutione matrimonii quoad vinculum et de separatione coniugum quoad thorum alibi agitur; restat, ut de divortio quoad cohabitationem agatur.

Articulus primus.

De divortio quoad cohabitationem.

Divortium quoad cohabitationem manente vinculo coniugali ex iustis iisque diversis causis fieri posse docet concilium tridentinum contra haereticos[1]), qui faciles quidem sunt, in solvendis coniugiis quoad vinculum, difficiles autem in iis solvendis quoad cohabitationem, quippe qui unicam adulterii causam ut iustam divortii causam admittant. Causae, propter quas divortium fieri potest, ad quatuor revocari possunt: *a.* ad adulterium; *b.* ad grave periculum animae vel corporis; *c.* ad haeresim; *d.* ad mutuum consensum. Si divortium propter adulterium, propter gravis damni periculum aut propter haeresim instituitur, ad arbitrium unius partis absque alterius consensu fit.

82. *Adulterium.* 1. Propter adulterium unius coniugis fieri posse divortium, tum iure divino[2]) tum iure ecclesiastico[3]) certum est; et ex probabili doctorum sententia ad divortium instituendum sufficit quaelibet carnis divisio, etiam ea, quae fit per sodomiam aut bestialitatem.

2. Hae *conditiones* requiruntur, ut adulterium sit causa iusta divortii:

a. Ut sit moraliter certum: in dubio enim nemo privandus est iure suo; attamen non requiritur, ut adulterium iuridice plene probatum sit, sed sufficit, ut habeantur vehementissimae suspiciones, quae moralem certitudinem praebeant.

b. Ut sit perfectum seu carnali copula consummatum, sine qua non fit carnis divisio.

---

[1]) Sess. 24. can. 8. — [2]) Mt. 19, 9.
[3]) C. *Significasti* et C. *Gaudemus* de divortiis.

c. Ut sit voluntarium, non vi physica aut morali extortum.

d. Ut non sit mutuum, nec a parte innocente ante factum approbatum aut post factum remissum.

3. Haec *adiuncta* divortii propter adulterium instituendi notanda sunt:

a. Si adulterium publice notum est, pars innocens partem ream propria auctoritate dimittere potest; quodsi adulterium publice notum non est, solum post iudicis sententiam divortium fieri potest.

b. Pars innocens potest, at non tenetur, partem adulteram dimittere, et post divortium etiam iudicialiter factum eam semper revocare potest: divortium enim in eius favorem factum est, cui favori ipsa renuntiare potest. Quare pars adultera nec religionem ingredi nec sacros ordines suscipere potest; si tamen pars innocens statum eligit, qui vitae coniugalis continuationem impossibilem reddit, etiam pars rea eiusmodi statum eligere potest.

c. Si adulterium legitime probatum est, pars innocens religionem ingredi et vir sacros ordines suscipere potest, etiam invita parte adultera.

83. *Periculum gravis damni* in sequentibus casibus uni parti ius concedit ab alia se separandi.

1. Si periculum grave animae adest, ut si coniux conatur compartem trahere ad peccatum e. g. haeresim, sodomiam, adulterium etc., et si periculum labendi grave est, tenetur se separare: salus enim animae omnibus praeferenda est.

2. Si periculum grave corporis adest, ut si altera pars sit saeva et ad graves percussiones procedat, si morbo contagioso sit infecta et adsit illum contrahendi periculum, si cohabitatio ex continuis rixis vel ex odio sit nimis molesta: nemo enim censetur se obligare voluisse cum tanto incommodo.

84. *Haeresis.* 1. Lapsus unius coniugis in haeresim aut apostasiam a fide alteri parti dat ius se separandi,

idque non tam propter perversionis periculum, quam in poenam infidelitatis et in horrorem tanti criminis.

2. Si in hoc casu divortium per sententiam iudicis factum est, pars innocens ius habet ingrediendi religionem et vir suscipiendi sacros ordines; quodsi factum non est per sententiam iudicialem, pars innocens ad coniugem redire tenetur, si hic iterum convertatur.

85. *Mutuus consensus.* 1. Divortium *ad tempus* sive brevius sive longius ex mutuo consensu, si adsit iusta causa e. g. alicuius negotii, licite fieri potest ad arbitrium coniugum.

2. Divortium *perpetuum* ex mutuo consensu ab ecclesia permittitur in duplici casu, si alteruter coniugum religionem ingredi aut vir sacros ordines suscipere intendit, cum Dominus dicat: *Omnis, qui reliquerit uxorem . . propter nomen meum, contuplum accipiet et vitam aeternam possidebit*[1]).

Ut tamen separatio licite fieri possit, requiritur ut absit incontinentiae periculum, ut proles non indigeant parentum cura, ut nullum oriatur scandalum.

3. Pro utroque hoc casu haec adiuncta notanda sunt:

a. Professio religiosa, quae fit ab uno coniuge altero invito, invalida est, et qui invalide professus est, tenetur ad coniugem redire, si ipse velit. Ordo sacer, qui a viro suscipitur uxore invita, invalidus quidem non est, at vir, si ab uxore requiratur, ad eam redire et ab omni exercitio ordinis suscepti abstinere debet.

b. Maritus nec professionem emittere nec ordinem suscipere potest, nisi uxor ultra consensum suum aut in ordine religioso professionem emittat, si adhuc iuvenis aut de incontinentia suspecta est, aut saltem, si utpote aetate iam provecta neque de incontinentia suspecta, in saeculo manet, votum continentiae emittat. Episcopi est iudicare, utrum uxor religionem ingredi teneatur, an solum votum continentiae emittere debeat.

---

[1]) Mt. 19, 29.

Articulus secundus.

De divortio civili.

86. Quia ex iure civili causae matrimoniales in multis locis aguntur coram iudice civili, opportunum erit ex iis, quae supra (n. 8.) docuimus, colligere, ad quemnam iudicem pertineant causae matrimoniales et quid possit in eiusmodi causis iudex civilis.

1. Causae matrimoniales, quae ad essentialia sive sponsalium sive matrimonii referuntur, ad solum iudicem ecclesiasticum pertinent; ad ipsum igitur solum pertinent:

a. Causae de valore et solutione sponsalium: per sponsalia enim suscipitur obligatio recipiendi et administrandi sacramentum matrimonii; atqui de hac obligatione utpote sacra solus iudex ecclesiasticus iudicium ferre potest. Pari modo de existentia vel non existentia alterius impedimenti impedientis sola ecclesia iudicat.

b. Causae de valore et nullitate matrimonii iam contracti atque adeo de existentia vel non existentia impedimenti dirimentis: de iis enim, quae ad sacramentum valide conficiendum requiruntur, sola ecclesia iudicare potest.

c. Causae de dissolutione matrimonii sive hoc solvatur vi dispensationis pontificiae sive vi professionis religiosae sive vi privilegii paulini.

d. Causae de divortio a thoro et mensa: agitur enim de obligatione, quae ex ipso matrimonio immediate et necessario oritur; de iis autem, quae essentialiter cum sacramento cohaerent ecclesia iudicare debet.

e. Causae de legitimitate prolis: agitur enim de effectu, qui immediate et necessario ex matrimonio valido procedit; atqui de valore matrimonii sola ecclesia iudicat.

Attamen permittente ecclesia hae causae matrimoniales etiam in foro civili tractari possunt, idque ecclesia reipsa quandoque permittit sub hac conditione, *ne quid agatur, quod iuri sive divino sive ecclesiastico repugnet.*

2. Causae matrimoniales, quae ad accidentia eaque temporalia matrimonii referuntur, proprio iure ad iudicem civilem pertinent; ad ipsum igitur pertinent:

a. Causae de arrhis sponsalitiis et pari modo de poena solvenda, si sponsalia absque legitima causa rescindantur, supposita tamen sententia iudicis ecclesiastici de valore sponsalium et de causa sufficiente vel non sufficiente eadem solvendi.

b. Causae de bonis temporalibus mariti et uxoris ut de dote, de communione bonorum, de alimentis, de successione hereditaria, etc. supposita iterum, si casus ferat, sententia iudicis ecclesiastici de ipsa separatione a thoro et mensa.

c. Causae de bonis temporalibus filiorum ut de successione hereditaria, de portione legitima etc., iterum supposita sententia ecclesiae de legitimitate prolis.

3. An liceat iudici civili causas matrimoniales agere et sententiam divortii ferre iuxta recentes leges civiles. — Id certe non licet, si iudex civilis eiusmodi causas citra necessitatem ita tractat, ac si ad forum civile pertinerent, quodsi eas solum in casu necessitatis ex gravi causa tractat, haec notanda sunt.

a. Causas divortii a thoro et mensa ex gravi ratione tractare et existente legitima separationis causa sententiam separationis ferre potest, non solum si sententia iudicis ecclesiastici iam praecesserit, sed etiam si iudex ecclesiasticus causam nondum cognoverit.

b. Causas divortii quoad vinculum in triplici casu tractare et sententiam divortii ferre potest: *α.* si agitur de matrimonio civili; *β.* si agitur de matrimonio in facie ecclesiae quidem, sed invalide contracto, modo sententia ecclesiastica de invaliditate matrimonii praecesserit; *γ.* si agitur de matrimonio rato et non consummato, modo matrimonium per dispensationem pontificiam iam solutum fuerit.

c. An iudici civili idem liceat, ubi agitur de matrimonio valide contracto, quod ecclesia aut solvere non potest aut nondum solvit, controvertitur.

Quaestio saepius agitata est in congregationibus romanis et plura hac de edita sunt decreta[1]). Iam etsi

[1]) Cf. *Bucceroni,* Enchiridion morale.

auctores sint, qui absolute negent, id nunquam licere, quia lex et sententia divortii in se et intrinsecus mala est; ex citatis tamen decretis id erui posse videtur. *α*. Iudex proxime cooperatur ad rem malam, nempe ad solutionem matrimonii iure divino insolubilis. Haec cooperatio licita esse potest, si adsit gravissima cooperationis causa, et si actio, qua cooperatur, non sit in se et natura sua mala. Atqui causa cooperandi proportionate gravis certe adest in hoc casu, quo iudici catholico iudicanda offeratur causa matrimonialis, quam recusare non potest, quin officio privetur, et qui officio privari non potest, quin tum ipsi tum bono communi damnum sequatur, quia in eius locum succederet iudex malus et impius. Actio autem, qua cooperatur, non videtur esse in se mala, si declaret suam sententiam non eo referri, ut vinculum coniugale solvatur, sed eo, ut matrimonium ab auctoritate civili non amplius agnoscatur ut validum matrimonium, quae proinde horum coniugum iura non amplius tueatur. *β*. Quia vero in hoc casu agitur de cooperatione in exequendis legibus, quae adversantur iuribus et legibus ecclesiae, eiusmodi autem cooperatio prorsus illicita est, si cedit in damnum commune ecclesiae, ideo liceitas tractandi eiusmodi causas non est asserenda in genere, sed in particularibus casibus ad s. sedem recurri debet, cuius est definire, an cooperatio in determinatis adiunctis licita vel illicita sit. Inde petenda est ratio, ob quam ecclesia cooperationem iudicis ad divortium in aliis locis permiserit, in aliis autem interdixerit.

4. An coniugibus liceat divortium quoad vinculum petere a iudice civili. *a*. Si matrimonium invalidum est et putativi coniuges valide inter se contrahere nolunt, id licet, modo sententia iudicis ecclesiastici de nullitate matrimonii praecesserit, quia petunt rem licitam nempe libertatem transeundi ad alias nuptias. *b*. Si matrimonium validum est, id nunquam licet, quia petunt rem illicitam et iure divino impossibilem.

A. M. D. G.

Index.

Quaestio quinta. De dispensationibus matrimonialibus.

Quaestio sexta. De celebratione matrimonii.

Quaestio septima. De revalidatione matrimonii.

Quaestio octava. De dissolutione matrimonii.



QUAESTIONES MORALES

DE SEXTO PRAECEPTO

ET

DE USU MATRIMONII,

QUAS

PRIVATO AUDITORUM SUORUM USUI

ACCOMMODAVIT

H. NOLDIN S. J.

OENIPONTE.

TYPIS FEL. RAUCH (C. PUSTET).

1894.

De VI. et IX. decalogi praecepto.

„Non moechaberis.“
„Non concupisces uxorem proximi tui.“

Sextum decalogi praeceptum explicite quidem solum adulterium, implicite vero quamlibet luxuriam externam, *nonum* autem praeceptum luxuriam internam scilicet cogitationibus et desideriis pravis commissam prohibet. Haec duo igitur praecepta quatenus *negativa* sunt prohibent omnem luxuriam tum externam tum internam; quatenus vero *affirmativa* sunt praecipiunt servandam castitatem cuiusque statui convenientem.

Quaestio prima.

De castitate.

1. 1. *Definitio.* *Castitas*, quae luxuriae opponitur, est virtus moralis, quae moderatur inordinatum appetitum et usum delectationis venereae et definitur voluntas non indulgendi delectationibus venereis illicitis.

2. *Divisio.* *a.* Ratione status, cui convenire debet, triplex distinguitur: *α.* castitas *iuvenilis*, quae est voluntas abstinendi a voluptatibus venereis ad tempus, scilicet usque ad tempus nuptiarum; *β. coniugalis*, quae est voluntas abstinendi a voluptatibus venereis illicitis in coniugio seu

in coniugio concessis tantum voluptatibus carnis indulgendi; γ. *vidualis*, quae est voluntas abstinendi a voluptatibus venereis tempore vitae vel usque ad secundas nuptias.

b. Ratione modi, quo servatur, distinguitur castitas *imperfecta*, quae est voluntas se continendi a voluptatibus carnis illicitis, et *perfecta*, quae est voluntas se continendi ab omnibus delectationibus carnis etiam licitis in matrimonio.

2. *De virginitate.* 1. *Virginitas* definitur firmum voluntatis propositum ob Dei amorem ab omnibus delectationibus venereis tum illicitis tum licitis in matrimonio perpetuo abstinendi. Virginitas est specialis virtus, quae eo a castitate perfecta differt, quod eidem addit propositum, castitatem iuvenilem perpetuo servandi. Et haec illa quidem est virtus, quae tot laudibus celebratur et speciali praemio, aureola scilicet virginum, decoratur in coelis.

a. Duo ergo ex definitione ad virginitatem requiruntur, quorum aliud est in mente, aliud autem in corpore: *α*. voluntatis propositum, quod est virginitatis elementum *formale;* quocirca sine proposito perpetuo servandi castitatem existere quidem potest actualis virginitas, at nec proprie virtus nec virtutis praemium habetur; *b*. carnis integritas, quod est virginitatis elementum *materiale*.

b. Triplex *virginitas* distinguitur: *virginitas materialis*, quae in solo corpore habetur et in sola integritate carnis consistit, etsi quis subinde in delectationem veneream consentiat; *virginitas formalis*, quae in sola mente habetur et in voluntate consistit servandi castitatem, etsi contra voluntatem integritas carnis laedatur; *virginitas totalis*, quae corpore simul et mente habetur, quando quis nec mente in aliquid turpe consentit, nec corpore aliquid turpe voluntarie passus est.

c. Quare virgo *integra* esse potest aut solo corpore aut sola mente aut mente et corpore simul. Quae *solo corpore* integra est, apud Deum virginitatis meritum et decorem amisit, in facie ecclesiae autem virgo habetur et inter virgines consecrari potest. Quae *sola mente* integra est, apud Deum quidem virginitatis meritum et praemium retinet, in facie ecclesiae autem virginitatem amisit.

d. Votum ergo ad virginitatem non requiritur; plerumque autem voluntatis propositum voto firmatur.

e. Virginitas utrique sexui communis est; nihilominus feminae tantum virgines vocantur, quia ipsae solae signaculo virginitatis a natura donatae sunt.

2. *Virginitas* multiplici modo vel ex parte vel totaliter vel reparabiliter vel irreparabiliter violari atque *amitti* potest. *a.* Virginitas amittitur per propositum ineundi et consummandi matrimonium; per solum autem matrimonium sine voluntate illud consummandi non amittitur.

b. Virginitas *formalis* amittitur per peccatum internum contra castitatem, scilicet per cogitationes malas et desideria turpia; acta tamen poenitentia et elicito vel renovato proposito virginitatem perpetuo servandi, integre recuperatur.

c. Virginitas *totalis* amittitur per actionem voluntariam, quae corporis integritatem laedat; ergo in viris per seminis effusionem sive solitariam sive cum copula; et in feminis pariter tum per copulam tum per pollutionem solitariam.

d. Virginitas *materialis* per violationem carnis involuntariam, prout accidit in viris per seminis effusionem in somnis, non amittitur; in feminis vere per violentam oppressionem coram Deo quidem non amittitur, in facie ecclesiae autem eiusmodi virgines corruptae censentur [1]).

Quaestio secunda.

De luxuria in genere.

Articulus primus.

De natura luxuriae.

3. *De generatione.* 1. Ad declarandam luxuriae naturam praestat imprimis tum membrorum tum actionum, quae generationi inserviunt, brevem descriptionem ex physiologis desumtam exhibere. Organa itaque, quae in mare ad generationem perficiendam inserviunt, potissimum tria sunt: testiculi, vesiculae seminariae et membrum virile

[1]) Cf. *A. Eschbach*, Disputationes physiol. theologicae (Parisiis, Palmé, 1884) disp. 4. c. 2. a. 2.

seu fistula urinaria, quae etiam virga vocatur. Et in *testiculis* quidem post inceptam pubertatem semen virile seu sperma elaboratur, quod elaboratum in *vesiculas* transmittitur, in quibus veluti duobus receptaculis asservatur, donec tempus advenerit illud eiaculandi seu eiiciendi; eiicitur autem per *fistulam* urinariam. *Semen* est humor viscosus, in quo capillamenta spermatica continentur. Seminis virilis decisio et per virgam effusio cum vehementi voluptatis venereae sensu perficitur.

2. Organa, quae in femina ad generandum hominem destinata sunt, pariter tria numerantur: *ovaria*, in quibus inde ab annis pubertatis quot mensibus ovulum seu germen maturescit; *uterus* seu matrix, in quam ovum iam maturum ex ovario decisum lente progreditur, ac tandem *vagina* seu quidam canalis, qui ex utero usque ad externam organorum partem protenditur. Os eius tenui pellicula, quam *hymen* vocant, occluditur; quod quidem signaculum seu claustrum virginitatis appellatur. Iam per vaginam ovum, nisi foecundatum fuerit, ex utero eiicitur. Haec autem omnia scilicet ovulorum decisio eorumque transitus in matricem atque eiectio per vaginam natura ipsa duce sine delectationis venereae sensu in feminis sponte peraguntur.

3. Novi hominis origo postulat, ut ovum femineum a semine virili foecundetur; quare absque unione utriusque sexus homo naturaliter generari non potest. Haec unio carnali copula seu concubitu perficitur; scilicet vir membrum virile in vas femineum seu in vaginam immittere et semen suum in uteri interiora effundere debet; hac duplici actione, penetratione vasis muliebris et seminatione virili, copula ex parte viri absolvitur. Quoniam autem vas femineum per hymen clausum est, patet primo congressu signaculum virginale virili membro rumpi atque adeo virginem deflorari. Dum femina in hocce cum viro congressu semen virile recipit, vehementem membrorum genitalium irritationem ac commotionem patitur, quam ordinarie humoris alicuius secretio cum delectatione car-

nali coniuncta consequitur; et hanc quidem secretionem veteres femineam seminationem dicebant, quae modó ante modo post viri seminationem accidit.

4. His actibus copula utriusque sexus ad generationem novi hominis perficitur; quae, cum per se sit foeda et sordida et in effectibus suis praesertim feminis valde dura et molesta, a plerisque negligeretur; quocirca auctor naturae, ne propagatio generis humani in discrimen adduceretur, congressui carnali delectationem omnium maximam addidit et simul naturae humanae vehementum illius delectationis concupiscentiam inseruit. Hinc per copulam carnalem duplex finis obtinetur: generatio novi hominis et sedatio concupiscentiae; illa copulae finis primarius, haec secundarius est.

4. *Delectatio venerea,* quae etiam carnalis vel libidinosa dicitur, est delectatio orta ex commotione et contractione organorum generationi inservientium

a. Duplex esse potest: completa et incompleta. *Completa* ea est, quae naturam satiat, quae scilicet usque ad ultimum terminum, qui in hac re possibilis est, procedit; *incompleta* ea est, quae ex turpi commotione oritur. Si enim organa, quae generationi inserviunt, excitantur, ex eorum irritatione et commotione delectatio percipitur, quae venerea vocatur. Excitantur autem vel imaginationibus plus minusve inhonestis, vel etiam tactibus aut compressione mechanica. Omnis commotio membrorum genitalium eo tendit, ut semen resolvatur atque eiiciatur. Porro in resolutione et effusione seminis, sive cum copula sive absque copula accidat, delectatio completa percipitur; quod si commotio usque ad hunc terminum effusionis non procedit, delectatio venerea incompleta habetur.

b. Ex his tamen concludendum non est, pueros, qui semen ante pubertatem nondum habent, incapaces esse delectationis carnalis completae: ex turpi enim commotione usque ad ultimum terminum aucta eadem percipitur; signum autem ultimi termini possibilis iam percepti est repentinus collapsus membrorum genitalium, quae simul ac natura satiata est, protinus ad consuetum statum, quem ante commotionem habebant, redeunt. In feminis, quae verum semen non habent, accidit, ut delectatio venerea,

quae naturam satiat, plerumque cum separatione cuiusdam humoris coniuncta sit, qui tamen in interioribus partibus secernitur. Porro ista humoris feminei secretio, si in copula contingit, seminatio, si extra copulam provocatur, pollutio dicitur.

Delectatio definitur quies seu complacentia appetitus in bono praesenti seu possesso. Natura sua igitur delectatio est actus appetitus sive inferioris sive superioris, qui sibi complacet de aliquo bono. Bonum autem suum homo acquirit et possidet ope diversarum potentiarum, atque in bono per potentias acquisito et possesso appetitus delectatur. Quaelibet potentia in bono seu obiecto suo quiescit, et potentiae quidem sensitivae sensibiliter in eo quiescunt i. e. possessio obiecti cum grato quodam sensu coniuncta est. Iam vero etiam gratus iste sensus, quo potentia suo obiecto fruitur, delectatio vocatur. Pro diversa autem ratione bonorum, quae homo ope potentiarum suarum acquirit et possidet, diversa distinguitur delectatio; ideo a delectatione venerea prae primis distinguenda est delectatio *sensibilis*, quae est delectatio orta ex perceptione obiecti sensibilis in organis sensuum. Haec natura sua est grata et amoena affectio, quae in ipsis organis sensuum percipitur e. g. ex olfactu floris, ex aspectu coeli, ex tactu rei lenis, ex tactu vel visu proprii corporis etc. Tactus vel visus in his placet et per se quidem absque commotione venerea; sed quae est corruptio humanae naturae, saepe cum delectatione sensibili coniungitur venerea et facile ab illa ad hanc proceditur.

5. 1. *Luxuria* definitur inordinatus appetitus et usus delectationis venereae; actus igitur tum internos tum externos luxuriae haec definitio complectitur.

a. Dicitur *inordinatus:* ordo enim naturae a Deo statutus est, ut usus delectationis venereae, praesertim vero per seminis effusionem completae, solum in legitimo matrimonio et iuxta matrimonii leges fiat; consistit ergo luxuria in delectatione venerea voluntarie admissa extra matrimonium, vel in matrimonio quidem, at contra matrimonii leges.

b. Delectatio proprie in appetitu est et consensum vel complacentiam significat in sensum venereum; sensus autem venereus in ipsis membris, quae generationi inserviunt, percipitur; plerumque tamen idem iste sensus libidinis delectatio venerea dicitur.

c. Luxuria duo includit: *impuritatem* seu illicitam effusionem seminis sive cum copula sive extra copulam et *impudicitiam* seu voluntariam occupationem circa ea, quae ad luxuriam inducunt sive cogitatione sive aspectu sive tactu. Pari modo castitas, quae luxuriae directe opponitur, duo includit: *puritatem* (Reinigkeit) seu abstinentiam ab illicita effusione seminis et pudicitiam (Schamhaftigkeit) seu abstinentiam ab omni actione, quae ad luxuriam inducit.

2. *Divisio. a.* Luxuria alia est *directe* alia *indirecte* volita. Illa habetur, quando delectatio venerea in se intenditur; haec habetur, quando in se aliud (e. g. aspectus, lectio) intenditur, ex quo praeter intentionem delectatio carnalis oritur.

b. Actus luxuriae alii sunt *perfecti* et *consummati*, in quibus seminis effusio intervenit, alii *imperfecti* et *non consummati*, in quibus seminis effusio non habetur.

c. Actus imperfecti alii sunt *interni:* pravae cogitationes et desideria turpia; alii *externi:* motus carnales, tactus, amplexus, oscula, aspectus, verba et lectiones.

Articulus secundus.

De malitia luxuriae.

6. *Principia.* 1. Delectatio venerea directe quaesita extra matrimonium per se grave peccatum est: graviter enim illicitum est, in re gravi delectationem quaerere contra ordinem naturae; atqui id facit, qui delectationem veneream quaerit extra matrimonium, quia delectatio venerea a natura instituta est pro illo solo actu, qui generationi inservit; is autem natura ipsa exigente est actus coniugalis. Insuper graviter illicitum est, quod si non prohiberetur, in gravissimum damnum cederet generis humani; atqui si homines licite possent frui delectatione venerea et hac ratione concupiscentiam sedare extra matrimonium, onera matrimonii plerique recusarent. Ideo cuiusvis generis luxuria graviter a Deo prohibetur: Gal. 5, 19.

2. Delectatio venerea directe quaesita non admittit parvitatem materiae, ideoque semper, quantumvis exigua et brevis, mortale peccatum est. Nam grave peccatum est, quod hominem exponit proximo periculo graviter peccandi; eiusmodi autem est quaevis delectatio venerea directe quaesita quamvis exigua: delectatio enim venerea semel libere admissa et inchoata naturaliter et necessario rapit ad delectationem completam; quare propositio 40. ab Alexandro VII. damnata est.

3. In delectatione venerea indirecte tantum volita admitti debet parvitas materiae. In hoc namque casu consensus voluntatis solum fertur in causam, quae delectationem provocat et excitat; eius ergo malitia desumenda est ab influxu in delectationem veneream: ergo delectatio venerea indirecte volita gravis vel levis erit, prout actio, ex qua secutura praevidetur, graviter vel tantum leviter in eam influit.

4. *An detur ignorantia invincibilis circa peccata luxuriae.*

a. Non potest negari homines, raro quidem sed tamen quandoque, versari in ignorantia invincibili circa peccata luxuriae, etiam ipsius pollutionis; et pueros quidem, praesertim si nunquam de his rebus moniti fuerint, adultos vero, si versantur in adiunctis, in quibus ipsis eiusmodi actiones licitae videri possunt, ut oscula inhonesta sponsis, onanismus coniugibus numerosa prole gravatis.

b. Qui ex ignorantia invincibili putant, actionem pravam, quam exercent, aut non esse peccatum aut non esse mortale, omnino monendi et docendi sunt, ubi ignorantia ipsis nocet; id autem contingit, si non moniti in periculo sunt contrahendi consuetudinem pravam, quam postea difficillime emendabunt.

Quaestio tertia.

De peccatis luxuriae consummatis.

7. *Peccata consummata* illa dicuntur, in quibus effusio seminis locum habet. Duplicis generis sunt: alia *iuxta naturam*, in quibus ratione actus physici ordo naturae servatur; ordo autem naturae servatur, quando actus de se aptus est ad hominis generationem; alia sunt *contra naturam*, in quibus non servantur conditiones necessariae ad hominis generationem, in quibus ergo frustratur finis, quem natura in seminis effusione intendit. Peccata iuxta naturam sunt *sex: fornicatio, adulterium, incestus, stuprum, sacrilegium* et *raptus*. Haec peccata specifice inter se differunt, non quidem ratione luxuriae, sed propter specialem malitiam, quae singulis supperadditur. Peccata contra naturam sunt *tria: pollutio, sodomia* et *bestialitas*. Haec peccata ratione luxuriae specie ab invicem differunt, quia includunt specialem deformitatem.

Articulus primus.

De peccatis iuxta naturam.

8. *De fornicatione*. 1. Fornicatio est copula soluti cum soluta ex mutuo consensu.

Copula est actus ad generandam prolem aptus. Distinguitur copula *perfecta*, quae consistit in penetratione vasis feminei cum seminatione ibidem facta, et copula *imperfecta*, quae consistit in penetratione vasis feminei ad generationem destinati sed absque seminatione ibidem facta. *Solutus* dicitur, qui excepto castitatis praecepto nullo alio vinculo ligatur e. g. coniugii, voti, ordinis, consanguinitatis etc. Ex *consensu* additur, ut fornicatio a stupro distinguatur.

2. Ad fornicationem referuntur concubinatus et meretricium.

Concubinatus est copula frequens soluti cum una eademque persona soluta; differt a fornicatione, quod concubinarius ad eandem semper personam accedit, cum qua vivit, ac si esset matrimonio cum ipsa iunctus; fornicarius autem modo ad unam modo ad aliam accedit. Nihil tamen refert ad rationem concubinatus, utrum in eadem vel in diversis domibus habitent. Malitia ergo propria concubinatus consistit in proposito perseverandi in peccato.

Meretricium est status feminae omnibus prostitutae sive ob quaestum sive ob lasciviam. Ut meretrix dici possit, debet saltem plures quam duos admittere.

a. Fornicatio semper est peccatum mortale: graviter enim iure naturae prohibetur. Sane qui fornicantur, quaerunt vagum concubitum i. e. delectationem veneream copulae absque obligationibus et oneribus matrimonii; atqui vagus concubitus vergit in perniciem societatis humanae: proli enim, cuius apta educatio non solum curam matris, sed etiam curam patris exigit, non satis providetur; ergo graviter iure naturae prohibetur. Et licet per accidens a fornicario proles bene educaretur; semper tamen fornicatio grave peccatum est, quia considerandum est, quod communiter et ordinarie, non quod per accidens evenit.

b. Concubinatus et meretricium specifice a fornicatione non differunt, quare circumstantia concubinatus et meretricii *per se* in confessione declarari non debet; per accidens autem propter occasionem peccati confessario praesertim interroganti declaranda est. Ex magno autem numero peccatorum, quae accusantur, confessarius facile suspicari potest, agi de concubinatu vel de meretricio. In hoc tamen ordinarie nocumentum prolis accedit.

c. An permitti possint meretrices. *α*. Certo permitti non possunt nisi ut minus malum ad maiora mala (sodomiam, bestialitatem) impedienda. Num reipsa maiora haec mala per meretricium impediantur, et non potius peccata maiori commoditate augeantur; non constat inter peritos.

β. Ideo certe permitti non possunt in quovis pago, sed solum in magnis urbibus et sub certis conditionibus, quibus scandala removeantur.

γ. Confessarius absolvere potest magistratus urbium, qui bona fide affirmant, se id impedire non posse, quia non pertinet ad confessarium decernere, quid agere debeant magistratus in rebus publicis adeo difficilibus.

9. *De adulterio.* Adulterium est copula cum alterius coniuge. Distinguitur adulterium *simplex*, si solutus peccat cum coniugata, vel coniugatus cum soluta; *duplex*, si coniugatus cum coniugata. Ubi reservatum est adulterium, attendendum, an copula solum perfecta vel etiam imperfecta sit reservata.

Rationem adulterii habent etiam *a*. actus imperfecti scilicet tactus, oscula, amplexus, quos coniugatus committit cum alia persona non sua, sive soluta sit sive ligata; *b*. actus contra naturam (pollutio, sodomia), quos coniugatus aut solus aut cum sua comparte committit. Rationem adulterii autem non habent delectationes venereae, quas coniugatus in se excitat imaginando copulam cum alia, quia in matrimonio non promisit, se mentem non occupaturum esse cum alia.

1. Adulterium *duo peccata* includit, utrumque mortale, aliud contra *iustitiam:* nam alterius ius violatur, quod insuper affectum est charactere sacramentali; et aliud contra *castitatem;* et si adulterium habetur *inter duos coniugatos*, duo adulteria a quolibet committuntur ideoque tria peccata, quia duorum diversa iura laeduntur.

2. Adulterium committitur etiamsi alter coniux consentiat, quia iure suo cedere non potest, cum contractum et sacramentum, quae natura sua sunt indissolubilia, sua voluntate solvere non possit.

3. *An fornicatio sponsorum sit adulterium.* Copula cum alterius sponsa est fornicatio, non adulterium; est circumstantia aggravans, non speciem mutans. Id probabile dicit *s. Alphonsus* (n. 444), quia neuter aliquod ius tradit alteri in corpus suum, ideoque cum alio fornicando ei nullam iniuriam infert.

10. *De incestu.* Incestus est copula cum cognatis aut affinibus intra gradus ab ecclesia pro matrimonio prohi-

bitos. Ergo de ratione incestus est, ut committatur inter eos cognatos et affines, qui secundum legem ecclesiae validum matrimonium inire nequeunt. Rationem incestus habent etiam tactus turpes, qui inter consanguineos et affines committuntur.

a. Si consanguinei aut affines peccant, postquam ad matrimonium ineundum dispensati sunt, non committunt incestum, quia dispensatio tollit prohibitionem matrimonii. *b.* Si confessarius peccat cum sua poenitente non committit incestum, quia inter eos nulla cognatio existit, quae matrimonium impediat. *c.* Peccatum, quod inter se committunt, qui ligantur impedimento publicae honestatis, non est incestus, quia de ratione incestus est, ut committatur inter consanguineos et affines; qui autem impedimento publicae honestatis ligantur, nec consanguinei nec affines sunt.

Cum praeter affinitatem sit triplex cognatio: naturalis, quae ex propinquitate sanguinis, spiritualis, quae ex baptismo et confirmatione, et legalis, quae ex adoptione oritur: *quadruplex incestus* distingui debet:

a. cum consanguinea usque ad quartum gradum;

b. cum affine usque ad quartum respective usque ad secundum gradum;

c. cum cognata spirituali;

d. cum cognata legali.

1. Incestus *duo peccata* gravia continet, aliud contra *castitatem,* aliud contra *pietatem:* repugnat enim reverentiae, quae parentibus et consequenter etiam personis aut sanguine aut affinitate cum eis coniunctis debetur.

2. Quoad *differentiam specificam: a.* Incestus inter cognatos spirituales et legales specie differunt tum inter se tum ab incestu, qui inter consanguineos et affines committitur; incestum autem commissum cum consanguinea specie non differre ab incestu commisso cum affine, communiter admittitur. Ratio est quia cognationes e radice formaliter diversa oriuntur; consanguinitas autem et affinitas ex eodem pietatis motivo prohibentur.

b. Probabile est, incestus commissos inter consanguineos vel inter affines in quocunque gradu sive lineae rectae (etiam in primo gradu inter parentes et filios) sive lineae

collateralis (etiam in primo gradu inter fratres et sorores) esse eiusdem speciei. Quare sicut necesse non est, ut in confessione declaretur coniunctio (consanguinitas vel affinitas), ita necesse non est, ut declaretur gradus, sed sufficit dicere, commisi incestum: in omnibus enim laeditur eadem virtus scilicet reverentia coniunctis debita; diversitas autem coniunctionis et propior gradus non addit nisi circumstantiam aggravantem [1]).

11. *De stupro.* Stuprum triplici diverso sensu accipitur: *late* est *oppressio* cuiuscunque mulieris etiam viduae, corruptae, coniugatae (ubi ad stuprum accedit adulterium); *iuridice* (in iure civili) est oppressio cuiuscunque mulieris honestae, sive virgo sit sive non, *theologice* (in iure canonico) est oppressio virginis seu defloratio virginis ipsa invita.

Oppressio est violatio mulieris *sine consensu*, ideo fornicari cum amente, ebria, dormiente, etiam cum puella, quae perfectum usum rationis nondum adepta est, habet rationem stupri. *Deflorari* dicitur virgo, quae prima vice per copulam carnalem corrumpitur et hac ratione carnis integritate et virginitatis flore privatur.

Stuprum stricte seu theologice acceptum distinguitur *violentum* et *voluntarium* prout virgo invita aut plane consentiens violatur. Patet stuprum voluntarium proprie a fornicatione non differre; dicitur autem quandoque stuprum, eo quod virgo defloratur, etsi cum consensu. *Violentum* autem dicitur stuprum non solum ubi vis *physica*, sed etiam ubi vis *moralis* adhibetur i. e. ubi a puella alioquin invita consensus extorquetur: fraude (falsa matrimonii aut magnae dotis promissione), dolo, metu (etiam reverentiali), importunis precibus etc.

1. Quodvis stuprum *duo peccata* continet, aliud contra *castitatem*, aliud contra *iustitiam:* quaecunque enim sit mulier, quae invita opprimitur, semper verum eius ius laeditur eique proinde iniuria infertur.

---

[1]) Cf. *Sporer* n. 609; *Ballerini-Palmieri* V. n. 357; *s. Alphonsus* (n. 448 s.) tamen excipit primum consanguinitatis et affinitatis gradum in linea recta putans reverentiam, quae intra primum gradum debetur, aliam esse ab ea, quae intra alios gradus debetur.

Peccatum augetur, at non est specifice diversum, si quis *virginem* corrumpit, etsi integritas carnis, qua ipsa privatur, est bonum, quod merito in magno pretio habetur.

2. Stuprum, quod poena ecclesiastica affectum aut reservatum est, intelligitur stuprum sensu stricto scilicet pro iniusta defloratione virginis, nisi aliud expresse notetur.

12. *De sacrilegio.* Sacrilegium prout est peccatum luxuriae seu *luxuria sacrilega* est violatio personae, loci, vel rei sacrae per actum venereum.

1. Sacrilegium duo peccata continet, aliud contra castitatem, aliud contra *religionem;* repugnat enim reverentiae Deo in personis et rebus sacris debitae.

2. Sacrilegium *personale* committitur, si persona voto castitatis ligata (interne vel externe) contra castitatem peccat [1]), vel si quis peccat cum eo, qui tale votum habet. Si voto ligatus (e. g. sacerdos) peccat cum persona pariter voto ligata, quilibet duo sacrilegia committit; si sacerdos religiosus peccat contra castitatem, unum sacrilegium committit, quia laedit unam obligationem ex eodem motivo bis impositam.

3. Sacrilegium *locale* committitur per peccatum luxuriae externum in loco sacro. Atque id quidem de pollutione, fornicatione et copula coniugali, quam non excusat moralis necessitas, certum est, de aliis autem actibus graviter impudicis (tactus, oscula, aspectus, colloquia) disputant.

Actus autem interni certo non sunt sacrilegia scilicet gravia; aliqua enim sacrilegii levis malitia inest omni peccato, quod in ecclesia committitur.

Locus sacer in hac quaestione solum est ecclesia (oratorium publicum) consecrata aut benedicta, eaque solum a tecto usque ad pavimentum, et coemeterium benedictum; ergo loca sacra non sunt oratoria privata (semipublica) nec sacristia, atrium ecclesiae, tectum supra ecclesiam.

4. Sacrilegium *reale* committitur per abusum rei sacrae ad turpia, si e. g. missa promitteretur ad obtinendum consensum in rem turpem, vel si sacerdos gestans euchari-

---

[1]) Cf. huius rei explicatio in „Praeceptis“ n. 60.

stiam vel sacris vestibus ad celebrandum indutus, vel post sacram communionem, quo tempore sacrae species nondum sunt corruptae, carnaliter peccaret. Huc pertinet etiam gravissimum illud sacrilegium *sollicitationis* in confessione, quo confessarius sacramento poenitentiae abutitur ad peccatum turpe.

13. *De raptu.* 1. Raptus (quatenus est peccatum luxuriae) est abductio violenta personae cuiusvis libidinis explendae causa. Malitia propria raptus consistit in iniuria, quae per violentam abductionem infertur.

Ad raptum ergo requiritur: *a.* ut fiat *abductio* seu translatio de loco ad locum; *b. vi illata* aut physica aut morali vel ipsi personae abductae vel iis, in quorum potestate est: parentibus, tutoribus, viro; *c. libidinis causa*, hinc si in alium finem abducitur, e. g. ut adhibeatur ad servitia, non est peccatum luxuriae. *d.* Persona autem abducta potest esse femina quaevis sive virgo sive corrupta sive nupta sive innupta, imo etiam puer.

2. Raptus *duo peccata* continet, aliud contra *castitatem* propter intentionem libidinosam, aliud contra *iustitiam* propter vim illatam aut personae raptae aut iis, quorum potestati subest, aut utrisque.

Articulus secundus.

De peccatis contra naturam.

I. De pollutione.

14. *Pollutione*, quae etiam mollities vel masturbatio (manustupratio) dicitur, est delectatio venerea completa cum seminis effusione sine concubitu.

a. Pollutio, in qua ex definitione habetur seminis effusio, coniuncta est cum delectatione completa, quae libidinem perfecte satiat. Patet ergo veri nominis pollutionem in iis accidere non posse, qui verum semen non habent, scilicet in pueris, senibus et spadonibus, licet delectationem veneream completam et satiativam percipere possint.

b. Essentia huius peccati in delectatione venerea completa et in plena libidinis sedatione consistit, ad quam

veluti specifica malitia accedit frustranea seminis effusio contra ordinem naturae. Quare pollutio peccatum est specifice diversum ab impudicitia seu a tactu impudico, qui coniungitur cum delectatione venerea sine seminis effusione. Quare impuberes et eunuchi, qui se e. g. tactibus impudicis ad pollutionem excitare conantur, non committunt peccatum specificum pollutionis, sed peccatum impudicitiae per tactum.

c. Diversi *modi*, quibus pollutio procuratur, non sunt specifice distincti, quare de iis non est in confessione interrogandum, nisi tactibus alterius personae pollutio quaesita fuerit. Iste modus propter peccatum cooperationis ab aliis differt, nihil autem refert, utrum tactibus viri an mulieris quaesita fuerit, quando nimirum sola pollutio intenditur.

2. Licet feminae semen proprie dictum prolificum non habeant, nihilominus etiam de *pollutione feminea* fit sermo, quae est secretio seu effusio alicuius humoris non prolifici, quae cum magna voluptate coniuncta est et naturam perfecte satiat. Imo signum est, feminas fuisse pollutas, quando libido perfecte satiata est. Haec effusio raro fit extra, sed plerumque intra membra genitalia; a feminis tamen fluxus sensibiliter percipi potest. Iam quaerunt, utrum pollutio feminea sit *peccatum specificum pollutionis*, an solum peccatum impudicitiae ut in pueris et eunuchis. Adsunt rationes, quae omnino probare videntur, pollutionem in feminis puberibus esse peccatum specificum pollutionis [1]).

3. *Divisio*. Pollutio alia est *voluntaria*, quae aliquo modo volita; alia *involuntaria*, quae nulla ratione volita est, sed omnino praeter intentionem sequitur.

Voluntaria alia est *directe* seu in se, alia *indirecte* seu in causa volita.

Involuntaria item duplex est: passiva et nocturna. *Passiva* in statu vigiliae contingit ob magnam organorum debilitatem (ex peccandi consuetudine plerumque contrac-

---

[1]) *Bucceroni*, Theologia moralis I. n. 58.

tam), ex levissimis quibusque causis (motu, tactu, conatu etc.) provocatur et sine delectatione peragitur. Haec morbus est et quavis culpa vacat.

15. *De pollutione nocturna.* In somnis accidit, ex causis naturalibus provenit, potissimum ex semine superfluo, quo natura gravata se exonerat, et cum delectatione peragitur. Quocirca eadem non denotat animum libidinosum, licet ipsam provocent et comitentur phantasmata plus minusve inhonesta. Hanc iuvenes post annos pubertatis et coelibes, quo tempore natura semen producit, patiuntur. Statis temporibus eiusmodi seminis eiectiones redeunt; tempora autem pro hominum diversa constitutione diversoque vivendi genere variant: in aliis semel, in aliis etiam bis in hebdomada, in aliis vix semel in mense pollutio nocturna accidit.

1. Pollutio nocturna in somnis facta culpa vacat, quia non oritur a libera voluntate nec ullus consensus liber ei praebetur, sive dormienti placet sive displicet.

2. Pollutio nocturna, *quae semisopitis* quandoque accidit, censeri non debet mortalis, quia fit cum imperfecta cognitione et voluntate. Imo nullum consensum adfuisse iudicandum est, si in statu vigiliae ordinarie displicet, quia ex ordinarie contingentibus iudicium ferendum est.

3. Pollutio nocturna mortalis est, si post somnum placet propter delectationem inde perceptam; si autem ex alio motivo de ipsa quis gauderet e. g. propter tentationem sedatam vel propter naturam exoneratam vel propter morbum mitigatum etc. nullum esset peccatum.

16. *Pollutio directe quaesita semper est peccatum mortale:* nam *a.* delectationem veneream contra ordinem naturae quaerere, semper est grave peccatum. *b.* Frustranea seminis effusio contra ordinem naturae gravis est inordinatio. *c.* Si non esset graviter illicita, impediretur usus coniugii, quod tam necessarium est generi humano: homines enim hac sola voluptate contenti a coniugiis plerumque tam molestis abstinerent.

1. Ergo nunquam licitum est pollutionem procurare, neque ubi eiectio seminis ad vitam conservandam esset necessaria.

„Haec conclusio ab omnibus quidem admittitur, at difficillimum est eius rationem assignare." (Sanchez.) Ex recentis autem physiologiae documentis negandum forte erit suppositum, scilicet conservationem seminis aliquando vitae esse nocivam: fundatur enim in opinione, semen identidem corrumpi. (Palmieri.)

2. Omnis voluntaria seminis effusio quantumvis parva et exigua habet rationem pollutionis, ideoque peccatum mortale est.

3. Pollutionem (sive in vigilia sive in somno) sponte inceptam aliquo modo (tactu vel motu vel situ etc.) promovere graviter illicitum est, at nulla est obligatio impediendi pollutionem sponte sua evenientem aut in somno iam inceptam: pollutionem enim sponte inceptam reprimere valde difficile, imo plerumque impossibile est; quare permitti potest, ut natura se exoneret; attamen cavendus est consensus in delectationem.

Ratio, propter quam veteres putabant, non esse necessario cohibendam pollutionem sponte inceptam, nullius quidem ponderis est; nec tamen propterea imponenda est obligatio impetum naturae continendi. Opinati sunt ipsi, semen iam decisum nisi effundatur corrumpi et corruptum sanitati detrimentum afferre; semen vero reipsa nunquam corrumpitur et etiam decisum naturam non inficit sed potius iuvat. Quare consulendum utique est praesertim propter periculum consensus, ut pollutio iam imminens, ubi fieri potest, cohibeatur, at obligatio id faciendi nulla existit, quia illa effusio involuntaria est [1]).

17. In pollutione indirecte volita consensus voluntatis non fertur in ipsam pollutionem, sed in actionem, ex qua ipsa secutura praevidetur. Regula autem, secundum quam de malitia pollutionis in causa volitae iudicium ferendum est, haec est: *pollutio in causa volita tantum est peccatum, quantum est ipsa causa in genere luxuriae.* Causa vero est

---

[1]) *A. Eschbach* l. c. disp. 4. c. 4. a. 2. § 3.

grave vel leve peccatum, prout ex se vehementer vel leviter tantum influit in luxuriam excitandam.

Actiones nimirum causantes pollutionem aliae ita comparatae sunt, ut ex se et natura sua *proxime et notabiliter* in ipsam influant, ex quibus scilicet semper vel fere semper pollutio sequitur ut tactus valde inhonesti; aliae ita comparatae sunt, ut *remote et leviter* tantum in illam influant, ex quibus nimirum raro tantum pollutio sequitur ut aspectus non valde inhonestus vel potus superfluus. Porro actiones causantes pollutionem vel sunt in se *licitae* ut studere rebus lubricis, equitare, balneare; aliae sunt *illicitae* et quidem in *genere luxuriae* ut aspectus et tactus turpis, vel illicitae quidem sed non in genere luxuriae ut se inebriare. Porro ex regula stabilita haec sequuntur.

1. Si actio pollutionem causans ex se proxime et notabiliter in illam influit, pollutio, etiam excluso actuali consensu, est grave peccatum; qui ergo sine causa e. g. legit vel aspicit valde turpia vel partes genitales contrectat, graviter peccat: licet enim hae actiones ex se sint indifferentes, cum tamen proximum pollutionis periculum contineant, ipsae propter secuturam pollutionem seu secutura pollutio praevisa in ipsis grave peccatum constituit.

2. Si actio pollutionem causans remote et leviter tantum in illam influit, pollutio, etiam excluso consensu, leve peccatum est; qui ergo sine causa e. g. legit res eroticas vel tenera colloquia miscet, venialiter peccat; istae enim actiones ex se indifferentes cum remotum periculum pollutionis contineant, ipsae vel praevisa pollutio in ipsis leviter peccaminosa est.

3. Si actio pollutionem causans, sive remote sive proxime in eam influit, licita est, pollutio inde proveniens, etsi praevisa, excluso tamen consensu, nullum peccatum est. Licita autem dicenda est actio provocans pollutionem, si existit iusta causa illam ponendi; et causa iusta actionem cohonestans quaelibet habetur, quae sit necessaria vel utilis vel conveniens et commoda sive animae

sive corpori. Qui ergo e. g. ad curandam infirmitatem genitalia tangit, qui ex iusta causa equitat vel balneat et hac occasione polluitur, excluso consensu non peccat. Habetur in hoc casu actio, ex qua duplex effectus sequitur, alter bonus et alter malus; ille intenditur, hic autem ex iusta causa permittitur.

4. Si actio, ex qua praevidetur secutura pollutio, non est peccatum in genere luxuriae, pollutio praevisa seu ipsa actio ratione pollutionis praevisae, excluso semper consensu in voluptatem, est veniale peccatum; qui ergo se inebriat vel superflue manducat praevidendo exinde causari pollutionem, propter hanc veniale peccatum committit: res enim, quae natura sua non ordinantur ad luxuriam, leviter tantum in eam influere censentur, ideo ratione luxuriae veniale peccatum non excedunt, licet in alio genere graviter peccaminosae sint.

5. *An liceat ei, qui pruritum patitur in verendis, illum tactu aut fricatione abigere, quantumvis pollutio sequatur.*

a. Si pruritus est levis et facile tolerabilis, *s. Alphonsus* non permittit tactum, quo ille abigatur cum periculo pollutionis excluso consensu; permittit autem, si aliqua tantum commotio secutura sit.

b. Si pruritus est magnus et molestus et ortum habet ex acrimonia sanguinis, licitum est, illum tactu vel frictione abigere etiam cum periculo pollutionis, excluso tamen consensu: habetur enim actio cum duplici effectu; bonus intenditur, malus ex iusta causa permittitur.

c. Si autem pruritus ortum habet ex ipso semine superfluo seu ex ardore libidinis, non licet tactu aut fricatione illum abigere cum periculo pollutionis, quia ex effectu malo demum sequitur effectus bonus: tactus enim directe tendit in procurandam pollutionem seu in sedandam libidinem et hoc medio demum abigitur pruritus. Si tamen valde molestus est pruritus, ex acrimonia sanguinis potius ipsum ortum esse iudicandum est.

18. Quando licitum est, pollutionem indirecte voluntariam ex iusta causa admittere, semper tamen consensus

in pollutionem seu potius in delectationem veneream, quae ex pollutione percipitur, praecaveri debet. Quare semper adhibenda sunt media, quae proximum periculum consensus reddant remotum aut nullum. Quod si id obtineri nequeat, fieri potest, ut quis ab actione ceteroquin licita, quae tamen pollutionem causet, propter periculum consensus abstinere debeat. Id contingit, si quis experientia edoctus novit, cum pollutione semper aut frequenter coniungi consensum et media ad illum removendum adhibita non sufficere. Itaque

1. Si actio, quae pollutionem provocat, est *necessaria* ut e. g. in medicis ad medendum vel in iis, qui necessitatibus corporis inserviunt, vix unquam aderit obligatio actionem ipsam dimittendi; sed periculum consensus aliis mediis removeri debet, quae si rite adhibentur, certe sufficiunt.

2. Si actio non est quidem necessaria, sed tamen *utilis* ut equitare recreationis causa, balneare, legere periculosa etc. et periculum consensus aliis mediis removeri non potest, ipsa actio omittenda est.

3. Si actio est *otiosa*, ut sunt lectiones eroticae, colloquia tenera, oscula pueris impressa etc. sub gravi vel sub levi omittenda est prout periculum consensus grave vel leve est.

19. *De distillatione.* 1. Distillatio, quae a pollutione differt, est effusio modica alterius humoris subtilioris non prolifici. In pollutione effusio seminis est copiosior et cum magna commotione et delectatione fit; in distillatione econtra effusio humoris est exigua et fere guttatim accidit, cum levi tantum aut vix ulla (quae percipiatur) commotione et delectatione et quandoque ex debilitate ac infirmitate organorum contingit.

2. Si distillatio *sine delectatione,* licet cum aliqua genitalium commotione, contingit, de ea curandum non est, nec existit obligatio eius causam cavendi. Iste enim fluxus comparari debet secretioni cuiuscunque alterius humoris e. g. sudoris, quem natura eiicere solet.

3. Distillatio autem, quae *cum delectatione* contingit, directe volita vel indirecte sine causa admissa a peccato excusari non potest. Eius malitia consistit in delectatione venerea in se quaesita, vel in periculo pollutionis, quod ipsa inducit: nam ad pollutionem distillatio ista natura sua proxime disponit.

20. *De menstruatione.* 1. In feminis peculiare phaenomenon notandum est, quod *menstruationem* vocant. Hoc nomine significatur fluxus sanguinis, quem feminae ex organis genitalibus singulis mensibus patiuntur, *fluxus menstruus* propterea dictus. Tempore pubertatis incipit, et usque ad quinquagesimum circiter aetatis annum, quo tempore foecunditas cessare solet, perdurat. Physiologice hoc phaenomenon in hunc modum explicatur. Singulis mensibus in ovariis maturescit ovum, quod ex ovariis decisum in uterum transfertur. Eodem tempore uteri partes interiores sanguine replentur, ut ad foetus evolutionem, si concipiatur, sanguis concurrat. Quod si ovum non fuerit foecundatum, sanguis ex scissis arteriolis et cum sanguine ovum per organa genitalia effluit. Fluxus iste ordinarie per duos aut tres, quandoque etiam per plures dies perdurat.

2. Porro notandum est, feminas tempore fluxus menstrui, praesertim primis annis, vehementes nervorum irritationes pati aliisque incommodis vexari. Fieri autem non potest, quin hae corporis alterationes in vitam moralem influxum exerceant. Et sane variis affectibus praesertim vero iracundiae et tristitiae, quae usque ad melancholiam quandoque augetur, eo tempore agitantur. Quapropter indulgentius ac benignius tunc tractari debent [1]).

II. De sodomia.

21. Sodomia est concubitus cum persona eiusdem sexus vel diversi sexus, sed in vase indebito.

---

[1]) Cf. *A. Eschbach* l. c. disp. 1. c. 1. a. 3. *Olfers*, Pastoralmedicin 2. Aufl. S. 87.

a. Concubitus non habetur, quando quis manu, pede vel brachio alterius genitalia tangit et vicissim ab alio tangitur, sed de ratione concubitus est, ut corporum ipsorum coniunctio intercedat, adeo ut saltem ex una parte membri genitalis applicatio ad corpus alterius locum habeat.

b. Ex definitione duplex distinguitur sodomia: *perfecta* et proprie dicta, quae est concubitus cum persona eiusdem sexus, ergo maris cum mare, feminae cum femina; et *imperfecta* seu improprie dicta, quae est concubitus cum persona diversi sexus, sed in vase innaturali seu praepostero.

c. Sodomia igitur perfecta, quae est concubitus cum eodem sexu, duplici modo committi potest: aut *actu consummato* i. e. cum penetratione vasis praeposteri, aut actu *non consummato* i. e. sine penetratione vasis seu sine copula. Patet sodomiam consummatam inter feminas locum habere non posse. Pariter sodomia improprie dicta committitur aut actu consummato seu cum copula in vase innaturali, aut sine copula. Haec ultima species sodomiae a tactu impudico et a pollutione (si accidit) non differt.

d. Essentia huius criminis non in affectu ad vas indebitum, sed in affectu ad sexum indebitum consistit: affectus ad vas indebitum facit actum consummatum.

1. Sodomia est crimen multo gravius simplici pollutione tum in se, quia tendit in sexum indebitum; tum ratione cooperationis.

2. Sodomia perfecta et imperfecta specie ab invicem differunt, quia ferri in sexum indebitum specialem malitiam continet.

3. Nihil refert, an quis agens vel patiens fuerit; species peccati est eadem; quare in confessione de hac re non est interrogandum. Utrum autem pollutio locum habuerit, quae in agente facilius accidit quam in patiente, declarandum est.

4. Ubi reservata est simpliciter sodomia, intelligenda est sodomia perfecta et consummata.

III. De bestialitate.

22. *Bestialitas* est concubitus cum bestia. Nihil refert, qua ratione concubitus acciderit sive cum vasis penetratione sive sine illa, in qua parte habitus fuerit, ac tandem an cum seminis effusione vel sine illa locum habuerit. Si tamen peccatum bestialitatis est reservatum, intelligenda est ea, quae cum vasis penetratione seu cum copula committitur, nisi aliud a reservante declaretur.

1. Bestialitas est gravissimum inter luxuriae peccata, horribilius ipsa sodomia. Specialis eius malitia in accessu ad speciem diversam consistit, id quod rectae rationi adhuc magis repugnat quam accessus ad sexum vel ad vas indebitum.

2. Bestialitas specie non differt sive commissa fuerit cum bestia huius vel illius speciei; et quandoquidem nunc exploratum est, ex eiusmodi concubitu generationem sequi non posse, nihil refert, cuius sexus bestia fuerit, an mas vel femella; specifica enim malitia in diversa specie ab homine consistit.

3. Tactus impudici cum bestia non sunt peccatum bestialitatis, nisi affectus turpis tangentis praecise in bestiam feratur, id quod raro accidit, cum ordinarie solum libidinem explere intendat; quare necessario in confessione declarari non debet, si quis mediante lingua iumenti aut alterius bestiae voluptatem veneream aut pollutionem in se excitaverit.

Quaestio quarta.

De peccatis luxuriae non consummatis.

Peccata luxuria non consummata, in quibus seminis effusio locum non habet, duplicis sunt generis, alia quae ipsam luxuriam continent; alia quae non ipsam luxuriam,

sed solum causam illam provocantem continent. Primi generis sunt *motus carnales,* secundi sunt *actus impudicitiae.* Impudicitia definitur voluntaria occupatio circa res, quae delectationem veneream provocant. Ad eandem pertinent tum *actus interni:* cogitationes et desideria; tum *actus externi:* aspectus, tactus, oscula, amplexus, verba et lectiones.

Articulus primus.

De motibus carnalibus.

23. Commotiones membrorum genitalium motus turpes seu carnales dicuntur; modo parvi et transitorii, modo vehementes et diuturni sunt.

1. Motus carnales, qui sponte oriuntur et praeter intentionem eius, qui illos patitur, nullum sunt peccatum, cum sint involuntarii.

2. Si motus involuntarii sunt parvi et transitorii, de iis non est curandum, sed negligendi et contemnendi sunt: nam hinc quidem non sunt adeo inordinati et a recta ratione difformes, ut praecaveri debeant; inde vero sollicitudo eosdem impediendi imaginationem excitat eosque de facili auget.

3. Si autem hi motus sunt vehementes et diuturni, non licet erga eos passive se habere, sed resistentia ipsis opponenda est. Plerumque oriuntur ex imaginationibus pravis praeter intentionem habitis, coniuncti sunt cum delectatione venerea ideoque continent periculum consensus in delectationem et sunt inchoata quaedam pollutio.

Quocirca non licet mere passive et permissive se habere i. e. eos nec approbare nec adhibitis mediis reprimere, id quod veniale peccatum esset; sed positiva resistentia eis opponenda est, non quidem directa, qua actus contrarii eliciuntur: hac ratione enim fit, ut imaginatio excandescat et tentationem augeat, sed indirecta.

4. Duplex autem est resistentia indirecta, alia interna, alia externa. Ad *internam* pertinet: mentem ab imaginibus

impuris avertere et ad alia convertere, praesertim ad res externas; divinum auxilium implorare; ss. nomina invocare; Ave Maria recitare; horrorem concipere e. g. de foeditate et poenis peccati et de gravi periculo peccandi cogitare etc. Ad *externam* pertinet mutare locum vel situm; sensum doloris excitare etc.

a. Supposito gravi periculo peccandi resistentia interna necessaria est, quare illam prorsus omittere, grave peccatum, illam tepide et remisse adhibere, veniale est. Si tamen tentatio diu durat, non est necesse continuo, sed satis est identidem resistere.

b. Nulla existit obligatio adhibendi resistentiam externam, quia interna ad removendum periculum peccandi sufficit. Mutatio tamen loci vel situs, praesertim in gravioris tentationis initio, si fieri potest, valde suadenda est.

5. Motus carnales voluntarie excitare vel consensum et complacentiam in motus sponte et involuntarie ortos admittere est grave peccatum tum propter consensum in delectationem veneream tum propter periculum pollutionis. Ceterum de his motibus in causa voluntariis idem dicendum est, quod supra (n. 17) de pollutione indirecte volita diximus. Id solum addendum est: qui ex actione leviter et remote in libidinem influente se iam commotum advertit et non habet iustam causam illam actionem continuandi, ab ea desistere tenetur, et si (non dico: non statim abrumpit, sed si) *diutius* illam continuat, graviter peccat, propter grave periculum ad ulteriora progrediendi ac tandem consentiendi. Ideo e. g. diuturnus aspectus otiosus pulchrae mulieris vel diuturnum colloquium vanum cum puella vel continuata cogitatio impura, quando hae actiones iam libidinem excitant, grave peccatum est. *S. Alphons.* n. 422.

Articulus secundus.

De actibus externis.

24. 1. Ut de horum actuum malitia in particulari iudicium ferri possit, imprimis partes corporis respectu ho-

nestatis distingui debent. Itaque partes *honestae* sunt: facies, manus, pedes; *minus honestae*, non turpes sunt: pectus, dorsum, brachia, crura; *inhonestae*, turpes, obscoenae sunt: genitalia et partes illis proximae.

2. In actibus externis ipsa voluptas venerea non reperitur; ipsi in se non sunt mali, sed indifferentes, qui propterea tum ex bono tum ex malo fine exerceri possunt. Omnes autem natura sua apti sunt, qui motus turpes et sensum delectationis atque adeo pollutionem excitent; ideo coniiciunt in periculum peccandi per consensum in delectationem et pollutionem. Quare non licet illos actus exercere sine causa sufficienti plus minusve gravi pro ratione influxus, quem in delectationem et pollutionem provocandam exercent.

3. Horum actuum *malitia moralis* secundum hasce regulas diiudicari debet:

a. Si fiunt ex pravo et libidinoso affectu, licet ex se parum in libidinem influant ut aspectus mulieris, contrectatio manus etc. semper grave peccatum sunt ex intentione graviter mala; quare nihil refert, an actus ipsi sint magis vel minus turpes.

b. Si fiunt ex levitate, ioco vel curiositate ideoque breviter et perfunctorie, licet ex se vehementer ad libidinem excitare possint ut turpes aspectus vel tactus, leve peccatum sunt, tum quia curiositas levis est, tum quia periculum peccandi in his leve et remotum est.

c. Si fiunt ex iusta causa, etsi sensus delectationis vel etiam pollutio praeter intentionem excitetur, nullum sunt peccatum, modo absit consensus. Iusta eosdem ponendi causa est: decentia, utilitas, necessitas.

d. Actiones, quae proximum periculum consensus afferunt, sola necessitas et aptum studium praecavendi consensum a gravi peccato excusat.

4. *Species moralis.* Actus impudicitiae externi sunt: aspectus, tactus, oscula, amplexus, sermones (cantiones), lectiones. Iam si de eorum specie morali agitur, proprie

de aspectibus et tactibus quaestio fit: oscula enim et amplexus ad tactus revocantur, sermones autem, cantiones et lectiones sunt eadem peccata ac cogitationes et desideria, quae interius foventur aut verbis proferuntur

a. Aspectus et tactus ob delectationem veneream positi sunt peccata diversae speciei; aliud ergo peccatum est aspectus, aliud tactus turpis.

b. Tactus (oscula, amplexus) sunt peccata diversae speciei pro variis circumstantiis personarum, ad quas referuntur; ergo aliud peccatum est tactus turpis, qui refertur ad personam diversi sexus, aliud qui ad personam solutam, aliud qui ad personam sacram vel coniugatam refertur. Cum enim hi actus obiectum suum immediate attingant, ab ipso prout in concreto est cum suis circumstantiis moralitatem suam accipiunt. *Aspectus turpes* autem, nisi desiderium accedat, non sunt peccata specie diversa pro variis circumstantiis personae, quae aspicitur. Nam visus obiectum suum non adeo immediate attingit sicut tactus, quare pravus affectus in solo obiecto sistere potest et ordinarie sistit praecisione facta a circumstantiis obiecti. Ideo in confessione non est declaranda qualitas personae turpiter visae, an fuerit consanguinea, coniugata, sacra; declarari autem debet, an obiectum aspectus turpis fuerit mas vel femina.

c. Sermones, cantiones, lectiones duplici modo considerari debent, vel prout sunt occasio inducens ad peccatum turpe, et sic grave vel leve peccatum sunt, prout periculum proximum vel remotum peccandi inducunt, si nempe sine iusta causa peraguntur; vel prout cum affectu pravo et libidinoso proferuntur, et sic idem peccatum sunt ac gaudium vel desiderium turpe, cuius sunt externum signum.

25. Iam regulae propositae ad quosdam casus particulares applicandae sunt, in quibus tamen communiter contingentia respiciuntur. In concreto ad dispositiones subiecti nunquam non attendendum est: quod enim iuveni

et calido grave periculum labendi creat ideoque graviter peccaminosum est, id seni aut frigido nullum aut solummodo leve peccatum esse potest, quia parum aut nullatenus ad libidinem excitat. Ea tamen, quae ordinarie leviter tantum commovent, excluso proximo periculo consensus, sub gravi neque ab illo caveri debent, qui forte propter subiectivam dispositionem vehementius excitatur. In singulis itaque considerandum est, quinam actus graviter et proxime, quinam vero leviter et remote in causandam commotionem veneream et in periculum pollutionis influant, et quaenam sit causa illos actus ponendi.

1. Oscula, quae sunt morosa, saepius repetita et inter personas diversi sexus, praesertim si fiant lingua in os introducta, *ordinarie* grave peccatum sunt, quia valde commovent et nulla ratione cohonestari possunt.

Oscula decentia licita sunt: decentia autem dicuntur, quae fiunt iuxta morem patriae, urbanitatis vel amicitiae causa, etiam inter personas diversi sexus; idem dicendum est de amplexibus et manuum contrectatione. Si tamen haec oscula fiunt cum aliquo affectu et mora, periculosa sunt.

2. Aspicere coitum animalium ex curiositate sine affectu libidinoso veniale est, praesertim si animalia sint minora ut aves et canes et si obiter tantum aspiciantur; quia hoc non multum excitare solet voluptatem.

Necessitas excusat coniungentes animalia domestica ut tauros et equos, etsi oriretur commotio carnis vel etiam pollutio, excluso consensu; at hoc munus, quantum fieri potest, demandandum est coniugatis aut senioribus, qui non adeo ad venerem proclives sunt ut iuvenes.

3. Se ipsum aspicere vel tangere in partibus inhonestis ex necessitate vel utilitate excluso affectu, nihil est; id facere ex curiositate vel levitate excluso consensu, veniale est, quia propria minus movent; partes minus honestas proprii corporis aspicere vel tangere etiam sine causa nihil est, saltem in genere luxuriae, quia hoc non commovet;

aspicere personam nudam eiusdem sexus (e. g. simul natantem vel balneantem) obiter ex curiositate, veniale est, quia ordinarie non multum movet; at aspicere personam nudam eiusdem sexus serio, deliberate et morose etiam ex sola levitate, mortale est, quia id natura sua et proxime ad libidinem excitat; personam autem diversi sexus etiam solum ex curiositate vel levitate aspicere in partibus inhonestis, mortale est, quia hoc ordinarie multum excitat naturam corruptam. Excipiendus esset aspectus, qui valde obiter et fere ex inopinato fieret vel aspectus infantuli nudi diversi sexus.

4. Aspicere statuas vel imagines utriusque sexus plane nudas sine ratione necessitatis vel magnae utilitatis aspectu fixo, serio et cum aliqua mora, grave peccatum est, quia multum excitant rebellionem carnis, nisi forte sint statuae valde antiquae, quae teste experientia non adeo commovent. Si autem statuae et imagines inhonestae sine causa aspiciuntur obiter et perfunctorie, veniale est, quia aspectus, qui non sunt intensi et cum mora, non multum excitant.

5. Legere libros leviter tantum turpes ex curiositate sine turpi affectu, veniale est: nam ipsa cogitatio rerum turpium non est peccatum, sed ex illa cogitatione quaerere delectationem aut periculo consensus se exponere; hoc autem periculum, si libri leviter tantum turpes sunt, remotum est; si autem libri valde turpes sunt, graviter commovent et ordinarie proximo periculo exponunt, quare illorum lectio grave peccatum est. Iusta autem accedente causa necessitatis vel utilitatis nullum peccatum est, etsi sensus delectationis excitetur, modo exclusus sit consensus.

6. Turpia loqui vel audire, si verba sunt leviter obscoena, vel graviter quidem, at proferuntur et audiuntur ioci causa ad vanam recreationem ut fit ab operariis inter laborandum, leve est; si autem sermones sunt valde obscoeni, etsi ex levitate misceantur e. g. de actu coniugali, de mediis impediendi generationem etc. mortale est, quia haec naturam corruptam ordinarie valde excitant.

An pictoribus et sculptoribus licitum sit, diu aspicere personas nudas eiusdem vel diversi sexus, quae pro exemplari ipsis se sistunt (Modell stehen).

Id certe non licet in hunc finem scilicet pingendi aut sculpendi obscoena: nam finis malus non potest cohonestare aspectum periculosum. Ad honesta autem pingenda aut sculpenda cum debitis cautelis licet: cum enim artifices contendant, „studia" in nudo corpore ad perfectionem artis etiam honestae prorsus necessaria esse, haec necessitas illos aspectus excusare et cohonestare potest, modo absit periculum consensus, quod adhibitis aptis remediis removeri potest.

An licitum sit, admittere tactus vel oscula, quae cognoscuntur proficisci ex affectu libidinoso.

Si tactus ex se sunt inhonesti et absque necessitate fiunt, non licet, tum quia est cooperatio ad peccatum alterius sine iusta causa, tum quia ille, qui tangitur, se exponit periculo peccandi: non solum enim inhoneste tangere, sed etiam inhoneste tangi excitat voluptatem. Si autem tactus vel osculum ex se est honestum, et id fit publice coram aliis, qui pravum alterius affectum non advertunt, admitti potest, si declinari nequit, quin alius diffametur; si autem secreto fit aut si absque proprio vel alieno incommodo praecaveri potest, non licet, cum nulla sit causa cooperationem excusans.

Articulus tertius.

De peccatis internis.

26. *De cogitationibus impuris.* 1. Impurae dicuntur cogitationes vel potius imaginationes, quae libidinem excitant. Aliae sunt, quae ad genus luxuriae pertinent et natura sua id efficiunt ut imaginatio tactus inhonesti, aliae, quae ad genus luxuriae non pertinent et solum per accidens ob peculiarem dispositionem alicuius personae illum effectum producunt.

2. Cogitationes impurae per se indifferentes sunt, alias nunquam licite admitti possent; attamen libidinem provocant, et excitata libido natura sua ad consensum allicit; cum autem utrumque hoc malum sit, ipsae cogitationes malae sunt propter malignum hunc effectum, quem producunt, seu propter periculum peccandi, quod inducunt.

3. Cogitationes impuras admittere ex affectu libidinoso seu ex pravo fine fruendi delectatione venerea, quam excitant, grave peccatum est; item complacere sibi de voluptate, quam eiusmodi cogitationes praeter voluntatem ortae provocant, mortale est. Cogitationes impuras non multum commoventes ex mera levitate vel otiositate admittere vel illis immorari, leve peccatum est, quia non coniiciunt in grave periculum peccandi. Cogitationes autem impuras admittere vel illas fovere ex honesto fine, licitum est, etsi motus carnales et ipsam pollutionem causent, excluso consensu in delectationem.

4. Cogitationes impurae non sunt specifice diversae pro diversitate obiecti repraesentati, sed ordinarie omnes sunt eiusdem speciei moralis: in hoc enim omnes conveniunt, ut excitent libidinem et eatenus malae sunt, quatenus malignum hunc effectum producunt, affectus autem et complacentia voluntatis ordinarie in hunc effectum unice fertur; quare necesse non est, ut obiectum cogitationis impurae declaretur: nihil enim refert, an voluptas venerea ex hoc vel illo obiecto quaeratur vel oriatur.

5. Cogitationes impurae vocari solent delectationes morosae. Proprie delectatio morosa est complacentia in re mala per imaginationem repraesentata e. g. complacentia in furto commisso, in fornicatione commissa et per phantasiam repraesentata, qua complacentia peccatum commissum approbatur (cf. Principia n. 98). Si autem cogitatio impura vocatur delectatio morosa, haec definiri debet non complacentia in fornicatione cogitata, sed complacentia in voluptate venerea ex cogitatione impura orta.

Cogitationes pravae natura sua fere ad desideria prava inducunt, ideo plerumque ad desideria prava reapse procedunt. Quare munus

confessarii per se postulat, non solum ut poenitentes, qui de pravis cogitationibus se accusant, si opus esse iudicaverit, de desideriis impuris interroget, sed etiam ut eorum obiectum et circumstantias prudenter et discrete investiget; quia tamen haec investigatio frequenter nimis ardua est et confessionem molestam reddit, quia insuper fideles inter cogitationes et desideria non satis distinguunt, saepe causa aderit eam investigationem omittendi.

27. *De desideriis impuris.* 1. Desideria impura, si sunt absoluta, etsi inefficacia, grave vel leve peccatum sunt, pro gravitate obiecti, quod optatur e. g. tactus vel aspectus plus minusve inhonestus, fornicatio etc.

2. Desideria impura specificam malitiam sumunt non solum ab obiecto, sed etiam ab omnibus circumstantiis obiecti apprehensis: cum enim prava voluntas feratur in determinatum obiectum, desiderium omnes eius specificas malitias continet; aliud ergo est desiderium peccandi cum persona eiusdem, aliud cum persona diversi sexus; aliud cum persona soluta, aliud cum coniugata.

3. *An licitum sit desiderare pollutionem mere naturalem.*

a. Pollutio mere naturalis ea dicitur, quae sponte et involuntarie accidit sive in somnis sive in vigilia ex abundantia seminis, quo natura se exonerare conatur.

b. Non licet eam desiderare propter delectationem veneream, quae ipsam comitatur; licet autem eam desiderare ex fine honesto e. g. ut medium sedandae tentationis, exonerandae naturae: nam obiectum huius desiderii non est malum et finis bonus est.

De usu matrimonii.

Usus matrimonii consistit in illa actione coniugum, quae a natura ad conservandum et propagandum genus humanum instituta est, scilicet in *copula carnali*. Ab Apostolo haec coniugum actio vocatur *debitum* [1]), quia coniuges vi matrimonii eam sibi mutuo debent. Actus coniugalis considerari debet in se et in suis circumstantiis; quare ut moraliter bonus et honestus sit, tum in se tum ratione circumstantiarum licitus sit oportet. Itaque agendum est: *a.* de liceitate actus coniugalis in se; *b.* de eiusdem liceitate ratione circumstantiarum; *c.* de eius obligatione; *d.* de impedimentis actus coniugalis; *e.* de iis, quae coniugibus ratione matrimonii licent.

Quaestio prima.

De liceitate actus coniugalis in se.

1. Actus coniugalis *in se* licitus et honestus est: etenim est medium a Deo ordinatum ad propagandum genus humanum; quare si fiat ex recto fine, nedum licitus verum suppositis supponendis etiam meritorius est.

Insuper in sacra scriptura actus coniugalis diserte praecipitur [2]); atqui sine blasphemia dici non potest, Deum quidquam praecipere, quod non sit licitum et honestum.

---

[1]) 1. Cor. 7, 3.

[2]) Gen. 1, 28; 1. Cor. 7, 3.

Tandem Christus contractum matrimonialem, quo coniuges mutuo sibi conferunt ius ad actus coniugales, evexit ad dignitatem sacramenti; atqui solum contractus, quo contrahentes se obligant ad rem licitam et honestam, ad tantam dignitatem evehi potuit.

2. Ut actus coniugalis in se licitus sit, ita perfici debet, ut essentialis matrimonii finis, qui est generatio prolis, obtineri possit. Non est necesse, ut finis iste reipsa obtineatur; id autem omnino requiritur, ut saltem obtineri possit. Ad quod quidem *ex parte actus* duo requiruntur: *a.* ut vir membro genitali vas mulieris penetret et ibi semen effundat; *b.* ut mulier semen receptum retineat. Semen enim in alium finem a natura non subministratur nisi ut inserviat ad generationem prolis. Graviter ergo peccant coniuges, si quidquam faciant, quo generatio impediatur; vel si ita congrediantur, ut generatio aut impossibilis aut saltem improbabilis sit: nam contra naturam et finem primarium matrimonii agunt.

1. Ex recenti physiologia constat, generationem fieri posse, modo semen virile ad ora organi muliebris effundatur. Quapropter si actus coniugalis alio modo haberi non posset, hac ratione illum exercere licet: nam ut actus coniugalis licite exerceri possit, aliud non requiritur, nisi ut finis essentialis matrimonii, qui est generatio prolis, obtineri possit, etsi pars seminis per accidens frustretur. Quod si perfectior modus possibilis est, non licet actum coniugalem hoc imperfecto modo exercere, quia non licet partem seminis de industria profundere et frustrare. Id tamen veniale peccatum non excedit, modo conceptio obtineri possit.

2. Actum coniugalem licite exercere possunt coniuges, qui ob senectutem vel ob aliam dispositionem semen plerumque extra vas effundunt, modo adsit probabilis spes semen intra vas effundendi: nam quamdiu habetur talis spes, coniuges ius habent ad copulam; et si semen profunditur, id fit per accidens [1]).

Si autem coniuges ex supervenienti impotentia sive ex parte viri sive mulieris actum coniugalem ita perficere non possunt, ut semen intra vas femineum effundatur, copula redditur illicita.

3. Ergo non peccat uxor, quae statim post copulam surgit et mingit: cum enim matrix semen mox attrahat et recepto semine statim

---

[1]) *S. Alphons.* n. 954.

claudatur, illa agendi ratione nihil fit, quo generatio impediatur. Si tamen id fieret animo expellendi semen et impediendi generationem, haec prava intentio mortale peccatum esset.

4. Coniuges, quae actum coniugalem exercent, sed ambo seminationem cohibent, excluso periculo semen extra vas effundendi, non peccant, si id faciant mutuo consensu et adsit sufficiens causa ita agendi e. g. ne seminatio noceat saluti, vel ne coniuges pauperes nova prole graventur. Actus coniugalis in hoc casu rationem tactus impudici habet, qui in coniugatis excluso pollutionis periculo non est graviter illicitus, et si ex iusta causa fiat e. g. ad sedandam concupiscentiam, culpa vacat.

5. Si vir seminationem cohibet, quando uxor iam seminavit aut ad seminandum excitata est, per se mortale peccatum committit, nisi ex gravi causa haec agendi ratio excusetur: nam procurare in alterutro seminis effusionem, quin ad generandam prolem deservire possit, grave peccatum est. Cum tamen illa effusio non sit in se et intrinsecus mala, culpa caret, si ex gravi causa fiat, si e. g. periculum mortis vel scandali immineret, vel si alteruter coniugum repentino dolore corriperetur.

6. Si uxor seminationem cohibet, quando vir iam seminavit, omissio ipsa seminationis peccatum non est: cum enim semen, quod dicitur, mulieris ad generationem necessarium non sit, omissio seminationis generationem impedire nequit. Intentio autem, ex qua semen cohibetur, potest esse graviter peccaminosa, si scilicet fiat ad impediendam generationem.

7. Omnis actio, qua mulier semen receptum conatur expellere ad impediendam generationem, ut lotio genitalium grave peccatum est; et si actio ad illum effectum insufficiens est, saltem ex prava intentione grave peccatum est. Si tamen copula naturali et convenienti modo perficitur, femina autem receptum semen propter indispositionem organorum retinere non potest, copula licita est, quia seminis eiectio per accidens fit.

8. Quandoque mulieres, dum actum coniugalem exercent, animum ad alia convertunt vel sensibilem dolorem sibi procurant, ne ad seminationem concitentur; quia tamen seminatio mulieris ad generationem non requiritur, haec agendi ratio conceptionem impedire non potest; quare solum ex prava intentione peccatum est.

9. Actum coniugalem exercere cum affectu ad aliam personam, quam quis sibi repraesentat, ut exinde delectationem veneream capiat, est mentale adulterium ideoque grave peccatum; at pulchras imagines sibi praeponere easque aspicere sive ut se excitent sive ut prolem formosiorem concipiant, non est peccatum, modo imagines non sint sacrae.

3. Sicut ipse actus coniugalis licitus est, ita coniugibus licita sunt ea omnia, quae ad actum coniugalem per-

ficiendum vel necessaria vel utilia sunt: cui enim licet finis et actus consummatus, licent etiam media et actus, qui ab ipsa natura ut dispositio ad illum destinati sunt.

a. Ergo quando adest intentio perficiendi copulam, coniugibus liciti sunt omnes actus imperfecti ut aspectus, tactus etc. qui ad copulam excitant; cavere autem debent, ne diutius in eiusmodi actibus immorando pollutio sequatur; si tamen praeter intentionem quandoque sequeretur, culpa vacaret.

b. Licitum est mulieri complementum copulae sibi procurare. Si nimirum copula ex parte viri iam consummata mulier actum nondum complevit, potest ipsa tactibus aut alio modo plenam voluptatem sibi procurare. Licet enim hoc mulieris complementum ex physiologis recentibus ad generationem non sit necessarium, negari tamen non potest, illam mulieris seminationem ad foetus conceptionem et formationem aliquid conferre, cum natura nihil faciat frustra; atqui haec naturalis destinatio seminationis muliebris sufficit, ut mulieri licitum sit, sibi plene satisfacere.

4. Contra finem primarium et essentialem matrimonii coniuges dupliciter peccare possunt: *a.* sodomia imperfecta; *b.* onanismo.

Sodomia imperfecta committitur, si vir vas praeposterum mulieris penetrat, sive in illo seminat sive extra illud.

1. Sodomia inter coniuges commissa grave peccatum est, tum quia adversatur fini naturali actus coniugalis et seminis virilis, tum quia adversatur fidei coniugali, quae postulat, ne coniuges aliter utantur corpore nisi modo ad generationem apto, nec fidem hanc coniuges sibi remittere possunt.

Si igitur concubitus sodomiticus ex mutuo consensu fit, gravissimum peccatum est ex utraque parte; si dissentiente uxore fit, certe vir gravissime peccat peccato contra naturam; sed quaeritur, an uxor id permittere et ad peccatum viri cooperari possit.

2. Solum ex gravissima causa uxor ad concubitum viri sodomiticum licite cooperari potest sub hac duplici

conditione, ut talem coitum impedire conetur et tum solum permittat, si absque periculo gravissimi mali eum impedire non potest; deinde ut delectationi venereae tunc suborienti non consentiat.

3. In hac re omnino insistendum est principio: praeter ea, quae sunt contra finem naturae, non occurrunt actiones inter coniuges, licet inordinatae et foedae eae sint, quae *certo* gravis peccati incusari possint. Quocirca duplex haec actio non est dicenda graviter culpabilis: *a. inchoare* copulam in vase praepostero animo consummandi eam in vase naturali; *b.* fricare genitalia circa vas praeposterum uxoris, modo praecaveatur affectus sodomiticus et effusio seminis.

5. *Onanismus* dicitur copula ita habita, ut generatio impediatur. Duplici modo id accidere potest: *a.* si vir copula incoepta in vase naturali ante seminationem se retrahit et semen effundit extra vas; *b.* si ope instrumenti impedit, quominus semen in vas mulieris perveniat.

Prior modus onanismum committendi olim unicus erat, quare ab antiquioribus auctoribus onanismus definiri solet: copulae incoeptae abruptio, ita ut semen extra vas effundatur et sic generatio impediatur; recenti vero aetate inventa sunt quaedam media praeservativa, seu praeventiva, quibus adhibitis efficitur, ut semen in vas mulieris aut non perveniat aut, si pervenerit, enecetur [1]).

1. Onanismus mutuo coniugum consensu commissus utrimque est grave peccatum, tum quia adversatur fini primario matrimonii tum quia adversatur fidei coniugali, ideo Gen. 38, 10. res detestabilis dicitur. Ubi sine consensu uxoris a solo viro committitur, hic certe graviter peccat, et uxor non tenetur debitum reddere viro, qui copulam onanistice perficit: nam solum ad usum matrimonii se obligavit, qui de se aptus sit ad generationem; quaeritur autem an uxor hunc modum coëundi permittere et peccato viri cooperari possit.

---

[1]) Cf. *Seved Ribbing,* Die sexuelle Hygiene. (Leipzig, Hobbing, 1892) Ed. 10. p. 102. s.

2. Cooperationem formalem, qua ipsa nimirum in onanismum consentit, graviter illicitam esse, patet. Et uxor quidem etiam tum formaliter cooperatur, si suis querimoniis de partus doloribus, de numerosa prole etc. cum praevisione peccati committendi marito ad onanismum ansam praebet. Cooperatio materialis autem sub certis conditionibus licita est[1]): *a.* Ut adsit causa sufficiens, quae cooperationem excuset. Non est necesse, ut haec causa sit gravissima, sed sufficit, ut sit gravis e. g. timor gravis incommodi ut rixarum vel si uxori grave sit, diu a matrimonio abstinere. *b.* Ut prudenter maritum moneat, ut actum rite perficiat: nam ex caritate peccatum viri impedire tenetur. Caute vero et *prudenter* maritum monere debet, ne si forte in bona fide esset, postea formaliter peccet. Attamen non tenetur singulis vicibus monere, si nullus fructus speratur; et si absque gravi incommodo e. g. absque timore indignationis, dissidii, adulterii etc. monere non posset, monitionem omittere potest. *c.* Ut peccato non consentiat. Si tamen non de peccato, sed de effectibus peccati, e. g. ipsam a molestiis graviditatis et puerperii praeservatum iri, gauderet, non peccaret. Voluptati autem ex copula exorienti consensum praebere potest, quia ipsa debitum reddendo viro onanistae rem licitam facit.

3. Si onanismus secundo modo committitur, solum ex metu gravissimi mali cooperatio uxoris permitti potest et consensus in delectationem excludi debet: nam in hoc casu uxor ad rem prorsus illicitam proxime cooperatur, in priori vero ad actum cooperatur, qui praeter profusionem seminis licitus est. Potest ergo uxor in priori casu, in quo copula rite inchoatur, debitum reddere et ad copulae abruptionem simpliciter passive se habere; in posteriori casu vero non licet ei passive se habere, sed actum in se peccaminosum pro viribus positive resistendo im-

---

[1]) Id confirmatur pluribus responsis s. poenitentiariae, quorum ultimum est de die 8. iun. 1842.

pedire tenetur; et solum ex gravissima causa permittere potest, quod impedire nequit.

4. Ab onanismo distinguenda est copulae interruptio, quae ex fortuita necessitate accidit e. g. ad evitandum scandalum, quod persona ex improviso superveniens pateretur. Quod si copula interrupta semen effunderetur, effusio culpa vacaret: cum enim copula ex alio fine interrumpatur, effusio praeter intentionem accidit, ideoque aequiparanda est pollutioni involuntariae.

5. Onanismi crimen hodie late grassatur et in dies latius propagatur ex hac potissimum ratione, quia coniuges voluptate matrimonii frui volunt quin onus alendi numerosam prolem subeant. Ad praecavendum onanismum uxores praesertim monendae sunt, ut maritos blanditiis, precibus et hortationibus vel ad actum rite perficiendum vel ad abstinentiam inducant.

Cum nullum existat licitum medium impediendae generationis, confessarius coniugibus, qui ulteriorem prolis generationem praecavere volunt, suadere potest, caute tamen et prudenter, ut eo tempore, quo conceptio facilius accidit, paucis (tribus) scilicet diebus ante et quindecim diebus post menstruationem, se contineant, alio vero tempore, quo conceptio fere nunquam accidit, matrimonio utantur.

Hunc modum agendi licitum esse, nedum ex rei natura patet, cum nihil fiat, quod sit contra finem matrimonii; verum etiam ex declaratione s. sedis constat[1]). Ratio autem, ob quam solum *caute* et *prudenter* insinuanda sit haec praxis, est, quia ipsa coniugibus ansam dare potest peccandi scilicet vel negandi debitum, vel committendi alio tempore onanismum.

6. Quoad modum tractandi poenitentes onanismo addictos ex pluribus responsis s. sedis[2]) haec notanda sunt:

a. Confessarius *tenetur* prudenter et discrete interrogare poenitentes, quando adest fundata suspicio, eos de onanismo, cui addicti sunt, omnino silere. Interrogare autem potest inquirendo an aliquid sit, quod circa matrimonii sanctitatem conscientiam remordeat. Quod si poenitens neget, plerumque ab ulteriori interrogatione abstinere potest.

---

[1]) S. Poenitentiaria 16. iun. 1880 respondit: „Coniuges praedicto modo matrimonio utentes inquietandos non esse, posseque confessarium sententiam, de qua agitur, illis coniugibus, caute tamen, insinuare, quos alia ratione a detestabili onanismi crimine abducere frustra tentaverit."

[2]) S. Offic. 21. mai. 1851. S. Poenitent. 10. mart. 1886.

b. Quando confessarius sive ex spontanea confessione sive ex prudenti interrogatione cognovit, poenitentem esse onanistam, *tenetur* illum de huius peccati gravitate monere eumque paterna caritate reprehendere eique absolutionem tum solum impertiri, cum sufficientibus signis constat, eundem dolere de praeterito et habere propositum non amplius onanistice agendi.

7. *An foecundatio artificialis licita sit.* — Haec quoad rem istam scribit *Eschbach*[1]). Duplex est methodus, qua artificialis foecundatio a medicis perficitur. Alia in eo consistit, quod medicus, praehabita inter coniuges maritali copula, semen virile in vas femineum iam receptum ope instrumenti in uteri fundum iniicit et sic naturam adiuvat. Et haec quidem methodus in se non est illicita. Alia methodus in eo consistit, quod semen per viri pollutionem antea effusum deinde artificiali modo in feminea organa introducitur. Et haec quidem methodus graviter illicita dici debet.

Quaestio secunda.

De liceitate actus coniugalis ratione circumstantiarum.

Circumstantiae, quae efficere possunt, ut actus coniugalis sit illicitus et moraliter malus, sunt eiusdem finis, modus seu situs, tempus et locus.

6. *De fine.* Plures sunt fines, propter quos actus coniugalis exerceri potest, quorum alii sunt proprii et essentiales, alii improprii et accidentales. Proprii sunt: *a.* ad generandam prolem; *b.* ad evitandam incontinentiam seu ad sedandam libidinem: usus matrimonii remedium incontinentiae et libidinis est, quia per eundem vehementi delectationis venereae appetitui satisfit; *c.* ad satisfaciendum obligationi erga alium coniugem. Horum finium essentialium primus quidem, generatio prolis, est primarius, alii sunt secundarii matrimonii fines. Praeter hunc triplicem finem proprium sunt alii improprii e. g. ad con-

[1]) *A. Eschbach*, Disputationes physiol. theol. p. 70 ss.

servandum et fovendum mutuum amorem, ad sanitatem corporis procurandam etc.

1. Actus coniugalis ob quemcunque finem honestum licite exerceri potest. Si de aliquo fine proprio agitur, ratio est, quia actio naturae conveniens licite exercetur ob illos fines, propter quos auctor naturae illam instituit; si vero de fine improprio agitur, ratio est, quia actio non mala licite adhiberi potest ad finem honestum, ad quem obtinendum utilis est.

2. Non est necesse, ut horum finium unus alterve expresse intendatur, sed id unum requiritur, ut non omnes positive excludantur. Quare non sunt inquietandi coniuges propter defectum finis honesti in usu matrimonii, dummodo fines honestos non omnes excludant; excluduntur autem, quoties actus coniugalis ob solam voluptatem exercetur.

3. Actum coniugalem *ob solam voluptatem* exercere, est peccatum veniale: nam aliqua, etsi non gravis, inordinatio est, velle sistere in aliqua re tamquam fine, quam auctor naturae voluit tamquam medium ad finem; quare damnata est propositio 9. ab Innocentio XI. At nullum peccatum est, si coniuges in actu coniugali, quem ex fine honesto perficiunt, etiam voluptate frui intendant.

4. Cum igitur generatio prolis non sit unicus finis, ob quem licitus est usus matrimonii, et cum ad licitum eius usum ex parte actus secundum se nil aliud requiratur, nisi ut sufficienter perfici possit, vel saltem ut spes probabilis habeatur illum perficiendi, haec sequuntur:

a. Usus matrimonii licitus est etiam sterilibus et senibus, qui semen prolificum non habent.

b. Licitus est etiam in illis adiunctis, in quibus proles generari non potest ut tempore praegnationis, aut raro generatur ut altera quindena post menstruationem.

c. Licitus est eo casu, quo mulier ob exstirpatum ovarium facta est impos[1]), vel quo semen conceptum retinere non potest.

[1]) S. Officium 3. febr. 1887 declaravit, matrimonium mulieris

d. An licitus sit, si constat, mulierem abortum pati aut prolem mortuam in lucem edere. — Affirmandum est saltem si fiat ad vitandum periculum incontinentiae: nam ex una parte etiam tali proli melius est cum peccato originali esse, quam omnino non esse; ex alia vero parte exclusio a supernaturali beatitudine a parentibus permittitur ex gravi causa, ad vitandum peccatum incontinentiae.

5. Non est necesse, ut coniuges in usu matrimonii generationem prolis velint, imo optare possunt, ne generetur et ex hoc desiderio usum matrimonii restringere ad illud tempus, quo nulla aut fere nulla spes est futurae conceptionis scilicet ad quindenam ante menstruationem.

7. *De situ.* Situs *naturalis* et ordinarius actus coniugalis est, ut fiat iacendo, ita ut mulier succumbat et vir incumbat: iste enim situs aptissimus est ad seminis in vas mulieris infusionem. Situs *innaturalis* est, si copula fit sedendo vel stando vel iacendo a latere vel a tergo more pecudum vel ita, ut vir succumbat et mulier incumbat. Per situm innaturalem generatio redditur quidem difficilior, sed non impossibilis, quia semen non per descensum, sed per attractionem ad ovaria pertingit [1]).

1. Situs innaturalis, quicunque iste sit, non excedit peccatum veniale, modo exclusum sit periculum semen extra vas effundendi, quilibet enim aptus est ad generationem.

2. Si mutatio situs naturalis ex iusta causa fit e. g. propter periculum abortus aut propter difficultatem, nullum est peccatum, etiamsi aliqua pars seminis dispergatur, imo si alius modus copulae impossibilis est, etiamsi magna pars seminis perdatur: nam hinc quidem dispersio per accidens fit, inde vero generatio non impeditur, cum ad eam modica pars seminis sufficiat [2]).

---

quae per utriusque ovarii excisi defectum facta est sterilis, non esse impediendum; ex qua declaratione colligitur, usum matrimonii in hoc casu licitum esse.

[1]) *Capellmann,* Medicina past. Ed. 3. p. 151. [2]) Ibid.

3. Quandoquidem periculum semen extra vas effundendi ratione situs innaturalis raro existit, coniuges in confessionali de situ, quo peragitur copula, interrogandi non sunt.

8. *De loco.* 1. Locum *secretum* esse debere, naturalis verecundia et lex caritatis, qua scandalum praecaveri debet, postulat.

2. Coram aliis coire ratione scandali grave peccatum est.

3. Cavere debent parentes, ne filii huius rei cognitionem acquirant et sic scandalum patiantur.

4. In *loco sacro* lex ecclesiastica copulam sub gravi prohibet, nisi urgeat necessitas: nam per humani seminis effusionem loco sacro irreverentia irrogatur et si fiat notoria, ecclesia polluitur.

9. *De tempore.* Quaeritur de liceitate actus coniugalis sive temporibus sacris sive aliis quibusdam temporibus, in quibus actus coniugalis alterutri coniugum maius minusve nocumentum affert. Haec tempora sunt: tempus *menstruationis, praegnationis, purgationis, lactationis* et *infirmitatis;* de quibus universim dicendum est: si subest periculum gravis damni in sanitate vel vita, actus coniugalis graviter illicitus est, si periculum damni leve est, sub levi prohibitus est; causa vero iusta, praesertim si damnum, quod timetur, leve est, usum matrimonii licitum reddit. Causa autem censetur esse iusta, si incommodum, quod ex abstinentia oritur, damno, quod ex usu timetur, praevalet aut saltem ei aequivalet. Ideo si damnum leve tantum timetur, abstinentia autem diuturna esset, copula licita dicenda est, tum quia tam diu abstinere coniugibus valde onerosum est, tum quia periculum incontinentiae affert.

1. *Tempore sacro* i. e. diebus festis, adventus, quadragesimae et s. communionis actus coniugalis licitus est, quia hodie nullo iure prohibetur. Et licet consultum sit, ut diebus s. communionis a *petendo* debito abstineant[1];

[1] 1. Cor. 7, 5.

si tamen nocte praecedenti honeste copulam habuerint, a s. communione non arcentur. Quodsi in perficiendo actu venialiter peccaverint, reverentia ergo ss. sacramentum postulat, ut eo die abstineant, nisi adsit peculiaris ratio eo die communicandi.

2. Tempore *fluxus menstrui*. Distinguendum est inter fluxum menstruum seu fluxum sanguinis ordinarium et extraordinarium.

a. Copula, quae tempore *fluxus extraordinarii habetur*, nunquam non damnum affert sanitati mulieris; quare abstinentia ab usu matrimonii per id tempus consulta est, at prorsus illicita dici nequit, nisi ex iudicio medici grave damnum immineat uxori, quia onerosum est viro, tam diu a copula abstinere.

b. Tempore *fluxus ordinarii* ex duplici ratione abstinentia ab usu matrimonii suadenda est, praesertim cum ea paucorum sit tantum dierum: imprimis propter peculiarem indecentiam; quare vir etiam naturali et innata nausea se avertit a muliere, quae fluxum menstruum patitur; deinde vero propter periculum sanitatis, quod imminet uxori, cuius organa genitalia per se iam sunt irritata [1]). Cum tamen utraque haec ratio non sit gravis, copula tempore fluxus menstrui dicenda est licita, modo adsit rationabilis causa coëundi: quod enim veteres timebant, nempe prolem hoc tempore conceptam nasci infirmam aut leprosam, inane est [2]).

In lege veteri usus matrimonii tempore fluxus menstrui peculiari praecepto prohibitus erat [3]); antiquiores theologi etiam in lege nova usum matrimonii hoc tempore graviter illicitum habebant, praesertim ob damnum futurae prolis: putabant enim prolem, si hoc tempore concipiatur, fore infirmam aut monstruosam. Alii copulam per id tempus saltem leviter illicitam dicebant, quia mulier generationi tunc est inepta. Cum hodie constet, has rationes non subsistere, antiquorum sententia in hac re omittenda est: facilius enim hoc quam alio tempore proles concipi potest eaque per se sana et firma.

---

[1]) *Capellmann*, Medicina past. p. 148.

[2]) *Olfers*, Pastoralmedicin p. 62. [3]) Lev. 15, 19. 20; 18, 19.

3. Tempore *praegnationis* copula inducit periculum abortus, si saepe et impetuose perficitur; quare excluso abortus periculo copula hoc tempore licita est. Ceterum cum abortus periculum solum primis praegnationis mensibus proprie existat, maturescente autem foetu paullatim evanescat, et cum status incipientis praegnationis vix cognosci possit, copula hoc tempore licita dicenda erit; coniugibus tamen, qui praegnationem suspicantur, tum quoad numerum tum quoad modum concubitus, moderatio commendanda est.

Difficile est, quod *s. Alphonsus* (n. 924) docet, copulam scilicet cum praegnante culpa non vacare, quia semen frustratur: non enim ad generationem prolis tantum, sed etiam in alios fines et praesertim in concupiscentiae remedium matrimonium ordinatur.

4. Tempore *purgationis* post partum conceptio quidem non fit, at ex ipsa copula mulieri periculum morbi imminet tum propter magnam debilitatem ex partus doloribus contractam tum propter organa generationis post partum prorsus alterata. Periculum primis diebus post partum maius est, paullatim minuitur et tamdiu durat, quamdiu organa generationis nondum sunt in priorem statum restituta. Elapsis duobus circiter mensibus rediens menstruatio indicat organa esse restituta et novam conceptionem fieri posse. Quare primis post partum diebus copula propter periculum damni graviter, postea leviter illicita est. Censet *Capellmann* periculum gravis nocumenti post partum per duas, levis nocumenti per quatuor sequentes hebdomadas perdurare [1]).

5. Tempore *lactationis* nova conceptio ordinarie timenda non est; si tamen accidit, mox etiam lac diluitur ac diminuitur et brevi prorsus desinit. Cum copula hoc tempore habita aliud nocumentum non afferat, ipsa licita dicenda erit: proles enim alio modo ali potest, insuper coniuges nimis diu ab usu matrimonii abstinere deberent, si toto hoc tempore non concederetur.

---

[1]) *Capellmann* l. c. p. 153.

6. Tempore *morbi* actus coniugalis per se non licet, si cum gravi periculo vitae aut sanitatis cohaeret, quia nemo dominus est vitae et sanitatis; licet autem ex gravi causa, si nimirum alias diu abstinere deberent cum periculo incontinentiae, modo non inducatur proximum periculum mortis, quia ex causa sufficienter gravi licet se exponere periculo probabili, modo non sit proximum. In particulari vero distinguendum est inter morbos contagiosos et non contagiosos. De qualitate morbi consulendus est medicus; illud tamen moneri debet, phthysim non morbum contagiosum sed hereditarium esse. Itaque

a. Si una pars laborat *morbo contagioso* et quidem si hic morbus syphilis est (morbus gallicus theologorum), usus matrimonii semper illicitus est propter horrendas sequelas, quas tam pro comparte quam pro prole affert. In aliis autem morbis contagiosis copula ex gravi causa licita est, exceptis iis, qui brevi mortem afferre possunt.

b. Si morbus *non est contagiosus*, copula licita est in iis, qui sunt leviores nec multum debilitantes, quia per copulam non fiunt peiores; at illicita est in iis, qui sunt multum debilitantes et cum febri ac magno dolore coniuncti: hi enim per copulam ordinarie multum ingravescunt. Ad hoc genus morborum numerari debent aegrotationes genitalium in muliere, quae per usum matrimonii adeo augeri solent, ut difficile postea sanentur [1]).

Quaestio tertia.

De obligatione actus coniugalis.

10. *Per se* viri est petere, uxoris est reddere debitum: mulieribus enim ob insitam ipsis verecundiam ordinarie valde molesta est petitio; viri autem verecundiâ a peti-

[1]) Cf. *Capellmann*, l. c. p. 161.

tione non arcentur. Quapropter uxor non tenetur reddere debitum, nisi vir petat: si enim non petit, uxor praesumere potest, virum non exigere debitum. *Per accidens* autem etiam mulier petere tenetur: si enim vir est in periculo incontinentiae, ipsa ex caritate tenetur e periculo eum liberare; sed cum caritas non obliget cum gravi incommodo; non tenetur petere, si absque gravi incommodo e. g. magna verecundia non potest.

1. Nulla existit obligatio *petendi debitum* coniugale nisi quandoque per accidens ex caritate: nulla enim existit pro singulis coniugibus obligatio utendi matrimonio, sed ad illum usum ius tantummodo habent; nemo autem tenetur uti iure suo.

Per accidens autem potest adesse obligatio petendi praesertim in viro: *a.* si iudicet compartem versari in periculo incontinentiae et ob verecundiam non petere: quilibet enim ex caritate tenetur impedire peccatum alterius, si commode potest; *b.* si usus matrimonii necessarius est, ad fovendum amorem vel ad dissidia avertenda.

Licet usus matrimonii coniugibus ordinarie suadendus sit praesertim iis, qui prolem alere et apte educare possunt; ex mutuo tamen consensu ab usu matrimonii etiam abstinere licet, modo non adsit periculum incontinentiae. Et quidem si abstinent ex motivo virtutis, excluso periculo incontinentiae, id laudandum est, et si ex alio rationabili motivo fiat, et non adsit periculum peccati, saltem permittendum est.

2. Existit obligatio iustitiae per se gravis *reddendi debitum*, quoties alter coniux expresse vel tacite serio petit.

a. Per contractum enim matrimonialem coniuges sibi invicem transferunt ius et potestatem in corpus in ordine ad actum coniugalem; ergo in utroque est obligatio reddendi debitum. Insuper qui debitum negat, compartem saepe exponit periculo gravium peccatorum.

Quare non licet se impotentem reddere sine alterius partis consensu e. g. nimiis laboribus, vigiliis, austeritatibus etc.: coniux enim ius habet ad actum coniugalem; qui ergo se impotentem reddit, se facit inhabilem ad debitum solvendum.

b. Obiectum mutui contractus res gravis momenti est; ergo *gravis obligatio* iustitiae est, reddere debitum, quando

serio petitur, ita scilicet, ut rogatus cedere nolit. Nihilominus negatio debiti potest esse leve peccatum in duplici casu *α. ex parvitate materiae,* si raro tantum fiat, si e. g. saepe petenti semel in mense negatur, vel si non omnino negatur, sed solum ad breve tempus e. g. ad noctem differtur, excluso tamen incontinentiae periculo; *β.* si alius non serio, sed remisse tantum petit, ita ut debitum benevole remittere censeatur.

a. Ergo graviter peccat coniux, qui alteri serio petenti negat debitum etiam una vice tantum, praesertim si est periculum incontinentiae vel gravis molestiae in altera parte; et quidem non solum contra iustitiam, quia negat, quod debitum est, sed etiam contra caritatem, quia compartem exponit periculo gravium peccatorum.

b. Et graviter peccant etiam viri, qui sive ex avaritia, ne prolem alere debeant, sive ex malevolentia proprias uxores nunquam aut fere nunquam cognoscunt, quamvis praesumere debeant, ipsas id aegerrime ferre.

3. Coniuges non tenentur reddere debitum, si in alterutro cessat ius petendi: si enim in uno cessat ius petendi, in altero cessat obligatio reddendi.

11. Casus, in quibus cessat ius petendi adeoque obligatio reddendi debitum, sunt potissimum sequentes:

1. Intra primum bimestre ex speciali concessione iuris [1]). Hoc privilegium coniugibus a iure conceditur quidem ad deliberandum de ingressu in religionem; attamen eo uti possunt, etsi religionem ingredi nolint. Debito autem semel reddito, cessat privilegium. Coniuges tamen hoc privilegio uti non solent, tum quia illud ignorant, tum quia, etsi sciant, eo uti nolunt, et merito quidem propter periculum peccandi.

2. Si unus coniugum commisit adulterium, et a fortiori si commisit incestum. Ut amissum censeatur ius petendi, requiritur ut adulterium sit formale, certum, non ab utroque commissum nec condonatum: si enim ab utroque commissum est, adest compensatio, et si pars innocens

[1]) Cap. 7. de convers. coniug.

debitum petit aut petenti libere reddit, censetur iniuria condonata.

3. Si petens caret usu rationis ut si amens aut ebrius est, quia petitio eius, qui caret usu rationis, non est actus humanus; parti autem rationis compoti licet debitum reddere. Neque proli timendum est damnum ex copula tempore ebrietatis habita: etenim si proles coniugis ebriosi nascitur infirma aut hebes, id non ex copula tempore ebrietatis habita oritur, sed ex ebriosi constitutione organica ob frequentem ebrietatem alterata. Quare existere videtur obligatio reddendi debitum, si in petente adesset periculum pollutionis, quia deficit ratio permittendi materialem pollutionem, nempe ut praecaveatur generatio prolis defectuosae [1]).

4. Si reddens subire aut merito timere debet grave incommodum. Eiusmodi incommodum affert

a. Immoderata petitio, quae non solum rectae rationi repugnat, sed etiam valetudini nocet et comparti intolerabile onus iniungit. Petitio potest esse immoderata *absolute,* si plus quam semel in una nocte petit, aut *relative* ratione infirmitatis aut debilitatis corporis iudicio prudentum [2]).

Ergo non peccat uxor negans debitum viro, cui copula semel quavis nocte habita non sufficit, sed qui etiam interdiu vel saepius in eadem nocte petit, nisi id fiat in casu extraordinario e. g. in periculo

---

[1]) *Olfers,* Pastoralmedicin S. 60.

[2]) Quoties actum coniugalem absque detrimento sanitatis coniuges perficere possint, generali regula determinari nequit: pendet enim ab ipsorum coniugum physica constitutione aliisque adiunctis. Auctoribus medicis usus matrimonii, qui fiat bis in hebdomada, non nocet, et si coniuges sint valentes firmaeque constitutionis, etiam ter quaterve eo uti possunt exceptis temporibus ut fluxus menstrui, praegnationis etc. in quibus natura ipsa exigit, ut ab actu coniugali abstineant. Coniuges autem, qui sunt debiles et infirmae constitutionis, praesertim viri, qui laboribus mentalibus diu ac serio occupantur, nonnisi semel in hebdomada absque detrimento actum coniugalem exercere possunt. Cf. S. *Ribbing,* Die sexuelle Hygiene p. 58 s.

incontinentiae. Pariter excusantur a reddendo, qui febri valida aut alio gravi morbo laborant

b. Periculum vîtae aut gravis morbi aut doloris gravis diutius duraturi, quod ex iudicio medici prudentis timendum esset.

Ideo nulla est obligatio reddendi debitum ei, qui laborat morbo contagioso; a reddendo debito autem non excusatur mulier, quae in primo partu mortis periculum subiit vel extraordinarios dolores passa est, quia experientia constat, mulieres in primo partu maiores difficultates experiri, quam in sequentibus. At si ex iudicio periti et prudentis medici constaret, ipsam gravi morbo vel ipsi morti expositam esse, non teneretur reddere, quia non censetur se obligasse cum tanto incommodo. In his adiunctis tamen *liceret* reddere, quia periculum non est omnino certum, et quia difficillimum esset semper abstinere.

5. At incommoda, quae conditioni matrimonii interna sunt, a reddendo debito non excusant; eiusmodi habentur: *a.* ordinaria incommoda graviditatis et nutritionis; *b.* aliqua sanitatis debilitatio; *c.* dolores graves quidem, sed non diuturnos vel diuturnos, sed moderatos ut dolores capitis per plures menses post partum; *d.* numerositas prolis: cum enim procreatio prolis sit finis matrimonii primarius, numerosa proles est incommodum ipsi matrimonio internum.

6. *An et quale damnum prolis a reddendo debito excuset.* — Universim dici potest, si proli melius est sic esse quam omnino non esse, damnum prolis non excusat a debito reddendo. Quare non excusat timor, ne proles nascatur infirma vel defectuosa, nec timor, ne in egestate et inopia vivere debeat, imo nec timor, experientia fundatus, ne proles nascatur mortua, quia melius illi est in peccato originali esse, quam omnino non esse. Si tamen proles *iam est concepta,* non licet coniugibus copulam aut aliam qualemcunque actionem ponere, quae eius vitae vel formationi noceat.

Quaestio quarta.

De licitis in coniugio.

12. Quaestio est, an et quando actus interni: cogitationes, delectationes et desideria, et actus imperfecti: tactus, oscula, amplexus, aspectus et sermones coniugibus licita sint. Porro hos actus coniuges vel *soli* exercent vel *mutuo;* et si actus mutui sunt, vel ordinem ad copulam habent vel hunc ordinem non habent. Ut quaestio facilius et securius solvi possit, quaedam principia praemittenda sunt.

1. Grave peccatum in coniugibus id solum est, quod est contra finem primarium matrimonii; atqui praeter voluntariam pollutionem et sodomiae crimen nihil est contra finem primarium matrimonii.

2. Tum pollutio, tum eius proximum periculum in coniugatis est grave peccatum, idque gravius quam in solutis, quia per eam non solum castitas, sed simul sacramenti sanctitas et ius alterius coniugis laeditur.

3. Quod non affert grave periculum pollutionis, veniale peccatum est, si sine causa fit, et nullum peccatum est, si ex iusta causa exercetur. Quod autem grave periculum pollutionis affert, mortale peccatum est, si sine gravi causa fit, si autem ex gravi causa exercetur, secluso periculo consensus, nullum peccatum est: ex gravi enim causa licitum est, se exponere periculo pollutionis, modo excludatur consensus. Eiusmodi causa auctore s. *Alphonso* (n. 934) est, ad ostendendum affectum ex urgenti ratione, ad avertendam a se suspicionem malignam.

4. Delectatio venerea voluntarie admissa extra copulam excluso periculo proximo pollutionis per se non est peccatum; cum enim consideratis adiunctis, in quibus coniuges reperiuntur, delectationes venereae facile et frequenter oriantur, onus intolerabile ipsis imponeretur, si in illis cavere deberent consensum. Insuper in continuo periculo

peccandi versarentur, unde ipsis matrimonium non esset remedium concupiscentiae, sed ansa damnationis.

13. *Resolutiones.* 1. Cogitare pariterque gaudere seu delectari de actu coniugali habito vel habendo non est peccatum; etenim est cogitatio et delectatio de re licita. Et delectatio de re venerea, quae exinde oritur, et consensus in eam citra periculum pollutionis veniale peccatum non excedit; si autem praeter intentionem sequeretur pollutio, excludi deberet consensus: consensus enim in voluptatem veneream in coniugatis non est grave peccatum nisi ex periculo pollutionis; est tamen veniale peccatum, quia voluptas venerea ex actibus solitariis capta recto fine caret.

2. Actus imperfecti circa proprium corpus in coniugatis non sunt gravia peccata excluso periculo pollutionis; sunt tamen peccata venialia. Ratio primi est, quia natura sua tendunt in actum consummatum, ergo in actum licitum, cuius sunt praeparatio, nisi expresse contrarium i. e. pollutio directe vel indirecte intendatur. Ratio secundi est, quia superflua sunt, cum copula non habeatur.

3. Actus imperfecti, quos coniuges mutuo exercent ex iusta causa e. g. in signum amoris, ad evitandum periculum incontinentiae, nullum sunt peccatum nisi sint coniuncti cum proximo periculo pollutionis. Quinam hi actus sint, a dispositione subiecti dependet: quod enim aliis proximum periculum est, id aliis, qui sunt frigidi et senes, non est.

Sunt qui actus enormiter obscoenos inter coniuges de peccato gravi damnent etiam citra pollutionis periculum. Eiusmodi actus recensent: si vir genitalia in os mulieris immittit, si vas praeposterum penetrat, si ore vel lingua morose in genitalibus se tangunt etc. Hi quidem actus vix unquam sine peccato fieri possunt, quia iis deest debita moderatio in usu delectabilium; peccati gravis tamen damnandi non sunt ex hac ratione, quia enormiter obscoeni sunt: inter coniuges enim nihil est graviter prohibitum, nisi quod est contra naturam et finem matrimonii. Hinc si experientia constaret, in determinatis personis illos actus non inducere proximum periculum pollutionis, excluso affectu sodomitico graviter peccaminosi non essent; ordinarie autem cum proximo periculo pollutionis coniuncti sunt, ideo ordinarie graviter peccaminosi sunt.

4. Actus imperfecti coniuncti cum proximo periculo pollutionis non sunt peccata, si coniuges copulam habere possunt et volunt; si autem copulam habere aut non possunt aut nolunt, sunt peccata gravia, nisi gravis causa eos excuset et exclusum sit periculum consensus.

Quaestio quinta.

De impedimentis actus coniugalis.

Impedimenta actus coniugalis sunt duplicis generis, alia oriuntur ex ipso matrimonio, alia a personis coniugatis.

14. *Impedimenta, quae ex parte matrimonii oriuntur.* 1. Si matrimonium *certe nullum* est et ambo coniuges nullitatem cognoscunt, ab actu coniugali abstinere debent, donec dispensatio obtineatur.

Si unus tantum nullitatem cognoscit, tenetur compartem de hac re monere; quod si facere non possit, certe a copula sub aliquo praetextu (e. g. copulam sibi esse noxiam, intolerabilem) abstinere debet, donec obtenta sit dispensatio: copula enim, utpote fornicaria, in se mala esset.

2. *Si matrimonium dubium* est, sive dubium iam ante matrimonium exstiterit, sive contracto demum matrimonio supervenerit:

a. Si dubium *leve* est, spernendum est; si dubium grave est, veritas inquirenda est.

b. Durante inquisitione *si ambo coniuges dubitant,* a copula abstinere debent ad vitandum periculum fornicationis, si tantum *una pars dubitat,* haec non potest petere, ne se exponat periculo fornicationis, sed potest et debet reddere, ne se exponat periculo laedendi iustitiam.

c. Si inquisitione facta dubium perseverat, matrimonium tamquam validum considerandum est tum in foro externo tum in foro interno, quia in dubio standum est pro valore actus.

15. *Impedimenta, quae ex parte coniugum oriuntur.*

1. *Propter affinitatem.* *a.* Qui *incestum* commisit inducentem affinitatem, in poenam ab ecclesia impositam amittit ius petendi, sed debitum parti innocenti reddere potest, etiam antequam obtineatur dispensatio. Actus tamen imperfecti hac lege non prohibentur.

b. Ut incestuosus hanc poenam incurrat, requiritur cognitio legis prohibentis et poenae impositae; quae cognitio cum raro in coniugibus habeatur, vix unquam hanc poenam incurrunt.

c. Si incestuosus interim in magno incontinentiae periculo versaretur, posset petere, quia lex ecclesiastica cum tanto incommodo non obligat[1]).

2. *Propter adulterium.* *a.* Qui adulterium commisit, potest petere, quia ius petendi non amisit et petenti debet reddere; sed amisit ius, ut sibi reddatur debitum, ideo pars innocens iuste copulam negare potest, nisi facta sit condonatio.

b. Condonatione ius amissum iterum acquiritur. Adulterium autem etiam tacite condonari potest reddendo debitum.

3. *Propter votum castitatis.* *a.* Qui voto castitatis ligatus est, petere quidem non potest, quia vovendo promisit abstinentiam ab omni actu venereo; attamen reddere potest et debet, quia obligatio matrimonii praevalet obligationi voti. Intra primum bimestre autem reddere nec debet nec potest.

b. Si coniuges communi consensu voverunt certo tempore ab opere coniugii abstinere, neuter potest petere aut reddere; at incontinentiae periculum esset ratio sufficiens, ob quam posset peti et concedi dispensatio.

---

[1]) *S. Alphons.* n. 930.

Index.

A. M. D. G.



